
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
8 B
3

RELIGIO SOCINIANA

SEU

CATECHESIS RACOVIANA MAJOR

Publicis Disputationibus (inserto ubique formali ipsius Catecheseos contextu) refutata.

Authore

NICOLAO ARNOLDO,

SS. Th. D. & Professore in Academiâ Franekerana ordinario.





AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM.

cIↃ. IↃC. LIV.

Illustrissimo Celsissimoque Heroi, ac Domino.

IANVSZIO RADZIVVIL.

S.R.J. PRINCIPI, BIRZARUM ET DUBINKORUM DUCI, COMITI IN NEWEL ET SIEBIEZ, PALATINO VILNENSI, EXERCITUUM MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ IMPERATORI, KAZIMIRIENSI, BORYSSOVIENSI, LUBECZENSI, LOJOVIENSI, BYSTRICENSI, VILKIENSI GUBERNATORI, TENUTARIO RETOWIENSI &c. MAXIMO ECCLESIÆ REFORMATÆ IN REGNO POLONIÆ COLUMINI, REIPUBLICÆ SENATORI GRAVISSIMO, MILITIÆ DUCI FORTISSIMO, GLORIOSISSIMO.

Vitam, Salutem, Gloriam, ac Felicitatem æviternam.

Illustrissime & Celsissime Princeps,

DOMINE CLEMENTISSIME.

SOciniana cohors, fœtus pseudoreligionis suæ, Regibus, Episcopis, Academiis, atque adeo hominibus in eminentia status Politici, Ecclesiastici, & Scholastici constitutis, dedicare consvevit. *Smalcius*, quem de Vera divinitate Christi scripsit librum, Serenissimo & Potentissimo Polonorum Regi

Sigiſmundo tertio, per *Iacobum Sieninſki* à *Sienno*, Podoliæ Palatinidem, obtulit. *Hieronymus Moſcorovius*, hanc ipſam Catecheſin Racovianam, Latio donatam, cujus refutationem Celſ. Tuæ ſacram eſſe volo, Iacobo, Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ Regi, inſcripſit. Hic idem *Moſcorovius*, librum contra Pædobaptiſmum *Petro Tylicio* Cracovienſi Epiſcopo nuncupavit. *Smalcius*, Prælectiones Theologicas Fauſti Socini Senenſis, *Academiæ Heydelbergenſi*, ſarcaſticâ ſatis præfatione detulit. Hancquoque à me exſocinianizatam Catecheſin, idem *Smalcius*, in Germanicum idioma verſam, almæ *Academiæ Wittenbergenſi* obtruſit. Sublimes atque arrogantes hi mortales fovent Spiritus; quicquid delirant, oracula eſſe credunt. Et, ni fallor, eò collimant, ut, tractis in partes ſuas ſummis rerum Capitibus, reliquum corpus ultrò ſequatur. Regis enim ad exemplum, totus componitur orbis. Sequuntur Paſtorem oves: & Magiſtrorum premunt veſtigia diſcipuli. Publicis Academiarum fontibus intoxicatis, quod imbibit doctrinæ venenum inventus, non poteſt non propinare, ſuis, quibus cum tempore præficitur, Eccleſiis. Verùm, Dei gratiâ, hactenus non aſſenſum, ſed indignitationem, merito ſuo, ubique reportârunt. Impudentiæ merces & gratia, abominatio fuit. Nihil effectum eſt, niſi quòd Reges, Nutritii

Eccle-

Ecclesiæ, pectora sua, contra has pestes obfirmârint; quòd Episcopi in Ecclesiæ specula constituti, attentiùs contra lupos istos, ovili veste amictos, vigilârint; quòd Deus in omnibus Christianorum Academiis, fortes, contra has infernales furias, excitârit hyperaspistas; â quibus caput istius serpentis feliciter protritum; ut Christus, non *divinus homo*, ex istorum sententia, sed *verus* cum Patre ejusdem essentiæ ab æterno credatur *Deus*; non *exemplaris* sed *meritorius* habeatur Redemptor; non *metaphoricus*, sed *propriè dictus*, victimâ sua in cruce verè expians peccata, adoretur Sacerdos. Posteriorum ordini, ego quoque, à Deo, etsi minus idoneus adscriptus; aliorum exemplo, & vocationis munere stimulatus, si non pari effectu, conatu tamen haud dispari, castra Domini sequutus, cum hominibus Christianismum mentientibus, signa contuli. Quicquid autem spoliorum ex hoc conflictu retulisse mihi videor, Tibi, Celsissime Princeps, deferre volui. Tibi, inquam, qui ipse, ut in universo orbe Europæo, ita in Belgio nostro celebratissimus Dux, hosti nequiter bellicoso, vexilla, tricena, sexagena, iterum iterumque erepta, ad pedes Invictissimi Regis nostri *Cazimiri*, tanquam virtutis avitæ pignora, fidelitatis, erga Regem, Patriam, monumenta, explicans, etiam lapides encomiastas disertissimos, Iesui-

tas dico & Monachos, in scribendis Tibi ultrò Panegyricis habuisti; ut resorbere hîc coacti sint, quod alioqui, plenis faucibus, nefariàm eructare solent: Hæreticos (Evangelicos sic vocant,) Regibus & Patriæ raro fideles esse. His gratulantium turbis, venia Tuâ, me quoque immiscere volui; Celsissimoque Nomini Tuo, hanc saltem literariam tholam in pegmatis Ecclesiæ suspendere; cùm in laudes Tuas prolixè excurrere non liceat: Qui, alter Alexander, Apellis tantùm penicillo pingi mereris. Satiùs est tacere, quàm non dicere, quod debetur. Augentur merita Tua indies, nec dum cumulum eorum vidit orbis, quem post fata demum fama celebrabit. Vt verò in acie stas intrepidus pro Patria gloriosè; ita pro Ecclesiæ Orthodoxæ libertate ubivis locorum certasti feliciter. Solemnem templi Tui *Keydanensis* sumptuosi inaugurationem, Tuamque, in eo, Salomonis ad exemplum, devotionem, Mercuriales Belgii, prædicârunt. Celebre, quod *Cajoduni* est, Gymnasium, in quo, Viros eruditionis famâ insignes, ephæbos in omni scientiarum genere & pietate formantes, munificè alis, zelum religionis Orthodoxæ prædicat abundè. Quòd ergo librum meum Tibi offeram, facio ad imitationem prisci temporis, quod, ut peculiari Virorum Principum reverentiâ, laudationes publicas clari-

claritudini gestarum rerum decernebat; ita dedicatione librorum Eosdem venerabatur. Accipe igitur Princeps Celsissime, à Tuæ gentis homine, hoc *Christi Evangelium* serenâ fronte. Qui Deum supplex venerabitur, ut Te, Orthodoxiæ Protectorem, Ecclesiæ & Reipublicæ bono in multos sospitet annos; tandemque honoris Tui acervum, victrici immortalis gloriæ coronâ, gratiosè æternùm cumulet. Scripsi Franekeræ Frisiorum. III. Kalend. Iulias M DC LIV.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

In Domino Servus


NICOLAUS ARNOLDUS Lesn. Polonus
SS. Th. D. & Prof. ordinar. Acad. Ecclesiastes.



Salve Sarmatiae fulgor Clarissime terrae.
Altera lux Frisiis inde coorta meis.
Haeresin exstirpa peracutae fulmine linguae.
Delubrisq; sacris ora diserta para.
Sic ego te video longae succrescere famae,
Quem nobis recti foederat arctus amor.

C. Scietanus.

Lectori Benevolo S.


Abes hîc Lector refutationem Compendii totius Sociniana Religionis, comprehensum Racovianâ Catechesi. Ea primum Polonicè Authore Smalcio *è scriptis Socini compilata fuit, & Racovia typis evulgata, Anno 1606. Hic verò fœtus tam bellus videbatur, qui quadriennio post à* Hieronymo Moscorovio *Latinè eniteretur: ac deinde, operâ Smalcii, Germanicè etiam prodiret. Animus erat, his populis virus Socinianum propinare. Sed quibus antidotis munitum fuerit pectus Polonorum, Lector ex suffixo præfationi carmine, Reverendi plurimum Affinis mei colliget. Postquam ea Catechesis Germanus, Academia VVittenberg. per Smalcium oblata esset, deliberarunt Patres, an respondendum esset stulto secundùm stultitiam, ne scilicet sapiens sibi videretur, an verò silendum. Conclusum tandem, justam refutationem isti Catechesi opponendam esse; ne, de silentibus, tanquam victis, triumpharent Sociniani. Demandata est eà provincia solido & pio Theologo* Friderico Balduino, *qui succinctam & doctam edidit refutationem. Quam olim etiam sub initio istius opera refutatoria commodatam habui à desideratissimo Collega D.* Cloppenburgio; *sed ab obitu ejus, nescio cujus artibus invisam. Non minus solidâ operâ Catecheseos istius refutatio à consummatissimo Theologo D.* Wolfgango Crellio, *in Academia Viadrina SS. Theol. Doctore & Professore affecta fuit, sub nomine,* Anatomiæ Heterodascaliῶν Catecheseωs Socinianæ. *Sed abrepta est hac tela ad Aulam Brandeburgicam Vocatione. Quod opus, si perfectum fuisset, ut affectum erat, habuisset Ecclesia panaceam & Panstratiam contra Socinianismum universalem. Orandus est Vir ille magnus, telam captam, ut pertexat.* Alstedius *quoq; Noster, in Theologia Polemica, censurâ perpetuâ istius Catecheseos Sociniana errores perstrinxit. Nec non* Altingius *magni nominis, olim in Academia Heydelbergensi, post Groningana, Theologus, idem factitasse ex scriptorum Theologicorum Heydel-*

bergensium tomo tertio in explicatione Catecheseos Palatinæ deprehenditur. Marefius *Groningana Academiæ lumen, in Hydra Socinianismi;* Hoornbekius *non ita pridem Vltrajectina, jam Lugduno Batava Academiæ Theologus, in tomo primo Socinianismi confutati subinde istius Catecheseos heterodoxias atro carbone notârunt. Quod factum quoque à Lutheranis Theologis,* Paulo Tarnovio *de Sacro-Sancta Trinitate, pro Bellarmino & VVuieko Iesuitis:* Johanne Gerhardi *Theologo Ienensi in Continuatione Harmoniæ Evangelicæ Chemnitio-Lyseriana;* Mentzero *in exegesi Confessionis Augustanæ. Adeo quidem, ut vel mihi ipsi post Homerum iliada scripsisse videri possim, qui Catechesin istam refutandam suscepi. Veruntamen facilè temeritatis notam effugiam apud eos, qui norunt Professoris esse, non tantùm lac sincerum puræ doctrinæ teneræ juventuti instillare; Verùm etiam contra errores quorumvis hæreticorum eandem præmunire, quo & ipsa aliquando contradicentibus ora obtrurare queat. Quod cùm in Socinianis præstare volui, comodiùs id fieri non potuisse arbitratus sum, quàm si ipsa Adversariorum prima elementa, & fundamenta, quibus moles doctrinæ superstruitur, clarè, & ipsorummet Adversariorum verbis conceptis proponeretur, atque sic convelleretur funditus. Nihil in istâ refutatione novi à me est allatum, quod non olim jam Adversariis à hyperaspistis orthodoxiæ sit repositum. Id enim fieri nec potuit nec debuit. Non potuit; Quia veritas uniformis est, sibique perpetuò similis. Nec debuit; cùm enim Smalcius eam Catechesin ex scriptis Socini compilârit, & totidem verbis subinde descripserit, quid responderi debuit, nisi id quod Socino toties est responsum? Et quibus, rei, etsi non Socinianis est satufactum? Cæterum de origine, progressu, Socinianismi hîc agere instituti mei non est. Præstitit id ipsum Cl.* Hoornbekius *abundè in tomo primo Confutati Socinianismi. Et noster olim Collega* D. Cloppenburgius *in Compendiolo Socinianismi confutato. Mores quoque eorum & modum procedendi non est quod attingam, qui vel ex hac Catechesi palpatur. Scilicet malle*

eos

eos destruere, aliorumque sententias refutare, quàm suam adstruere, idque vaferrimè. Nam ubi sudes est in oculis scriptura, rariùs videbis eos unâ responsione esse contentos, cui fidant; sed plures confingunt; Dicentes: Locum scripturæ ita posse *verti, ita* posse *intelligi, quo ita dubitationis laqueis implicent simpliciores; cùm non quæratur, quid* possit, *sed quid per analagiam fidei & contextus fieri* debeat.

Quid præstitum sit nostrâ hâc opella, judicabit Lector. Certus sum, non ingratam, nec inutilem fuisse juventuti nostræ, cui occasio frequens & multiplex data fuit rimandi penitius arcana Socinianismi. Pressi in refutatione vestigia Catecheseos; aliquando unam quæstionem, aliquando plures pro materiarum cohærentia proposui. Sunt qui scripta ista Adversariorum penitus supprimenda censent. Habent hi suas rationes. Malui tamen eorum consuetudinem, qui integros Adversariorum textus inserere solent, imitari. Rationum abundè est; inter quas illa, Cl. Maresii, *Dissertatione de SS. Trinitate contra* Dudithium *usurpata, eminet. Nam ut magneti, inquit ille, juxta Adamantem posito, nulla sunt vires: Sic Adamantina veritas retundit omnem vim magneticam, quæ his hæreticorum scriptis seorsim consideratis inesse creditur. Imò ipsa veritas per quandam antiperistasin, ex ista hostili præsentia & vicinia, robustior evadit; ac sicut fragrantior est odor liliorum & caryophyllorum, juxta capas, allia & porros in hortis efflorescentium; ita nescio quid accidit suaveolentiæ bonæ & veræ causæ ex antithesi mendacii, & opposita juxta se posita magis elucescunt. Quin bonæ fidei disputator non delumbat Adversariorum suorum argumenta, ut faciliorem sibi ex illis paret victoriam: sed quò melius res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet, ut quondam loquebatur Augustinus l. 3. contra Maxim. c. 14. ea exhibet vestita omni verisimilitudine & gratia, quam illis student conciliare, quo solidior sit & evidentior suus de mendacio triumphus. Cum autem primis aliquot Capitibus in quibusdam exemplaribus Lector non sit reperturus eadem*

** 2 *for-*

formalia Catecheseos Latina, sciat, cum primò adornare cæpissem istam refutationem, tantùm copiam mihi fuisse exemplaris germanici, quod Academiæ VVittenbergensi dedicaverat Smalcius; ex quo fideliter & verbotenus, vitatâ etiam latinitate quæstiones Catecheseos transtuli, ut fidem meam possit desiderare nemo. Cum aliquo usq; processisset refutatio, suppeditatum mihi est à Cl. D. Hoornbekio, *tum Ultrajectino Theologo, exemplar Catecheseos istius manuscriptum latinum, ex eo, quod Racoviæ anno Christi* 1609. *latinæ est impressum, fideliter descriptum. Tandem ante biennium, cum Patrios lares reviserem, à Reverendo plurimum, Avunculo meo,* D. Martino Gertichio, *quem honoris causâ nomino, Ecclesiarum Majoris Poloniæ Superintendente & Ecclesiæ Lesnensis Pastore, ipsa Catechesis Racoviæ anno* 1609. *latinè edita, mihi cum pio voto felicis in refutatione successus, oblata fuit. Ex donatione autem Reverendi D.* Danielis Epæneti *Ecclesiastæ VVeszkoWiensis, sympatriota mei, & olim in hac Academia studiorum commilitonis conjunctissimi, exemplar primæ originis Polonicum eo ipso tempore obtinui. Quas triplicis idiomatis Catecheses in hac refutatione contuli, atque ab eo tempore ipsa Catecheseos latina verba, prout jacent, inserui. In quibus Catechesis ipsa prolixa fuit, ego brevis esse non potui; ubi autem sententiarum fuit convenientia, à multiplicatione controversiarum abstinui. Satis cunctanter editio operis processit, ob alios vocationis quà publicos, quà privatos labores, Sed sat citò si sat benè. Prodiit hoc anno in Anglia, authore* Johanne Bidello, *artium Magistro, Pneumatomacho, (qui non ita pridem in Deitatem Sp. S. ut palam ostendit ὁ μακαρίτης* Cloppenburgius *infelici successu arietavit,) duplex Catechesis Scripturaria, Anglico idiomate typis evulgata, quâ sub nomine Religionis Christianæ purum putum Socinianismũ orbi Christiano obtrudere satagit. Quanquam à non videatur velle Socinianus haberi; attamen cujus sit ingenii, sub finem libelli prodit, cum commendat librum, cui titulus:* The Life of that incomparable man Faustus Socinus Senensis. *Phrasin scripturæ, ad dogmata*

merè

merè Sociniana ita detorsit, ut nemo ante eum tam fraudulenter hæresin istam instillârit. Larvam illi detrahere post dies Caniculares, cum Deo, est animus. Tu Lector hæc boni consule, & nostris conatibus fave. Franekeræ, 9. Kalend. Jul. 1654.

F I N I S.

Nomina Respondentium.

XXXV.

Ami-

Amiciſsimo Collegæ.

VIderat indomitis orbem clareſcere flammis
Diſpiter, & tenebris vela remota ſuis.
Ergone, ait, reducem cœli lugebimus auſum,
Quo fuerat regnis meta ſtatuta meis?
Viluerat, textis paulatim erroribus, unus
Qui poterat ſontes propitiare, cruor.
Sed nunc nuda meas virtus conturbat arenas;
Atque rudes animas fallere plura vetat.
Ingeniis opus eſt. Auſique interritus ardor
Qui labem hanc valeat ſiſtere, primas erit.
Protinus *Italicâ* juvat heic accingier arte:
Quique virum præſtet, tu mihi *Sena* dabis.
Fauſtus adeſt. Placet omen. Eris de millibus unus,
Orci *Fauſte* decus præſidiumque mei.
Sparge nefas. Seduc teneros. Convelle minaces.
Ipſo fac pereat litera ſcripta Deo.
Exſpiret ſancti quod Flaminis intus habetur.
Et Ieſum patrio detrahe macte Polo.
Tolle fidem meritis cœleſtibus. Vrge ſuperbos.
Vt credant, meritis aſtra ſubeſſe ſuis.
Quidquid adhæc veteris potuit contagio ſecli,
Non minus id reduci fraude potenter eat.
Sed tu fac faciles aditus, fac tempora captes.
Et fer præteritis damna minora malis.

Eſt

Est populus Boreo modicum conterminus axi;
Queis quondam terris Sarmata durus erat:
Candida credulitas, & laxa licentia, mentes
Fraudibus aptavit posse patere tuis.
Hos pete. Succurret tacito tibi *Stancarus* æstro;
Stancarus à Medicâ qui celebratur ope.
Post hunc, qui populos seducet, ferreus ore,
Ferreus & calamo, *Smalcius* alter erit.
Vt, quantum cæcis facit is reptare medullis;
Tantum de patulo *Smalcius* ore vomat.
Tunc erit, ut tensis mihi cassibus occubet ultro,
Atque iterum solitâ cæspitet orbis humo.
Sic ait. Et pronis instat successibus; illi
Quos vocat occiduæ relligionis amor.
Sed benè, quòd paribus par fit Medicina venenis;
Ars artem eludat; vi cadat omne malum.
Quin & (mira solo cuivis prudentia cœli!)
Toxica sunt iisdem & pharmaca nata locis.
Non aliter *Polone* tuo qui viscere sævit,
Idem etiam Patriâ tollitur hostis ope.
Quid reliquos memorem? geminos mea *Franika* vidit,
Hostibus opposuit quos tua terra tuis;
Grandem *Maccovium*, & Redivivos illius igneis,
Qui mihi *Maccovii* nunc *Helizæus* erit.

D. Acronius.


* * * Ad

Ad Clariß. Doctiß. Virum,

D. NICOLAVM ARNOLDVM,
SS. Th. D. ac Prof. ord. Concionatorem Acad: amicum nostrum Refutationem Catecheseos Racovianæ edentem,

REbus in humanis nihil est quod perstat: ubique
Quæ valuere ruunt; quæ cecidere, vigent.
Qui domuit genteis, jacet ingens littore truncus.
Qui stivam tenuit, sceptra tremenda quatit.
At Lex fixa Dei, stant scita immota Tonantis,
Quæ nec vis hominum, nec rapit ulla dies,
Impius interpres quamvis grassetur in illa,
Non tamen ex illis, vel perit ullus apex.
Expertus didicit malesanus mente Socinus:
Assecla Doctoris discat & ipsa sui.
Vindice te vero, justo te, ARNOLDE, *patrono,*
Sarta ac tecta Dei Dei dogmata Sancta manent.


PETRUS MOLL. J.U.D.
ac Profess·Græc. Liug. ordinar.



Ad Plurimum Reverendum, Clariss. & Excellentiss. Virum,

D. NICOLAUM ARNOLDUM,

SS. Theol. Doctorem: Ejusdemque Facultatis in Academiâ Franequeranâ Professorem Publicum, Fautorem & Affinem suum longè dilectissimum, Catechesin Racovianam solidissimè refutantem.



P*Rodiit ante aliquot* a) JunI b)*liber aureus annos*
Iugulans Socini *dogmata*
Scriptura gladio, *Cui* Jekermannus *amicus*
Est gratulatus Carmine.
Laude librum Authoris perdignum Censeo. Vatis
Sed parte Carmen c) *eâ improbo*,
Quâ Polonorum Patrem *asserit esse* Socinum
Sobolem & Polonos illius.
Quâ laniare genas, Fausto expirante Polonos
Et ferre ei exequias *jubet.*
Verùm unde hic didicit, Gentis Patrem *esse* Polonæ
Socinum, *& hanc* Prolem *illius?*
Infausti Fausti, *fateor*, *quod Terra* Polona
Nutriverit quosdam Asseclas.
Nonne Adriane, *etiam fovit Tua Patria quosdam?*
Adhuc fovetque Belgium?
Quare & Belgarum *non dicis eum esse* Parentem,
Cum Belgium has aves alat?
Sed fortè applausu Socini *dogma receptum est*
Gente à Polonâ *publico?*
Ad quod connivent oculis tantummodo clausis
Belgæ Tui jam clanculum.

a) Johannis Junii Sylvæducensis Pastoris.

b) Refutatio Prælectionum Theologicarum Fausti Socini Senensis. Anno 1647.

c) Adriani Jekerman Carmen sic incipit.

Plangite Poloni, Vestro mors atra minatur
Tristia Fata Patri, dilacerate genas.

Et postea sic scribit:

Ilicet, exequias Fausto fac Sarmata Vestro. &c.

Imò per Leges ivit Respublica Nostra
Socinianis *obviam.*
Fortè putas illos, qui deseruere Papatum,
Stare à Socini partibus?
Horum sunt pauci. Quorum à contage recedunt
Longè Orthodoxa Ecclesia.
Non satis hanc oppugnarerunt haresin, inquis,
Fortè Orthodoxi Sarmatæ?
Si tibi persuades id, Jekermanne, *recedis*
A veritatis tramite.
Prorsus in Historiâ *Tu* Relligionis es hospes,
Quam Gens *colit* Polonica.
Quam prius exactè decuit didicisse, Socinum
Quàm Patrem eorum dicere.
Ut verò revoces mutatâ crimina mente
In Orthodoxos Sarmatas,
Scito. In Sarmatiam *cum* Stancarus *intulit olim*
Fausti Socini *dogmata,*
Fortiter innitens scriptura restitit illi
Tota Orthodoxa Ecclesia.
Non Synodos memoro, primâ quibus error in herbâ,
Repressus ille pestilens.
Discursus taceo, quibus oppugnatus hic error
Ab Orthodoxis strenuè.
Calvini *laudes, summorum & mitto Virorum*
In Orthodoxos Sarmatas.
Te Compello Johannem à Lasco, *Nobile sidus*
Ecclesiæ Polonicæ.

d) An. Christi 1550. & seqq.

Quo in Patriam fervore redux d) *deliria* Fausti
Dei représsi Spiritu?

e) *Stanislaus Zarnicius.* Anno. 1662.

Tu quoque e) Zarnici, *Vir stemmate Nobilis olim*
Sacro & Ministerio Tuo,
Oppugnavisti quàm fortiter Haresin istam
Fausto *profectam* & Stancaro?

f) *Andreas Chrzastovius* Orthodoxam explicationem Capitis I. Johannis contra Arrianos scripsit. Anno 1584.

Tu quoque f) Chrzastovi, *Vir Nobilitatis avita*
Et functione Nobilis
Consimilis zeli praclarus laude fuisti
Socinianam in haresin.

Nec

Nec Te prætereo g) Andrea *Generose* Modrevi.
Magnæ à secretis Curiæ
SIGISMUNDI-AUGUSTI, *qui de Te scripsit* JESU
Homousie ô Fili Dei,
Imò à SIGISMUNDO AUGUSTO h) *Responsio Rege*
Data Orthodoxæ Ecclesiæ
Principibus Nostræ, longè est dignissima Cedro,
Fidem Orthodoxam quâ probat.
Quâ fronte ergo Patrem Tu Jekermanne Socinum
Dicis Polonæ Ecclesiæ?
Postea degeneres facti estis fortè Poloni
Fideique vestræ Transfugæ?
Toto Cœlo erras, Mi Jekermanne, *sinistrè*
Si suspicaris talia.
Constanter semper Confutavêre Socini
Dogma Orthodoxi Sarmatæ.
En testis locuples est i) Salinarius *ejus*
Cum k) Zarnoveccio *rei.*
Sarmatico *testatur idem* l) Zaborovius Orbi,
m) Wengiersciqúe *Asymbolon:*
n) Clementinus *idem calamo testatur & ore,*
Tuba Orthodoxæ, Ecclesiæ.
Doctores *igitur non dormivere* Poloni,
Ecclesiæ Vigiles Dei
Communique Lupum vocitarunt voce Socinum
Minimè at suæ stirpis Patrem.
Hospes in Historiâ si Jekermanne *fuisti*
Ecclesiæ Polonicæ,
Iure Tibi notus Maccovius *esse Professor*
Gente è Polonâ *debuit.*

g) *Andreas Fricius Modrevius* Sigismundo Augusto à Secretis. Anno 1590.

h) Responsio *Sigismundi* II. *Augusti* Regis, Proceribus Regni Reformatis, qui Confessionem Orthodoxam Bohemicam obtulerunt. Anno. 1564. 31. Octobris *Petricoviæ* data, sic sonat:
„ Vestram Confessionem à Vobis oblatam recepimus, & lectam relegimus libenter, in quâ vid=demus non reperiri errores, præsertim contra fundamentum Christianismi, præcipuum articulum Fidei Catholicæ de S. Trinitate, in quo alii errant. Planè Confessio Vestra convenit cum Communi Fide Christianâ, ac ideo Vos & Vestri *Pace fruemini.* &c.

i) *Albertus Salinarius* scripsit Censuram Confessionis Socinianorũ tomis. 2. Libris. 5. quibus eorum omnes errores refutat dexterrimè. A. 1615.

 Cujus

k) *Gregorius Zarnovecius* scripsit Apocatastasin, sive defensionem Articuli de Satisfactione Contra Socin. in linguâ Polonicâ: sed latinè versa est à *Conrado Nubero*, Ecclesiaste Gedanensi Orthodoxo, & recusa Franequeræ. Anno 1618. l) *Iacobus Zaborovius* scripsit Tractatum Polon. Cui titulus ignis & Aqua. Id est, Tractatus de Unione, Cur illa cum Socinianis iniri nequeat. Anno. 1619. m) *Thomas Wengierscius* scripsit Asymbolon Socinianorum, præcipuis fidei Apostolicæ articulis non credentium. An. 1630.
n) *Daniel Clementinus*, scripsit Antilogias & absurda Socinianorum. Anno 1623. Et Antapologiam Contra Refutationem scripti sui. Anno 1630.

Cujus Te liquido potuerunt o) scripta docere,
Contra Socini *toxica.*
Sed quid ago? Tecum Phœbo radiante, tenebris
Nolo occupari ego amplius.
Ex. me disce igitur, bone Jekermanne, Socinum
Nunquam fuisse Ecclesiæ
Sarmaticæ Patrem, *sed semper, crede fuisse*
Hostem *illius certissimum.*
Tu verò Affinis, *Vir præclarissime, macte.*
Qui omnes Socini *&* Arrii
Detegis errores, infausti & vana refutas
Doctè cerebri somnia.
Nuper pagellas lustravi mente peracti.
Aliquot laboris editas,
Quæ placuere mihi, quo nomine debeo magnas
Tibi à Polonis *gratias.*
Qui maculam abstergis quam Jekermannus *inussit*
Nostræ Orthodoxæ Ecclesiæ.
Vera docere, errores confutare labora;
Fretus Dei Fiduciâ.
Sic Tibi perpetuæ Cumulabis præmia Laudis
Apud Deum termaximum.
Prisco & restitues, depulsò errore, Nitori,
Nostram Orthodoxam Ecclesiam.

o) Doct. Johannis Maccovii Poloni, in Academiâ Franequeranâ Prof. Publ. Collegia Anti-Sociniana.

B.U. Polonus, Ecclesiarum Reformatarum per Majorem Poloniam C.S. & G.P.P.P. scripsit 5. Febr. A. 1654.

Aliud transmissum ab Eodem.

Iekermanniades Batavi dum nuper Amici
Insignem metro vult decorere Librum,
Felle Lycambeo perstrinxit jure Socinum
Non tractari alio nam meret iste modo.

Miror

Miror & hunc Patrem quâ dicat fronte *Polonum*,
Cur tribuat nobis tale Poeta genus?
Absit ut hoc lævo simus genitori profecti,
Absit *Sarmaticum* fœdet ut ille decus.
Est Hostis nobis, Veri quia pessimus Hostis,
Namque Fidem nigrâ polluit ille manu.
Tu satis hoc doctis monstras ARNOLDE, papyris,
Dum Vigil extinguis noxia tela Viri.
Perge ita *Sarmaticæ Vindex* piè scribere *Gentis*,
Et Vindex summi scribere perge Dei.

Refutationi doctiss. Catechesis Racovianæ Majoris Cl. Viri

D. NICOLAI ARNOLDI.

SS. Theol. Doct. & Profess. Acad. Concionatoris Patrui sui ætatem colendi.

O*Sores* ubicunque suos habet ille *Supremus*,
Rosores & habet *pagina sacra* suos.
Oderunt illum steriles pietatis, at hancce
Rodunt, quos sensus, utilitasque latet.
Oderunt illi, quod vindex impia plectat,
Rodunt quod mundus pectora cæca trahat.
ARNOLDUS partes utriusque viriliter urget,
Quem pietas ornat, laudibus egregiis.
Arguit *osores*, *rosores* ille refutat,
Ultra Sauromatas, barbariemque fugat.
Hæc *odisse* nequit Socinus, Marcionitaque,
Ipse nec Arminius *rodere* tanta valet.
Hinc meritò feret meritorum præmia laudum.
Si negat hæc præsens, secla futura dabunt.

Applaudebat

JOH. ARNOLDUS, Polonus.

Ad Clarissimum

D. NICOLAVM ARNOLDVM, hujus Libri Authorem.

VIr pietate valens, Christi quoque strenue miles,
Ortum Militiæ pandere tento tuæ.
Disputet ipse Zoilus: Miles strenuus an sis?
Testibus ex multis, testis & hic liber est.
Quò infligis victo vulnus mortale Socino;
Hinc, quòd sis miles recta sequela docet.
Militiæ, tanti dùm tento militis, ortum
Pandere, ad externas non opus ire vias.
Plurima non fabor, nec magna volumina volvam;
Namque tuum proprium, quod volo, nomen habet.
Tentet, qui dubitat, verùm in partes dividat aquas
Pars prior, in Græcis milite major erit.
Quod Græcis etenim est νίκη, est victoria nobis:
Est Latio NICO, *principe dignus homo.*
Vltima pars est victoris. gratissima laus, vel
Si mavis, populum vocula graja dabit.
Hæc sunt in formâ, quæ vestrum nomen habebat;
Mixta sed his longè litera plura dabit.
Hîc etenim JOVÆ *est nomen, cùi ritè ministras:*
Hîc est, qui ebullit dogmata sacra, LACUS.
Hinc oritur SOL: *hinc quoque lucida* LUNA:
Nunc Lunæ, nunc jam lumina solis habes.
Viola (Flos ruris) hinc suaves spargit odores:
Sic spargis suaves; dulcia verba, sonos.
Sisto pedem: versus quis posset fingere tot, quot
Voces nomen habet, Vir Reverende, tuum.
Mens mea præcipitem me in tantam trusit abyssum
Quærendo metris commoda verba meis.

Raptim, Lubens tamen,
MARTINUS P. NAGY ALMASI.



Caput I.

De Religione, & Scriptura Sacra in genere.

Catechesis.

De Scriptura Sacra.



Quæstio 1. *Dic mihi quid ſit Chriſtiana Religio?*

Reſp. *Eſt via, à Deo, hominibus indicata atque revelata, ad obtinendam vitam æternam.*

Quæſt. 2. *Ubi nam illa via eſt indicata ac revelata?*

Reſp. *In Scripturâ ſacrâ, præcipuè verò in Novo Teſtamento.*

Quæſt. 3. *Suntne verò alia quædam ſcripta Sacra, præter Novum Teſtamentum?*

Reſp. *Etiam, ſunt alia.*

Quæſt. 4. *Quæ ergo?*

Reſp. *Scripta Veteris Teſtamenti.*

Refutatio.

I. Quatuor his quæſtionibus hæc continentur. *Primâ*, Religionis definitio, *Secundâ*, Viæ Salutis indicatio. *Tertiâ*, Scriptorum quorundam Sacrorum, præter ea, quæ ſunt Novi Teſtamenti, generalis aſſertio. *Quartâ*, eorundem ſpecificatio. Sequemur Catecheten

cheten pede pressim, ac dicemus ad singula, quæ rei satisfacient.

II. Religioni, in definitione, etsi genus metaphoricum, *Viam* scilicet adsignaverit; quia tamen cum scriptura loquitur, quæ religionem sermone Hebræo דֶּרֶךְ *Judic. 2. 17.* Græco ὁδὸν *Act. 19. 23. Act. 22. 4.* Latino *viam salutis Act. 16. 17.* nuncupat, non improbamus. Religionen veram profitentes, viatoribus passim assimilantur in scriptura, eò quòd iis in religionis stadio subsistendum non sit, sed cursu indefesso ad cognitionis metam contendendum; ne, dum in via religionis non progrediuntur, retrocedere judicentur.

III. Ad differentiam, quâ dicit, *Religionem esse viam revelatam, & in verbo patefactam*, censeo notandum esse, autorem Catecheseos obliquè voluisse negare omnem Theologiam naturalem, cujus objectum, sive effectum est religio naturalis: omnemque religionem *tantum esse patefactam per scripturam*, adeoque, nullam dari cognitionem Dei, ex principiis naturalibus & libro naturæ, nihil etiam religionis ex naturæ theatro addisci posse. Largimur verò ultro, cognitionem Religionis, quæ ex natura est, *insufficientem* esse ad salutem, cum natura præcipua salutis mysteria ignoret. Interim eò quod *sufficiens* non sit, *nullam* eam esse, inficiamur. *Aliquam* religionis cognitionem, etiam ex naturæ fontibus hauriri posse, contra Socinum *lib. de Auctor. scrip. cap. 11.* apertè negantem, atque Catecheten nostrum dissimulantem, statuimus.

IV. Idque; Quia imago Dei etiam post lapsum in homine est superstes, non diffitente id ipso Smalcio, *Catechef.* Cap. *de via salutis, quæst. 3.* ex *Gen. 9. 6.* & *Jacob. 3. 9.* Quæ imago etsi per lapsum valde sit depravata, tamen rudera & reliquiæ ejus, hæc suppeditant religionis fundamenta.

1. *Deum esse.* Hinc Apostolus gentes non accusat quòd Deum vel ignorarint vel negarint penitus; sed quòd gloriam ejus, in imaginem corruptibilis hominis mutarint. *Rom. 1. 23.* Illud enim quod Socinus sibi à Franciscano Monacho Pistoriensi relatum dicit, de Populis Deum nullum cognoscentibus, ut fabulosum est, ita invictis argumentis ab authoribus gravissimis, qui de Atheis ex professo scripserunt, refutatum. Et barbarissimæ etiam gentes, ut se non omnino irreligiosas testentur quidvis potius, etiam indignum, ac vile, pro Deo habent, quàm ut crimen atheismi sibi impingi patiantur.

2. *Deum religiose colendum,* Hine templa, sacella, idola, altaria, quandoque etiam ignotis diis erecta

cta *Act.* 17.23. Hinc cultu divino affecti à Galatis qui naturâ Dii non erant. *Gal.* 4.8.

3. *Deum cultu spirituali interno cordis colendum.* Hinc illud *Catonis.*

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.
Hic tibi præcipuè, sit pura mente colendus.

4. *Hunc Deum esse bonum sanctum;* ob legem, quam homines naturales sentiunt cordibus suis insculptam, sanctam, bonam. *Rom.* 2. 15.

5. *Hunc Deum esse boni remuneratorem, mali verò vindicem;* testante id accusatione atque excusatione conscientiæ eorum. *Rom.* 2. 15.

6. *Hinc etiam homo naturalis facit, quæ legis sunt.* Quæ est naturalis istius religionis praxis.

Cum autem Deus hominem religione Christianâ imbuit per scripturam, non tabulam rasam facit eum, ut penitus istas reliquias aboleat, quo eum ita suscipiendæ religioni revelatæ, habilem reddat. Verùm, *eas*, religione per scripturam revelatâ excolit & perficit.

VI. Scio quid hic prætendere soleant.

Primo, *Ajunt*. Deum esse, id haberi ex fide. *Heb.* 11. 6. Ergo non ex natura. *Resp* Subordinata non pugnare. Potest aliquid esse fidei atque revelationis divinæ, quod tamen ipsum etiam ex naturalibus principiis innotescit. v. g. Mundum ex non apparentibus, vel non existentibus, factum esse, ex fide habetur *Heb.* 11. 3. *Per fidem intelligimus mundum compactum esse* &c. Et tamen id ipsum naturaliter quoque evinci potest.

VII. *Secundò* illud *Psal.* 14. 1. *Dixit stultus in corde suo, non est Deus,* perpetuò in ore habent. Sed *Resp.* Dicere id impium 1. ex *Voto* non ex *Opinione*, seu quod idem est ratione *conatus*, non *assensu*. 2. *Opere* non *corde*, *vitâ profanâ*, non *conscientiâ*. 3. Ratione *providentiæ*, non *essentiæ* Dei.

VIII. *Tertiò*, eo rem confectam autumant, si ex Vorstio, argumententur: Naturale semper & omnibus inest. Atqui religio nec semper nec omnibus inest v. g. infantibus. E. *Resp.* Aliquid naturale dici, non quod *actu* & *semper* insit omnibus ac singulis, sed quod *facultate* inest, & quod scilicet in omnibus, sua sponte, etiam nemine docente, sese exerit. Et sic naturalis est religio. Quemadmodum ergo ratio homini non desinit naturalis esse, etsi eam infans propter instrumentorum imbecillitatem testatam dare nequeat: Sic etiam religio non desinit naturalis esse, quantumvis non in omnibus individuis & semper sese manifestet.

IX. Quæ Catecheseos autor ad illustrationem religionis revelatæ à causa efficiente *Deo* scilicet à subjecto, *hominibus*; à fine *ad obtinendam vitam æternam*, adfert, non

malè se habent. Deus enim ea, quæ ad perfectionem & complementum religionis ejus, quæ ex natura discitur, faciunt, revelavit. *Prout divina vis ipsius omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem illius, qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem.* 2. Pet. 1. 3. *Hominibus* etiam hæc via patefacta est; quia Angelos, qui membra corporis Christi mystici non sunt, minimè spectat. Is etiam est finis, viæ istius revelatæ, quem innuit Catechetes, intermedius. Ultimus enim est gloria Dei. Verùm pergit quærere Racovianus.

Ubi illa via est revelata atque patefacta?
Resp. *In scriptura sacra, præcipuè in N. T.*

X. Quod viam salutis *in scriptura* revelatam esse dicit, probamus; sed ex eo, quod addit, *præcipuè in Novo Testamento*, erroris crassi, si non blasphemiæ, quin eum arguamus, non possumus; quid enim sibi velit istis verbis, *præcipuè in Novo Testamento* planum facit, Cap. 1. *de scripturæ certitudine quæst.* 14. *Quod his nec ullis aliis libris Christiana religio comprehensa sit.* Statuit nimirum, Christianis sub N. T. non esse necessarium usum & lectionem V. T. Quod falsum esse sic evinco.

XI. Religio Christiana partim in *theoria* partim in *praxi* consistit. In *theoria* Joh. 17. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant* &c. in *praxi* secundùm illud Salvatoris: *Non qui dicit, Domine, Domine, sed qui facit quod vult Pater meus* &c. Mat. 7. 21. *Non servus sciens, sed faciens* &c. *Estote factores verbi* &c. Jacob. 1. 22. Hinc sic argumentor.

XII. Quod tum ad theoriam tum ad praxin Christianæ religionis facit, illud sub Novo testamento est necessarium. Atqui scriptura Vet. Test. facit tum ad Theoriam tum ad praxin Religionis Christianæ. Ergo scriptura Vet. Test. sub novo testamento est necessaria. Major patet ex hypothesi præsupposita. Minorem probo per partes.

XIII. Ratione *Theoriæ* necessitatem Veteris Testamenti scripturæ probo, tum ratione omnium Christianorum in *genere*, tum ratione Docentium in *Specie*.

XIV. Ratione omnium *in genere* sic. Sine quo Christianus conscientiæ suæ fluctuanti de veritate Messiatus Christi satisfacere nequit, id omni Christiano est necessarium. Atqui sine scriptura Veteris Test. Christianus fluctuanti conscientiæ, de veritate Messiatus Christi satisfacere nequit. Ergo.

XV. 2. Si præter Vet. Test. scrip-

scripturam nullum detur tertium, quo Judæi increduli de veritate Messiæ nostri efficaciùs convinci possint; Ergo Vet. Test. scriptura sub Novo Testamento est necessaria. Verum prius. Ergo & posterius. *Dicas*: Aliunde petenda sunt argumenta contra Judæos. Unde verò? Ex Novo testamento. At hoc ille non admittit. Ergo quid? Contra negantem principia non est disputandum inquis. Ajo; Ex iis scilicet, quæ negat. Interea, disputandum est ex iis, quæ admittit, & illi tecum sunt communia. Quæ, cum alia non sint, quàm Vet. Test. quomodo ergo scriptura Vet. Test. sub Novo non necessariâ? Imprudenter ergo Catechetes Socinianus, Christianis arma, quibus iis contra Judæos dimicandum est, eripit.

XVI. 3. Doctrina de Creatione universi, de lapsu hominis, de legibus ceremonialibus, est homini Christiano necessaria. Atqui scientia horum non nisi ex Vet. Test. haberi potest. Ergo scriptura Vet. Test. Christiano est necessaria. Major certa est. Nam quomodo Christianus credet in Deum creatorem cœli & terræ, nisi de Creatione ex Vet. Test. fuerit edoctus? quomodo idem de restauratione sua, ex lapsu, erit sollicitus, nisi illi de lapsu suo in Adamo, ex Genesios Historia constiterit? quomodo idem sibi de felicitate, facilitate, jucunditate religionis Novi Testam. gratulabitur nisi illi molestus ille, sumptuosus ille ceremoniarum cultus, quem jugum importabile dixit olim Petrus, ex Vet. Test. scriptura fuerit explicatus? Minor quoque manifesta est. Nam de his sparsim tantùm scriptura Novi Test. agit, ut eo ipso necessitatem scripturæ Vet. Test. Christianis commendet.

XVII. Ratione *Docentium* in specie necessitas scripturæ Veteris Test. vel ex eo liquet. Quia plurima sunt in Novo Testamento, quæ nequaquam explicari possent, nisi luce mutuata ex scriptura Vet. Testamenti. Et quam quæso explicationem vel ipse Socinus, Smalcius, in explicandis scripturis sc. coriphæi adferent ad locum vel unicum Joh. 3. 14. etsi centum tales dare possem. *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita* &c. Nisi facem illis scriptura Vet. Testam. protasin istam circumstantialiter referens, præferret?

XVIII. Jam ad praxin quoque Christianam, scripturam Vet. Test. necessariam esse ostendo. Quia ex ea, fideles N. T. infinita habent exempla, argumenta, fragilitatis, pronitatis ad peccandum, infirmitatis &c. exempla item, spei, fidei, Charitatis, pœnitentiæ, humiliationis, precum, tentationum, luctarum, remissionis peccatorum, gra-

gratitudinis, zeli in cultu Dei, tum externo, tum interno, &c. quæ etiamsi in Novo quoque Testamento sint affatim, tamen Deus utriusque Testamenti exemplorum gratâ varietate, populum suum Christianum plenius ac planius instruere voluit. Hinc Apostolus 2. *Tim.* 3. 16. *Tota scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem* &c. *ut* perfectus *sit Homo Dei*, ad *omne* opus bonum perfectè *instructus*. Et illud Salvatoris: *memineritis uxoris Lot. Luc.* 17. 33. Si hujus, cur non omnium quibus vetus Test. abundat exemplorum? At quomodo meminisse poterimus, nisi lectio Vet. Test. subinde repetita nobis eadem inculcet?

XIX. Non me latet, quid hîc lenimenti adferre soleant. Nimirum illud Socini, quod habet cap. 1. *de auctor. script.* Esse quidem lectionem Vet. Test. plures ob caussas *utilem*, non tamen *necessariam*; quam quidem distinctionem confingendi forte illi occasio fuit, modo allegatus Apostoli sermo, quo dixerat, totam scripturam esse *utilem*. Non autem quod utile est, eo ipso quia utile, necessarium. Verum effugium hoc planè frivolum est. Equidem non ita pueriliter hallucinamur, ut statuamus omne utile necessarium esse; Dari tamen utilitatem aliquam, quæ cum necessitate convertitur clarius est, quàm ut à quopiam negari possit. In theologia: Pietas est ad omnia utilis 1. *Tim.* 4. 8. sed ita utilis ut simul sit necessaria. In Oeconomia: Cibus est utilis sed ita utilis, ut etiam sit necessarius. Loqui autem Apostolum hoc loco de tali utilitate, quæ simul necessitatem importet, liquet; quia agit de omnibus in universum tam Novi, quàm Vet. Testamenti scripturis. Ergo, aut de Novi Test. quoque scripturis, ex eo dicat utiles tantùm esse, & non necessarias; aut rationem det Socinianus, cur ex eodem loco illarum & necessitatem & utilitatem, harum verò utilitatem tantùm agnoscat.

XX. *Inquiunt*. Abrogatum est Vetus Testamentum. Ergo non est necessarium. *Resp.* Aliud est vetus fœdus operum abrogatum esse, aliud Scripturam Vet. Testamenti abrogatam esse. Posterius falsum est, prius verum. *Instant*. At velamen Mosis per Christum sublatum est. 2. Cor. 3. 14. *Resp.* Per velamen non Legem Mosis intelligi, sed duritiem atque cæcitatem Judæorum; quæ per conversionem ad Deum tollitur. ℣. 16. *Deinde*. Dato non concesso, per velamen legem Mosis intelligi, nondum evincit hæreticus, quod vult. Quia dicam abrogatam esse legem Mosis, non quam-

quamcunque, sed *Ceremonialem*, eamque non quoad usum *Historicum*, sed *typicum* ac *significativum* tantum, *Denique*, Dato & hoc, sed non concesso, leges Mosis penitus abrogatas, & simpliciter abolitas, an ideo scripta omnia Vet. Test. abolita? Minimè. Etiam in ipso Mose quędam sunt, quæ ad essentiam istarum legum non faciunt, v. g. Historia creationis, diluvii, Patriarcharum, &c. Et ut hoc addam, quis nescit scripta Vet. Test. etiam ab ipsis Hebræis dividi in תורה *legem*, נביאים *Prophetas*, (quorum alii ראשונים *priores*, alii אחרונים *Posteriores*) & כתובים *Hagiographa*, quo & Christus respexit *Luc. 24. 44. Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege, Prophetis, & Psalmis.* Legibus ergo abolitis, non aboliretur hoc quod Prophetis & Hagiographis contentum, Christianis scitu lectuque est necessarium.

Quæst. 3. *Vtrumne præter istas scripturas (puta N. T.) aliæ quædam sint?*

Resp. *Imò sunt aliæ.*

Quæst. 4. *Quæ igitur?* Resp. *Scripturæ Vet. Test.*

XXI. At quid quærere opus erat de aliis scripturis præter eas quæ sunt N. T. cum discipulum ita rudem, suspensum, absque ulla de scriptis istis informatione, quâ vel illarum necessitas nulla assereretur, vel utilitas aliqua adstrueretur, dimittere animus erat. Forte veritus est, ne rueret invetitum, cuperetque negata; vel si de utilitate aliqua earum dissereret, eas sibi ita haberet commendatas, ut eas nocturna versando manu, versando diurna, ex iis Christi divinitatem æternam, sacrificium ejus non tantum *exemplare* sed & meritorium, expiatorium, vice nostri peractum, addisceret.

Caput. II.

De Scripturæ Certitudine.

Quæstio. 1. *Unde scis scripturas N. atque Veteris Testamenti certas esse?*

Resp.

Resp. *Inde, quod non tantùm nulla causa sit, ob quam de iis dubitari possit; verùm etiam, quod omnino prægnans sit ratio, ex qua earundem certitudo (quantum subjecta materia patitur) sufficienter demonstari potest.*

Quæst. 2. *Quomodo id edoces, quod nulla causa sit, ob quam de his scriptis dubitari possit; & primò quidem, quod attinet scripta Novi Testamenti?*

Resp. *Hoc modo, quia, quantùm colligi potest, quatuor sunt causæ, ob quas meritò de certitudine libri alicujus dubitatur, quarum nulli hic locus est.*

Quæst. 3. *Quænam sunt quatuor istæ causæ.*

Resp. *Prima est, quando ignoratur, quis libri, de quo agitur, auctor sit. Secunda, si auctor libri suspectus sit. Tertia; si suspicio sit librum aliquá ratione depravatum esse. Quarta, quando certa testimonia adsunt, ob quæ libro isti fides minus adhibenda sit.*

Quæst. 4. *Ostende mihi, qua ratione primæ causæ hic nullus locus sit.*

Resp. *Ita, quia à principio religionis, quæ per Christum est revelata, huc usque, omnes illi, qui eam religionem professi sunt, quanquam in multis, religionem istam concernentibus, dissenserint, tamen in eo planè inter eos convenit, nec ullum illis dubium fuit, scriptine fuerint libri illi, ab iis, quorum nomine prodiere. Adeo, ut, illi, qui de his autoribus vel scriptoribus dubitare velit, certæ causæ producendæ sint, ob quas huic universo consensui obniteretur.*

Quæst.

Quæſt. 5. *Nonne verò antiquitus de aliquibus horum auctorum dubitatum eſt.*

Reſp. *Verùm equidem, de aliquibus dubitatum eſſe; ſed quia illi dubitantes nullam talis dubii attulerunt juſtam cauſam, ceſſare debuit dubitatio illa.*

Quæſt. 6. *Cur ſecundæ cauſæ hìc locus nullus eſt?*

Reſp. *Ideo quia dum auctor vel ſcriptor alicujus libri ſuſpectus eſſe debet, fit hoc vel ideo, quòd res, de quibus ſcribit non probè habuerit cognitas. vel, quòd eas non ita deſcripſerit, prout illi cognitæ fuerùnt: vel denique, quod hoc ex ipſiuſmet libris propriis deprehendi poſſit. Quod attinet ſcriptores horum librorum, nulla harum cauſarum in iis locum habet, quemadmodum tibi id de unaquaque in ſpecie demonſtrabo.*

Quæſt. 7. *Demonſtra mihi primò de prima?*

Reſp. *Quod concernit ſcientiam ſcriptorum iſtorum, ea nequaquam ſuſpecta eſſe poteſt. Quia, aliqui ex iis, ea, oculis ſuis viderunt, ac auribus ſuis audiverunt, quæ ſcriptis comprehenderunt: reliqui verò ab iſtis, in iis rebus fundamentaliter ſunt inſtructi.*

Quæſt. 8. *Demonſtra mihi id ipſum de ſecundâ causâ?*

Reſp. *Fides horum ſcriptorum ex eo ſe probat, quòd non tantùm Chriſtiani fuerint, ſed etiam primi Doctores Chriſtianæ religionis, quæ nequaquam patitur, ut aliquis eorum vel in minimis mentiatur, taceo in re tanta, quæ univerſum mundum in errorem abducere poſſet.*

Quæst. 9. *Quomodo mihi id demonstras de tertia causa?*

Resp. *Tertiam rationem hinc colligere potes, quod in scriptorum horum libris nihil planè est, quod vel sibimet contrarium, vel etiam falsum sit, ut ex diligenti examine istorum locorum, in quibus videri possit, tale quid esse, facile colligi potest.*

Quæst. 10. *Iam mihi demonstrasti, quare duabus ex quatuor causis hîc locus nullus sit, ut de his libris dubitari possit: Iam mihi demonstra, quomodo tertia causa hîc locum non habeat?*

Resp. *Tertia causa ob quam de libro aliquo dubitamus est depravatio libri, quæ si in hisce libris foret, vel in universa scriptura, vel in parte ejus poneretur. In universa scriptura quidem esse nequit, quia tum horum scriptorum Auctores non fuissent, qui supra memorantur. Si verò hæc depravatio in parte aliqua daretur, vel in ejusmodi rebus ea foret; quæ magni momenti sunt vel minoris. In rebus magni momenti esse nequit, quoniam depravata illa particula latere non posset, quia illud cum aliis evidentissimè non convenit. Si autem depravatio ejusmodi in rebus minoris momenti haberetur, illud nullo pacto librum istum in suspicionem adducere posset, vel in dubium.*

Quæst. 11. *Annon etiam alio pacto probari posset, hosce libros non esse corruptos?*

Resp. *Sic probari potest, nempe quod impossibile sit Deum, cujus bonitas & providentia infinita est, qui humano generi seipsum,*

sum, & voluntatem suam, ac universam salutis viam, hiscè in libris revelavit, quiquè ideo ab omnibus piis, à tot sæculis pro talibus libris habiti sunt, permisisse, illos alicubi depravatos esse.

Quæst. 12. *Quomodo autem quarta & ultima causa hîc locum nullum habet?*

Resp. *Hoc facilè colligere potes ex eo, quoniam nullus est mortalium fide dignus, qui aliquid contra hos libros testari possit.*

I. PLausibilia ac speciosa sunt, quæ Autor Catecheseos, quæstionibus istis, ad probandam scripturæ divinæ certitudinem adfert: & socias videtur velle nobiscum jungere manus, ad vindicandam Scripturæ divinitatem, contra Pontificios, qui eam authoritatem atq; certitudinem suam, jure concesso, & tantùm non emendicato, ab Ecclesia, id est, à Papa, habere contendunt. Verum-tamen, discursu hoc dialogistico penitiùs inspecto, reperiuntur satis multa, quæ absque censura nequaquam dimitti possunt.

II. Primum quod notamus est ad *quæst. 4.* quâ auctor Catecheseos, religionis Christianæ initia & originem, à Christo homine nato ducit. Ita enim prima verba quæstionis habent: *quia ab initio religionis, quæ per Christum revelata.* Quasi vero ante Christum, Christiana non fuisset Patrum religio, saltem quoad *essentiam*, etsi non quoad *denominationem*, ac *nomenclaturam*. Christum hominem natum primum Euangelii præconem fuisse, eumque primum beatæ immortalitatis consequendæ rationem mundo patefecisse, injurium est in gratiam Dei, secundùm quam etiam sub Vet. Test. Ecclesiam habuit spe Messiæ ut viventem, ita salvatam, commentum. Certè ubi Christus prædicatur ibi Christiana est religio. Atqui in Veteri Testamento prædicatus est Christus. Vide sis, *Joh. 5. vs. 46.* Si crederetis Mosi, crederetis mihi, nam ille de me scripsit. *Act. 10. 43. Huic etiam omnes Prophetæ Testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum, per nomen ejus, quemvis qui credit in eum.* Paulus etiam dicit *1. Cor. 2. 2.* se non statuisse quicquam scire nisi Jesum Christum, eumque crucifixum confer *Act. 20. 27.* ubi dicit se

revelasse omne consilium Dei, id est omnem viam salutis, omnem religionem Christianam & tamen dicit idem Paulus *Act. 26. 22* se nihil *quicquam dixisse extra ea quæ Moses & Prophetæ futura prædixerant.* His adde illud Petri *Act. 15. 11. Imò per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos*, scilicet Patres. Hinc: Ubi eadem salutis via, ibi eadem religio. Atqui utrinque in Vet. scilicet & Novo Testamento eadem salutis via. Ergo utrinque etiam eadem religio, Major liquet vel ex descriptione religionis Sociniana, quæ religionem, nec malè, dicit esse *viam salutis.* Minor liquet à textu allegato.

III. Non nescio quo collimet Catecheseos auctor, ad illud scilicet. *Joh. 1. 17. Lex per Mosem data gratia verò & veritas per Christum præstita est.* Verum hoc loco non evincit, religionem Christianam, quæ Socinianis *gratiæ* & *veritatis* nomine venit, ante Christum hominem natum non fuisse. Quia dicitur sæpius in scriptura aliquid fieri, cum manifestatur clarius, atque illustrius redditur; Sic hic gratia Dei in Christo, & veritas illa typica ceremoniis Mosaicis adumbrata, per Christum, si ita loqui licet, reificata est, atque sic multo illustrior reddita, ut quasi facta dici possit. Et hoc vult locus allegatus, quo continetur descriptio præstantiæ atque dignitatis Christi præ Mose; quam quidem probat Euangelista ab effectu Christi præstantiore. *Per Mosen* inquit *lex data est*, tum *moralis*, tum *ceremonialis*. *Illa* ostendit malum & *culpæ* & *pœnæ*, sed nullum contra utrumque remedium. *Hæc* redemptionis gratiam significavit, sed significavit tantum; hinc ceremoniæ legis *umbra rerum futurarum dictæ*, *Col. 2. 7.* Loquutus ergo est Moses in lege quam dederat de *gratia* & *veritate*, sed obscurius. *Gratia* autem & veritas per Christum non tantum, *data*, quemadmodum lex per Mosen ut ministrum, sed & *præstita* ut signanter dicit Euangelista. Respicit *gratia* legem moralem eique annexam maledictionis comminationem, quam, quia lex non potuit, Christus sustulit: ac passione morte suâ nobis hanc gratiam fecit, ut maledictionem legis, pro nobis perferens, nos ab ea eximeret, Gal. 3. 13. suaque usque ad mortem obedientiâ *Phil. 2. 8.* perfectâ justitiâ pro nobis ad salutem præstitâ, nobisque per fidem donatâ, justos nos constitueret, atque jus vitæ æternæ conferret. *Rom. 5. 17. 18. 19.* Quod omne cum meritorium sit, non tantum ad eos, qui post Christi tempora futuri erant, restringi debet; sed etiam ad eos, qui ante ea vixerunt

runt tempora extendendum est; ut id ratio causæ meritoriæ postulat; quæ effectum habere potest, etiamsi non existat actu, modo esse ejus aliquando certum futurum sit.

IV. *Veritas* per Christum facta, legi ceremoniali subordinatur. Quod Christus sc. veritatem illam typicam, & ceremoniis adumbratam, jam reificaverit. Hinc prout ceremoniæ *umbra* dicuntur; ita Christus dicitur *corpus*, *Col.* 2. 17. prout ceremoniæ dicuntur ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, exemplaria sive figuræ verorum *Hebr.* 9. 24 Ita Christus se ipsum veritatem dicit, *Joh.* 14. *vs.* 6. quia scilicet in se omnes promissiones *Amen* erant, omnesque typi in se verificati ac completi. Quibus sic explicatis, luce meridianâ clarius est, præsuppositum illud Smalcii falsum esse. Fuit enim Religio Christiana ante Christũ, quia fuit & *gratia* & *veritas*. *Illa* quidem *ratione extensionis* meriti Christi etiam ad Patres, tum adhuc exhibendi. Hæc *ratione multifaria adumbrationis*. Quæ quidem tum *gratia* tum *veritas* per Christum facta dicitur, non quòd antea nullum ejus fuerit vel vola vel vestigium; sed quòd gratiam promissam, veritatem adumbratam, adventu suo clariorem, illustriorem quinimò & certiorem reddiderit.

V. Porro, an illud, quod autor Catecheseos eadem *Quæst.* 4. dicit, *de scripturarum certitudine ideo non esse dubitandum*, sive quod idem est, scripturas esse auctoritatis divinæ, *quod libri sacri eos habeant auctores, quorum nomine prodiere, quodque hactenus de eo à Christiana religionis Cultoribus non fuerit dubitatum*, ἀκρίβειαν theologicam sustinere possit, dubito. Argumentum tale erit: Qui libri Mosen, Josuam, Samuelem, Esaiam, Matthæum, Paulum, Petrum, habent auctores, illi certi sunt certitudine divina. Atqui libri scripturæ illos habent auctores. Ergo certi sunt certitudine divina. Ego consequentiam Majoris nego. I. Quia credere aliquem librum scripturæ, habere hunc vel illum Prophetam, Euangelistam, Apostolum, autorem, non est de essentia fidei salvificæ: nec is meo judicio periclitaretur de salute, qui de libri alicujus authore dubitans, interim librum ipsum pro divino, pro Canonico agnosceret. Fide historica credimus, hos & non alios istorum librorum auctores. Quod verò nec de essentiâ libri, nec de essentiâ fidei savificæ est, id nequaquam apodicticum argumentum certitudinis divinæ pro aliquo librorum facit.

VI. 2. Quia, si aliquis liber est certitudinis divinæ, eò quòd Esaiam, Jeremiam, Mathæum, Johannem, &c. habent authorem,

tum omnes libri quotquot ab istis Viris Propheticis Apostolicis scripti fuerunt, ejusdem cum his, quos habemus libris, certitudinis forent. Dubium enim non est, quin aliqui eorum plura scripserint, quàm Canone Hebræo & Græco nobis traditum est. Saltem Salomonem præter Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, scripsisse ter mille sententias, cantica quinque supra mille, itemque Physica quædam, de jumentis, plantis, reptilibus ex *1. Reg. 4. 32, 33.* non improbabile est. Anne hæc, si jam extarent, certitudinis ejusdem essent cum reliquis authenticis Salomonis libris, quia Salomonem tam hi, quàm illi autorem agnoscerent? Nec tamen hæc ita intellecta volumus, ac si de authore hujus vel illius libri sacri dubitaremus, aut ullum ex libris sacris canonicis periisse censeremus; minimè. Sed tantùm, ut ostendamus, infirmis Smalcium pugnare argumentis, pro certitudine scripturarum, cum firmioribus non destituamur in re tam gravi.

VII. Et illud quod *quæst. 7.* pro scripturarum certitudine promit, non majoris est roboris. *Scripta sacra non possunt esse suspecta*, quia *scientia auctorum suspecta non est.* Hæc verò non est suspecta; *quia quidam ex iis, ea, quæ oculis suis viderunt, auribus suis audiverunt, scriptis comprehenderunt. Reliqui verò ab istis*, (scilicet qui visa & audita scripserunt) *in his rebus fundamentaliter sunt instituti.* Non voco in dubium scientiam scriptorum sacrorum, quippe à Spiritu Sancto immediatè sunt edocti, atque in omnem veritatem ducti. Verùm eò non assurgit auctor Catecheseos, scientiam illis scriptoribus tantùm videtur tribuere experimentalem, habitualem crebris actionibus acquisitam; quia, inquit, scripserunt quidam quæ viderunt, audiverunt, quidam verò ea, quæ ab istis didicerunt. Judicium penes lectorem esto, an talis scientia ex auditu & visu tantùm nata, in aliis verò merè Disciplinaris, sufficiens sit, ad concinnandum scriptum tale, quod divinæ esset certitudinis, quod norma fidei morumque esset perfecta, infallibilis. Nequaquam verò censeo sufficere, ad hoc, ut scriptum aliquod sit divinæ certitudinis, ut is qui illud scripsit, fuerit oculatùs vel auritus testis ejus, quod scripsit; multominus, ut is qui librum sacrum scribit, illud quod scribit, habeat ex mera institutione illius, qui id vidit & audivit. 1. Quia scripturæ sacræ non tantùm nihil habebunt, præ scriptis Historicis Civilibus, sed & infra eorum dignitatem collocabuntur, quippe ad quorum exarationem plura quandoque requiruntur.

2. Quia requiritur mandatum scri-

ſcribendi divinum; quemadmodum enim nemo ſibi ſumit honorem ſacerdotis: ſed qui vocatur à Deo; ita quoque nemo ſibi ſumit honorem ſcriptoris divini, præſertim N. T. de quo jam agimus, niſi cui dictum, ite, docete, quâ poſteriori voce genericâ, doctrina tam quæ ſcripto, quàm quæ voce fit, mandatur. 3. Quia præter mandatum ſcribendi etiam requiritur inſpiratio divina rei ſcribendæ, tum quoad materiam tum quoad formam (quæ demum eſt vera ſcientia) & eo ſenſu Johannem dixiſſe putem *Epiſt. 1. cap. 1. quod oculis noſtris ſpectavimus*, &c.

VIII. Deinde abſurdiſſimè autor Catecheſeos duplices fingit ſcriptores ſacros; quoſdam ſcilicet qui viſa & audita ſcripſere, alios verò qui relata tantùm, & de quibus ſufficienter ab aliis fuerunt inſtructi. Sequetur hinc majorem fidem deberi iis, qui prioris ſunt ordinis, quàm iis, qui poſterioris. Somnia iſta ſunt Sociniana. Spiritus unus idemque veritatis, omnes in univerſum ſcriptores ſacros, in veritatem tum dicendorum, tum ſcribendorum duxit, immediateque utriſque inſpiravit quicquid ſcriptorum canonicorum reliquerunt. *Math.* 10. 19. 20. 2. *Petr.* 1. 21. Ita ut nullus ſcriptorum ſacrorum cenſendus ſit quippiam ſcripſiſſe, vel viſum vel auditum, quâ tale; vel relatum ab alio, quâ tale; ſed quâ revelatum & inſpiratum à Deo. 2. *Tim.* 3. 16.

IX. Et illud argumentum, quod *Quæſt.* 8. à fide auctorum ſacrorum author Catecheſeos ſumit, non eſt ſine vitio. Præterquam enim quod falſam hypotheſin præſupponit, Apoſtolos ſcilicet fuiſſe primos religionis Chriſtianæ authores, quaſi verò ante eos Chriſtiana non fuerit religio, quoad eſſentialia, ut paulò ante dictum. Argumentum tale eſt. Quod profectum eſt à Chriſtianis & Chriſtianæ religionis primis Doctoribus, illud certum eſt certitudine divina. At Scriptura Novi teſtamenti à talibus profecta eſt. Ergo certa certitudine divina. *Reſp.* Atqui & Chriſtiani & Chriſtiani doctores ſunt homines & qua tales mendaces, quid verò ab his talibus quâ talibus proficiſci poſſit, vel illud tritum in vulgus axioma docet: *Qualis cauſa, talis effectus.* Nec illud quicquam roboris addit argumento, quod autor Catecheſeos annectit; *religionem Chriſtianam id non ferre, ut quis mentiatur in minimo, multo minus in re tanta, qua univerſum orbem in errorem abducere poſſet.* Quia prout leges Civiles, etſi non ferant ſcelera, quæ contra eas patrantur, quis tamen non videt, multos vivere ſceleratos qui legibus iſtis vim faciunt?

faciunt? Leges bonæ sunt, sed mores hominum pravi, imò pessimi. Religio quoque mendacium non fert, nec in minimis, nec in maximis. Interim quotusquisque Christianorum hujus sceleris cum Anania & Zapphira reus est? Consideratis ergo Scriptoribus sacris, quâ hominibus, quâ Christianis, etiam quâ Doctoribus, præsertim tentationibus Sathanæ obnoxiis, & succumbere aptis natis, nonne mendacium & gravius quid in eos cadit? Petrum scriptorem divinum cogita. Adeo ut & hoc argumentum pro scripturæ certitudine, à fide auctorum Scripturæ desumptum, quia Christiani, quia primi (ut cum Smalcio loquar) Doctores religionis Christianæ, infirmius sit, quàm ut cuipiam certitudinem Scripturæ Sacræ persuadere possit. Nisi supra hanc sphæram Christianismi, doctoratus, ad magisterium S. Sancti assurgat, sine quo ne fidi quidem esse potuerunt *1.Cor.7.25.* nec Christiani, nec Doctores religionis qua tales, multominus auctores scriptorum talium, quæ perpetua debuerunt esse Ecclesiæ fidei morumque certa ac in fallibilis norma

X. Cæterùm, nec in ipso Adversario dissimulabimus quæ laude digna habet, quale est argumentum illud pro certitudine scripturarum, quod ducit à carentia omnis veræ contradictionis in Scriptura, *Quæst.9.* itemque alterum à carentia omnis corruptionis & depravationis *Quæst. 10.* quam in Scripturam cadere non posse probat argumento ducto à providentia Dei, *Quæst. 11.* Rectissimè.

XI. Huic tamen tritico puro, zizaniarum aliquid quin admistum sit, dubitare non sinit *Quæst. 10.* qua distinguit res scripturæ in *minoris* & *majoris momenti*; atque in rebus minoris momenti, aliquam posse fieri textus sacri depravationem, non obscurè innuit; ita tamen, ut illa depravatio in minoribus, scripturæ certitudini & integritati nequaquam obesse vel præjudicare queat, *Resp.* Distinctionem illam in re scripturæ nullam esse. 1. Quia *omnis scriptura* ab eodem authore inspirata. *2.Tim. 3.* *Omnia quæ scripta sunt* ad nostri institutionem scripta sunt *Rom. 15.4.* Nec *Iota unum* de lege perire vult Deus, usque dum cœlum & terra peribit. *Matt. 5. vs. 18.* Non male Hyeronimus in *Eph. 3.* *Singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* 2. Et quis hoc mortaliũ præsumere audebit, ut aliquid ex omni eo, quod spiritu S. dictante, scriptum est, minoris momenti esse pronunciet. 3. Lis in infinitum procedet, quod hic minoris alter majoris momenti esse contendet, & contra.

4. Quin-

4. Quinimò ſic omnis certitudo ſcripturæ incerta atque dubia redditur. Quia ſi admittatur, poſſe ſcripturam depravari in iis quæ ſunt minoris momenti; detur ratio cur non & in iis quæ majoris ſint momenti; ac producatur privilegium incorruptibilitatis horum præ illis. 5. Quia ſic quilibet pro placito, hoc vel illud, ſcripturæ majoris ac minoris momenti æſtimabit, quod illi pro verſatili ſuo genio ac ingenio, magis vel minus errori ſuo favere videbitur; & ſic, ut verbo dicam, Scriptura luſus erit.

XII. Præter ea, quæ in ſpecie ad has quæſtiones dicta ſunt, hoc nigrum theta in genere apponendum, reor. Catecheſeos authorem dum de certitudine ſcripturarum differit, argumentaque ducit ab autoribus librorum ſacrorum, eum non loqui de iis ut de hominibus θεοπνεύστοις, ſed tantùm ut de hominibus vulgariter piis ac religioſis, quibus per religionem nil falſi licuit committere, quia Chriſtiani, Doctores, quia rerum gnari, quia fidi. Summa, omne robur argumentorum iſtorum, in ammanuenſibus ſubſidit, in dignitate ammanuenſium ſpiritus ſancti hæret, nullâ factâ mentione principalis authoris, & ammanuenſium iſtorum magiſtri: perinde ſc. ac ſi quis placitorum atque mandatorum ſupremi magiſtratus, robur & vim ligandi, ab ammanuenſibus, quorum operâ ſummates illi uſi ſunt, ſuſpenderet, næ is ſuaviter delitaret? Argumenta autem pro certitudine ſcripturarum his ſolidiora Locorum communium ſcriptores Orthodoxi, loco de Verbo Dei, ſive de Scriptura ſacra, abundè ſuppeditabunt. Nos jam iis recenſendis non immorabimur.

Quæſt. 13. *Quoniam mihi igitur probaſti nullam cauſam eſſe, cur dubitandum ſit de ſcriptis N. Teſt. demonſtra mihi quoque cur iis fides adhiberi debeat.*

Reſp. *Quanquam id ipſum, quòd ſc. cauſa nulla ſit, cur de iſtis libris dubitari debeat, prout tibi jam probavi, non ex exigui momenti argumentum hujus eſſe poſſit, quo iſtis libris fidem habeas: attamen unam adhuc prægnantem cauſam producam, ob*

quam istis libris necessariò credendum sit.

Quæst. 14. *Cedo sodes?*

Resp. *Causa hæc est, quod his, nec ullis aliis libris Christiana religio comprehensa sit. Quæ quoniam vera est, ideo etiam his libris fides adhiberi debet.*

XIII. Hactenus Catecheseos autor de Scripturæ certitudine, negativè disseruit cum Catechumeno suo, cur sc. de ea non sit dubitandum. Jam positivum instituit discursum: cur scripturæ necessariò credendum sit. *Quæst. 13.* proœmialis est & præparatoria ad *Quæst. 14.* Quâ rationem illam sc. prægnantem adfert, ob quam scripturæ Novi Test. credendum sit. *Quia*, inquit, *his, nec ullis aliis libris, Christiana religio comprehensa est, quæ, quia vera est, ideo etiam istis libris credendum est.* Si illi hæc phrasis, *quia his comprehensa est Christiana religio,* æqui polleat isti, quia sunt argumenti divini, non contendo de vi argumenti, utuntur eo & Orthodoxi Theologi.

XIV. Sed illud, his, (scil. Novi Testamenti) *nec ullis aliis libris Christiana religio comprehensa est*, Socinianum, hoc est, hæreticum est. Errorem hunc in antecedentibus perstrinximus quidem, sed nec hîc impunè dimittemus. Dic sodes, ubi Christus promissus fuit, *Gen. 3. 15.* quoad officium Propheticum *Deut. 18. 18.* Sacerdotale *Psal. 110. 4.* Regium *Psalm. 2. 6.* descriptus, Sacrificiis adumbratus, typis tum realibus ut petra illa *1. Cor. 10. 4.* tum personalibus Jona *Matth. 12. 40.* significatus. Item ubi Christus fuit prædicatus: *Nam ille* scil. Moses, *est qui de me scripsit Joh. 5. 46.* &, *huic omnes Prophetæ dant testimonium Act. 10. 43.* Item ubi de Christo & salute per eum sedulò inquisitum est *1. Pet. 1. 10. 11.* Ubi inquam hæc talia, ibi sanè Christiana religio. Atqui ista omnia fuerunt in libris Veteris Testamenti. Ergo falsum est, quod dicit autor Catecheseos religionem Christianam his tantùm (scil. N. Test.) libris, nec ullis aliis comprehensam, siquidem fuit etiam in libris Veteris Test. Hinc Abraham illos Epulonis fratres de Christiana religione ex Mose & Prophetis vult edoceri. *Luc. 16. 29. 31.*

XV. Et verò si in libris Veteris Testamenti religio Christiana comprehensa non fuit, nec Patres eam, quoad essentialia habue-

buerunt, & tamen *in alio quopiam præter Christum salus non sit: nec aliud nomen sub cœlo est, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari. Act.4.12.* nec cuiquam detur accessus ad Patrem nisi per Christum, explicet mihi velim Socinianus aliquis Hyperaspistes, quo censu habeat Patres illos, Veteris Testamenti, an pro gentilibus, an verò pro populo Dei eos reputet? prius sat scio, non audebit apertè profiteri, etsi haud melius judicium de iis foveat. Si posterius dixerit, fuisse eos populum Dei, eumque non qualemcunque, sed singulariter dilectum, (unde illi modi scripturæ loquendi *Populus quem formavi mihi Esa.43.8. Iacob serve mi, Israel quem elegi* Ibid. *vers. 16,17.*) tum profectò Christiani fuerunt religione. Quia Christus liberaturus erat *populum suum* ex peccatis ipsius. *Matth.1.21.* cui populo se ipsa Ecclesia veteris Testamenti annumerat *Ps.100.3. Agnoscite Iehovam esse Deum, ipsum effecisse nos, (non autem nos ipsos)* populum suum, *gregem pastus sui.*

XVI. Item, dicat, quisquis sit Socinianus, quâ ratione ac modo Patres Veteris Test. fuerint salvati, an legaliter an verò Euangelicè? Non prius, quia *ex operibus legis non justificatur ulla caro. Rom.3.20.* quippe nemo mortalium legi perfectè satisfacit, eò quòd *non sit homo qui non peccet. 1. Reg.8. vs.46.* Ergò posterius, Evangelicè scilic. attestante Petro *Act.15.11. credimus nos salvatum iri sicut & illos.* Ergo per Christum; ergo Christiani; ergo religio Christiana etiam in libris Vet. Testamenti fuit comprehensa; Ergo falsum, quod dicit hæreticus. *His nec ullis aliis libris Christianam religionem comprehendi.* Nisi fortè dicere velit eos Platonicè, Catonicè, salvatos esse; non desunt enim qui his talibus salutem adscribunt. Verùm hoc esset Christianam religionem, quàm tantopere crepant Sociniani, ut per excellentiam Christiani dici velint, depreciare, nihili facere, ac contemtui exponere. Nam si extra religionem Christianam salus est, quæ hîc via libertinismo patet?

XVII. Præsupposito autem hoc tanquam verò (quod falsum esse ostendi,) religionem Christianam Novi tantùm Testamenti libris comprehendi, infert auctor Catecheseos: *Quæ (sc. religio) quia vera est, etiam his libris fides adhibenda est.* Argumentum, nisi fallor, tale erit, Vera religio non potest falsis libris contineri. Atqui Christiana religio est vera religio. Ergo non potest falsis libris conti-

tineri. Quia verò probationem Minoris desiderari præsagiebat animus, eam it probatum *Quæst. 15.*

Quæst. 15. *Quomodo mihi probas Christianam religionem veram esse?*

Resp. *Hoc modo, quod is, qui eam docuit, verè fuerit homo divinus; & quod religio quoque ipsamet divina sit.*

XVIII. Duplex argumentum continet responsio pro veritate religionis Christianæ. *Primum* desumptum ab authore religionis; *Secundum* ab adjuncta religionis qualitate.

XIX. Majorem argumenti admitto; quod à Christo annunciatum est, illud est verum. Atqui religio Christiana à Christo est annunciata. Minor sano sensu quoque est verissima. Quia spiritu Christi etiam essentialia religionis Christianæ in Veteri Testamento, fuerunt prædicata. Functus quippe est Christus munere suo Prophetico etiam in veteri Testamento, tum viros Dei illuminando, tum per eos de via salutis docendo. Catecheseos autor Minorem istam restringit ad Novum Testam. atque adeo reponit crambem, Christum hominem natum, primum fuisse religionis Christianæ autorem, quod falsum esse bis terve à nobis probatum.

XX. Secundo loco notandum est, in priori argumento, quo dicit; *quod is, qui eam docuit, fuerit homo verè divinus*, autorem Catecheseos detrahere Christo, quem enim scriptura *verum Deum 1. Ioh. 5. 20. Deum laudandum in secula. Rom 9. 5.* aliisque nominibus majestatem atque divinitatem æternam indigitantibus, insignit; eum ille quasi per despectum vocitat *hominem divinum* nomenclatura eâ, quâ Spiritus sanctus in designanda persona Christi nusquam usus est. Sed quam ex falsa versione abstracti θεότης Deitas confinxit, vertendo θεότης divinitas, pro Deitas, atque ex hoc abstracto, formando divinus. Verùm Apostolus non ponit θειότητα sed θεότητα, vel πλήρωμα θεότητος. Jam, aliud est θειότης cujus conjugatum est θεῖος: aliud θεότης à θεός. Est & potest esse aliquid divinum, quod tamen ideo non est Deus. Quanquam non inficiamur, etiam vocem θειότης Deitatem sive essentiam & majestatem Creatoris significare

care, *Rom.* 1. 20. quemadmodum τὸ θεῖον *numen* sc. divinum notat. *Act.* 17. 29. Sed hæc minimè juvant Smalcium, quia hanc nomenclaturam Christi, quâ eum divinum hominem nuncupat ex Col. 2. 9. derivat, quemadmodum patet à frontispicio libri, quem de divinitate Jesu Christi scripsit. Prælibat hîc Smalcius ea quæ postmodum prolixè est tractaturus contra æternam Christi divinitatem. Sufficiat ergo & nobis digitum intendisse.

Quæst. 16. *Unde sciam, eum, qui eam (sc. religionem) docuit, fuisse verè divinum hominem.*

Resp. *Inde, quòd divina miracula patravit, quòd ob eam religionem crudelissime trucidatus sit, & quod à Deo à mortuis sit suscitatus.*

XXI. Christum divinum hominem probat. 1. A divinis miraculis. 2. A morte crudeli perpessa. 3. A resuscitatione.

XXII. Dico ad *primum*: Ex eo quòd Christus divina patravit miracula, Sociniani Christum non tantùm divinum hominem, sed revera Deum ipsum in secula benedictum agnoscere deberent jure, eò quòd miracula patrare sit opus solius Dei *Psal* 72. 18.

XXIII. Trium quippe generum sunt miracula. *Primi* generis, ubi nulla materia est substrata, & tamen aliquid fit. *Secundi*, si sit quidem substrata materia, sed in illa nil potentiæ passivæ naturalis. *Tertii*, si sit quidem materia substrata, & adsit quoque potentia naturalis passiva, sed nullum sit agens secundum, quod potentiam illam in actum deducere possit, præter nutum & operationem divinam. Quæ quidem triplicis generis miracula, non nisi à solo Deo præstari possunt. Et quidem ea à Christo præstita probo, unde patebit, eum non tantum divinum hominem, sed & revera Deum esse.

XXIV. Primi generis miraculum est in quinque panibus, quibus Christus infinitam hominum multitudinem pavit. *Johan. cap.* 6. *vers.* 9. Nam illud quod accedebat pani isti, ex quo saturati sunt illi homines; & quod post saturationem collectum fuit, cer-



tè à nihilo accessit; quia in materia non fuit. Hinc quoque refutari possunt Sociniani, negantes creationem ex nihilo ex scriptura probari posse. Dicant enim unde illud quod ultra quinque panes redundavit, provenerit.

XXV. *Secundi generis* miraculum est, quando quidem materia substrata est, sed nulla potentia passiva est in materia, sed merè *obedientionalis*, quam Scholastici *non repugnantiam* vocant; quæque potentia de illa materia dicitur non ratione ipsius *rei*, seu *causa secunda*, sed ratione *causa prima*. Exempla ejusmodi miraculorum sunt in resuscitatione mortuorum, ubi quidem est materia substrata, scilicet cadaver; sed in eo nulla est potentia, nulla dispositio naturalis ad vitam, sed merè tantum obedientionalis, & non repugnantiæ, respectu causæ primæ. verbi gratia in Lazaro jam fœtido *Ioh. 11.* Sic in cœcis quibus à Christo visus est restitutus, fuit quidem materia, sed nulla potentia passiva, se suapte natura ad visum recipiendum disponens, nisi ipsis visus divinâ omnipotentiâ fuisset restitutus. Quia, à privatione totali ad habitum, per causas secundas non datur regressus, sed per primam tantùm.

XXVI. *Tertii* generis miracula sunt, quando est materia & potentia naturalis passiva, sed non est agens secundum, quod istam potentiam in actum deducere posset; qualia miracula sunt, curationes morborum in instanti. In morbis est potentia passiva ad sanitatem, quæ beneficio Medici aliquando benedicente Deo, introduci potest, sed non nisi successivè, quia causa secunda non nisi successivè agit. Deus autem fecit sæpius talia miracula, quibus in momento morbi sublati, viresque subitò restitutæ. Hinc in scriptura quidam à Christo sanati, dicuntur eo ipso momento grabbata sustulisse, atque ambulasse; (quod fieri nequit ab ægro, post sumptam Medici potionem convalescente) ut testatur exemplum illius, qui triginta octo annos ad piscinam Bethesdæ decubuerat *Ioh. 5.* & Socrus Petri, quæ continuò sanata à febri surrexit ac ministravit illis, *Matth. 8.* Hæc omnia istorum trium generum miracula, à sola Dei efficiuntur potentia; & quòniam à Christo effecta sunt, eccur Socinianus Catechetes, Christum ex iis tantùm divinum hominem, non verò ipsum verum Deum agnoscit.

XXVII. Fortè quia in scriptura legit Prophetas, Apostolos quoque miracula edididisse. Verùm illi non fuerunt *efficientes principales* istorum miraculorum. Nam licet

licet Christus Apostolis *potestatem* edendi miracula dederit, *Matth. 10. 8. potestatem* tamen suam, quâ propriè facta miracula, iis non indidit, neque communicavit; sed externum ministerium loquendi, & externa signa adhibendi tradidit: quibus suam efficaciam (ut solus miraculorum author) addidit. Ideoque Prophetæ & Apostoli nec causa instrumentalis propriè dici possunt, nisi per metaphoram. Nam instrumenta propriè sic dicta, sive naturalia, sive artificialia, etsi non sint causæ effecti sui solæ, nec principales, adjuvantes tamen sunt, insitaque suæ vi, ad efficientiam illius aliquid conferunt emolumenti; omne enim instrumentum concurrit cum principali suo agente, ad agendum: ut securis ad sectionem arboris vim suam exerit, quamvis homo eâ secans sit causa principalis. Dicuntur autem Apostoli in edendis miraculis *instrumenta moralia*, eò quòd verbi ministerio testati sint ac significaverint, quid sc. Deus ipsis præsentibus operaretur;& quòd secundùm promissionem, de miraculis per ipsos futuris, à Christo factam, ea, ab ipso impetrarent.

XXVIII. Profitetur id expressissimè Petrus *Act.3.* dum dicit vers.*6. In nomine Jesu Christi Nazarei surge & ambula*, & postmodum ad eos, qui super hoc miraculo ex pavefacti erant ꝟs. *12, 13. Quid intentos oculos in Nos habetis, qua si propriâ potestate aut pietate effecerimus ut hic ambulet? Deus ille Abrahami, Isaaci, Iacobi Deus Patrum nostrorum glorificavit filium suum Iesum* &c. Item *Act.9.34.* Petrus sanationis illud miraculum in Ænea patratum à se amolitur: *Ænea*, inquit, *sanat te Iesus.* Tantùm ergo abest ut Apostoli gloriam effectorum miraculorum sibi arrogarint, ut potius tale quid de se suspicantes, de errore admonuerint, eosque ad Deum tanquam primum & principalem effectorem manuduxerint. Adeo ut verba Prophetarum & Apostolorum, ad quæ miracula facta fuisse dicuntur, *indicantia* tantùm fuerint, quid Deus tum faceret, non verò physicè *operantia.* Ideo inquit Elisæus *2. Reg.2. 21. Sic ait Iehova; sano aquam hanc.*

XXIX. Quam quidem inter miracula Christi & Apostolorum differentiam, vel ex eò manifestè palpare licet; quòd Christus in patrandis miraculis ferè ubique imperatoriâ potestate, atque authoritativè mandantis voce usus fuerit, v. g. Dum Lazarum à mortuis revocaret, cum imperio dixit; *Lazare adesdum foras Ioh.11. 43.* Itemque qui à vespillonibus humandus efferebatur filius viduæ

Naim;

Naim, *Adolescens dico tibi surge Luc.7. 14. Objurgavit ventos & mare. Matt.8. 25. Exi spiritus immonde existo homine. Marci.5.8.* &c. Prophetæ autem: *sic ait Iehová.* Apostoli, *in nomine Iesu.* Ubi autem Christus, præter quam suo ipsius nomine aliquod miraculum patravit! quod argumento est eum ut *verum Deum* non verò ut *divinum hominem* tantùm miracula patrasse.

XXX Ad *Secundum*, nimirum Christus est divinus homo, *quia propter, eam doctrinam, quam annunciavit crudelissimè trucidatus est*, dico: Christum hic à Catecheseos authore statui Martyrem; adeoque tot forent divini homines, quot martyrum myriades confessionem veritatis, intrepidè truculentissimo mortis genere, ob signarunt. Christus ergo secundum Catecheseos autorem Martyr fuit, non sacerdos, qui populum suum sanguine suo meritoriè redemit. Homines isti ad depreciationem Christi personæ, atque meriti, stipendio conducti videntur.

XXXI. Ad *Tertium* dico: *Christus est Divinus homo; quia a Deo exsuscitatus est ex mortuis.* Etiam impios ob eam rationem fore homines divinos in communi omnium resurrectione, eo quòd à Deo suscitabuntur. Sed ita error errorem parit, in iis, quibus Deus efficaciam erroris immisit. Præterea, Christum à Deo exsuscitatum esse, ita ut Christus ipse se merè passivè habuerit in illa exsuscitatione falsum esse, infra suo loco solidè cum Deo evincemus.

Quæst. 17. *Quomodo scis eum miracula patrasse, adhæc ista miracula fuisse divina?*

Resp. *Id quod attinet eum miracula patrasse, hoc inde scio quia id non ii tantùm confitentur, qui in eum credunt, sed etiam hostes ejus infensissimi, Iudæi. Fuisse autem miracula ista divina, hinc facile colliges, ubi tibi probavero, quod Deus eum à mortuis suscitavit. Nam quandoquidem testatur, quod miracula sua diviná vi effecerit, hinc Deum eum à mortuis suscitasse sufficienter effici potest, ita enim rem se habuisse sicut dixerat*

ut dixerat, nimirum, miracula divina fuisse.

XXXII. Christum miracula patrasse nemo ambigit. Quia enim scripturas certitudinis atque veritatis divinæ infallibilis credidimus, etiam à Christo verè facta esse miracula, sacra quæ refert pagina, nulli dubitamus. Cum & hosti infensissimo Christus miraculis suis, longè post eorum patrationem, extorserit splendidum istius veritatis encomium, *Fuit*, inquit *quidam Vir Christus, si modo virum appellare licet, multorum miraculorum patrator.* Josephus, rerum Judaicarum scriptor, libro Antiquitatum Judaicarum XVIII. cap. 4. vel secundum veterem capitum distinctionem cap. 6.

XXXIII. Ea verò miracula divina fuisse, ut pote à Christo vero Deo, non nisi divinâ potentiâ factu possibilia patrata, certum est. Sed probatio, quâ id evictum vult autor Catecheseos, inepta est. Attende lector & judica. *Miracula Christi fuerunt divina*; & quare verò? *quia Deus Christum a mortuis suscitavit.* Consequentia illi similis. Baculus in angulo. Aut enim ratio ista nulla est, aut omnes, qui à mortuis suscitati sunt, miracula patrarunt; siquidem tanta vis est consequentiæ à recuscitatione ex mortuis, ad patrationem miraculorum. Deinde, sequitur ex ista ratiocinatione, miracula ea, quæ patrata sunt, à Prophetis & Apostolis, qui à mortuis suscitati non fuerunt, non fuisse miracula divina: cum tamen Deus ipse omnium illorum fuerit effector, nisi quod operâ Apostolorum, tanquam instrumentorum moralium usus sit.

Quæst. 18. *Proba mihi quòd Deus eum à mortuis suscitaverit.*

Resp. *Hoc ita probô;* Primò, *quia multi fuerunt ilico post mortem ejus, qui constantissimè affirmarunt, quod eum à mortuis suscitatum vidissent; & propter hoc ipsum, quod cùm à mortuis excitatum affirmarent, multas calamitates pertulerunt: quidam verò etiam discrimen vitæ adierunt.* Deinde, *innumerabiles alii à prioribus idem accipientes, & ingentes calami-*

lamitates, & mortes longe acerbissimas ejusdem rei causa subierunt. Ex quo efficitur necessariò, aut Iesum à mortuis exsuscitatum esse, aut illos idcirco, quòd tantâ constantiâ adseverabant rem, quam falsum esse noverant, tot calamitatibus sese implicare, ac mortes etiam longe tristissimas, perferre voluisse. Quandoquidem autem posterius consistere nequit, quippe rationi repugnans, prius verum sit oportet.

XXXIV. Hic Spiritus vertiginis atque contradictionis Socinianæ palpabilis est. Contendunt alibi, omnia fidei per expressum & quoad literam debere demonstrari ex scriptura. *Ostorod. instit. cap. 4.* clamant, rejiciendas esse consequentias, atque à discursibus religionis exterminandas, eò quòd à vulgo intelligi nequeant. Hic verò noster non tantùm consequentias, sed &, nescio quos non nodos nectit, in re manifesta minus necessarios. Cur non secundùm theologiæ suæ principia manifesta scripturæ, ea de re testimonia produxit? cur non figuras, prædictiones de resurrectione Christi in Veteri Testamento frequentes allegavit? cur, inquam, non Euangelistarum narrationes historicas circumstantiales retulit? cur non ad varias Christi diversis post resurrectionem apparationes factas, provocavit?

XXXV. Ratiocinationes enim istæ non usque quaque stringunt. Quod sc. ii, qui Christum post mortem resuscitatum viderunt, iique qui cum veritatem ab his didicerunt, multas calamitates propterea pertulerunt, discrimen vitæ mortes acerbissimas, subierunt. Quod si quis exciperet: fuisse ista aut heroica, aut furiosa ac desperata, vel verò præconceptâ veritatis opinione, quamquam falsa, suscepta; adeo ut intellectus eorum in falsum, sub specie veri latus sit; equidem non video quid solidi responsuri sint Sociniani. Quippe magnam ac fortem quandoque in ipsis hæreticis cernimus in tolerandis suppliciis animi constantiam. Ergone horum talium causa vel religio bona? Monachorum quidam quibus non se affligunt modis? isti ergo implicant se calamitatibus ob rem quam falsam esse norunt. Nemo dicet. Quia intellectus humanus non fertur in falsum sub spe-

specie ac ratione falsi, ut nec voluntas in malum sub ratione mali. Dicendum ergo est eos sibi imaginari veritatem ac persuadere, atque ita falsitate sub specie veritatis apprehensâ, hujuscemodi calamitates infracto perferre animo. Tale quid, inquam, contra has ratiocinationes excipere posset is, qui ex scriptura sacra de veritate resurrectionis Christi non est edoctus; adeoque infirmæ sunt consequentiæ istæ, præ solidis, quæ in hanc rem ex Sacris promi potuissent argumentis.

Quæst. 19. *Quam præterea habes hujus (* nimirum religionem Christianam esse veram *) demonstrationem?*

Resp. *Hanc. Quod impossibile prorsus sit eam religionem à tam multis recipi, quæ non tantùm nullum mundanum splendorem, commoda, voluptates, cultoribus suis adferat, verùm etiam eadem illa omnia prorsus eisdem subtrahat: & in multas vitæ hujus angustias, variasque afflictiones compellat, nisi resurrectione Domini Iesu fuisset confirmata.*

XXXVI. Conatum laudo, quòd Veritatem religionis Christianæ adstruat Catecheseos autor; sed argumentorum, quibus in re tanta utitur, demiror, impotentiam. Hoc sanè argumentum, quod hâc quæstione urget, persimile est illi, quo uti solent Pontificii, dum rudi popello veritatem suæ religionis persuadere annituntur. Impossibile, est inquiunt, prorsus, eam religionem falsam esse, ob quam tot myriades hominum mundo renunciantes, perpetuis solitudinibus monasterialibus sese devovent, in quibus non tantùm omni splendore mundano, commodis, voluptatibus &c. privantur, verùm etiam perpetuis laboribus, vigiliis, jejuniis, flagellationibus, aliisque carnis afflictionibus sese emaciant. Quid judicabit autor Catecheseos de hac consequentia? Nil dubito, quin dicturus sit: *Risum teneatis amici.* Et tamen ipsius consequentia ne hilo quidem melior. Nam notum est, multos vanâ superstitione ductos, non tantùm ab aliis durissima quæque pati, sed etiam semet ipsos affligere. Baalitarum duntaxat memento. An ho-

horum talium passiones argumentum veritatis religionis eorum?

XXXVII. Verum est cruci, afflictonibus obnoxiam esse Ecclesiam, ipsa veritas id prædixit, experientia docuit. Veruntamen crux & afflictio non sunt perpetua ac individua Ecclesiæ nota, ut ea sit vera Ecclesia, quæ calamitatibus immersa est, ut ibi sit vera religio, ubi passiones, afflictiones propter religionem. Habet Vera Ecclesia, in qua vera viget religio halcyoneos dies suos, periodos pacatas, est quandoque ut urbs supra montem posita. Quo quidem tempore istud argumentum Smalcii verificari non poterit.

Quæst. 20. *Iam mihi probasti, eum, qui religionem Christianam docuit, fuisse divinum hominem: Quæso, proba mihi quoque ipsam religionem divinam esse.*

Resp. *Id probatur: primò ex iis, ex quibus ista religio constat, ut sunt, præcepta & promissiones. Deinde ex iis omnibus quæ circa hanc religionem gesta sunt.*

XXXVIII. Non nego præcepta & promissiones sanctas, divinas, argumentum esse veritatis religionis Christianæ. Sed præcepta & promissiones esse partes religionis, quæ totum religionis exhauriant, nego fortiter. Rationem negationis suppeditat ipse autor Catecheseos. Si enim præcepta & promissiones religionem Christianam constituunt, cur Catechetes etiam Catechesin suam in has duas partes non divisit? cur ipse in sequentibus tam prolixus est de Deo, de ejus essentia, personis? ad utram partium ista referet? Deus certè, essentia ejus, personæ Deitatis, &c. nec præcepta sunt nec promissio: & tamen ea ad theoriam religionis Christianæ ipse necessaria esse censet.

XXXIX. Πρῶτον ψεῦδος Adversariorum est. 1. Nullum esse justificationis modum *Euangelicum* sed tantum modo *legalem*. Cui bono n. urgent Præcepta & promissiones, partes esse Doctrinæ Christianæ, nisi ut doceant, hominem præstitis atque impletis præceptis, promissionum Dei certum, propter præstationem præceptorum salvari posse; adeoque hominem coram Deo justificari, non propter meritum Christi, sed propter præceptorum impletionem

tionem. Atque ita tanquam veri hostes crucis Christi, meritum ejus annihilant. Quâ hypothesin vel ex eo falsam esse liquet, quia promissiones non factæ sunt præstationi vel impletioni præceptorũ, sed personæ, propter Christum acceptæ. *Vobis enim promissio facta est, atque liberis vestris. Act. 2. 39.* Non *operibus* inquiunt Theologi, sed *operanti.*

XL. Secundum πρῶτον ψεῦδος est: Inter omnes Christianos, si modo præceptis Dei obtemperent, atque promissionibus de vita æterna subsequuturis fidem habeant, syncretismum iniri posse, atque ita omnes omnino religiones Christianas, Pontificiâ exceptâ, quam pro Idololatrica habent, coalescere posse: Cæterum, nullã requiri de reliquis hisce rebus, quæ ad cognitionem mysteriorum salutis pertinent, disquisitionem vel disputationem. Quàm verò perniciosus sit hic error, partes religionis, præcepta & promissiones faciens, & quidem eo quo diximus fundamento, ex his rationibus constabit.

XLI. Quia præter hæc duo, spiritus sanctus, cognitionem commendat *Psalm. 32. 9.* promittit *Jerem. 33. 34.* Ita quidem, ut Christianâ religione imbuti, eò omnibus reliquis populis futuri sint præcellentiores, quantò plus cognitione eminuerint, *& erunt*, omnes, inquit Johannes, ex ore prophetæ, *docti à Deo, Joh. 6. 45.*

XLII. 2. Quod scripturæ pars est, id etiam pars est religionis. Atqui doctrina de cognitione Dei, de attributis ejus, &c. magnam facit scripturę partem. Ergo ea etiam pars est religionis. Major extra controversiam est, quia religio in scriptura est revelata. Atqui scriptura non tantùm promissiones & præcepta revelat, sed & multa alia præter hæc ad cognitionem & intelligentiam in mysteriis fidei pertinentia. Minor obvia est in scripturis. Legantur conciones Christi dogmaticæ in Euangelistis, itemque ea quæ Apostoli suis prodidere Epistolis dogmatica, & facilè conclusio contra Catecheseos authorẽ formabitur & firmabitur.

XLIII. 3. Liquet quoque falsitas asserti Sociniani ex cardinalibus, quas vocant, virtutibus, *spe* scilicet, quæ *promissiones*, *Charitate* quæ *præcepta*, *fide* quæ *cognitionem* respicit. In qua fidem consistere infra docendum erit. Certum etiam est promissiones & præcepta nil & frustra esse, nisi præsupponatur cognitio ejus, & qui promittit, & qui præcipit; quâ ratione enim quispiam obsequium præstabit, præceptis ejus, cujus potestatem, jus, Majestatem ignorat? quomodo se solabitur promissis ab individuo quopiam vago factis? sine quo ergo præcepta non obligant, pro-

missiones non solvuntur, id nequaquam à religione tanquam pars excludi potest.

XLIV. Præterea tantæ utilitatis dignitatis atque excellentiæ est cognitio, ut ab ea passim in scriptura integer cultus Christianæ religionis denominetur. ut Math. 13. *Vobis datum est nosse mysteria* ℣. 11. Phil. 3. 8. *Eminentiam notitiæ Jesu Christi* vocat Apostolus religionem suam. *Ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. 4. *Cognitione sui servus meus multos justificabit* Esai. 53. 11. *Hæc est vita æterna ut te cognoscant.* Joh. 17. 3. His adde, tantam in judicio Dei cognitionis rationem haberi, ut peccata quædam post eam acceptam, non solum immane quantum aggraventur, hinc illud: *servus sciens* &c. sed & planè irremissibilia fiant. *Hebr. 10. 26.* Quale est peccatum in spiritum sanctum. Jam antea in antecessum ad hominem argumentati fuimus, hîc supersedeo. Hoc adde, quod ipsamet nostra Catechesis habet, *Cap. de via salutis. 2. quæst. 1. Dic mihi quæ sit via salutis. Cognitio Dei & Jesu Christi:* cur non dicit præcepta & promissiones? Cum ergo autor Catecheseos in via salutis, hoc est in religione, etiam alia, præter illas duas partes, præcepta puta & promissiones necessaria esse dicat, sequitur necessariò istis partibus totum, hoc est religionem non exhauriri, neque eas partes ambitu suo, omne quod religionis est, exæquare. Adeoque hypothesin illam, nimirum, omnes religiones, quæ Christianæ dicuntur, Pontificiâ exceptâ, in unam coalescere posse, cui hæc partium Religionis constitutio innititur, esse perniciosissimam. Deus equidem ex omnibus nationibus, populis, gentibus Ecclesiam colligit. *Act. 10. 34. 35. Apoc. 7.* ℣. *9.* Sed non ex omnibus *religionibus*, ut præter & contra mentem spiritus sancti Adversarii quandoque loca ista urgent; quia *una fides* Eph. 4. 5. una salutis via, una veritas; quia plus uno verum esse nequit. Sed noster à natura præceptorum & promissionum religionis divinitatem demonstrare pergit.

Quæst. 21. *Quomodo ex præceptis, & promissionibus, demonstratur, religionem divinam esse.*

Resp. *Hoc modo, quia in præceptis perfectissima vitæ sanctitas, & in promissionibus perfectissimum bonum comprehensum est.*

Pro-

XLV. Probationem hanc, quâ evictam vult religionis divinitatem, partibus religionis, quas esse dixit, præceptis nimirum & promissionibus, superstruxit. Quia verò præter eas objecta quoque alia cognitionis, eaque satis multa, quæ non minus sancta sunt, quid dico sancta, imò sanctiora promissis & præceptis. Non enim Deus tantùm quâ causa sanctior est effectis suis, verùm & ipsa est sanctitas, *Hebr. 6. 13. coll. cum Amos. 4. 2. Sanctus ille Israëlis.* Quidni ergo quoque religio divina dicenda sit, eò quòd tractet de Deo sanctissimo, de rebus divinis, sacris, Sacramentis, de summa perfectione sanctitatis salvatoris nostri, qui nobis factus est à Deo *sanctificatio 1. Cor. 1. 30.* Partes ergo illæ non solæ divinitatem religionis probant.

XLVI. Quod attinet argumentum ipsum, quo Religionem esse divinam asserit; quia in præceptis perfectissima sanctitas; in promissionibus summum bonum comprehensum est, si addatur tertium, nimirum, quòd religio comprehendat doctrinam de Deo, rebus divinis, de earum cognitione, benè procedit, & non parum roboris habet à locis sequentibus: Deut. 4. 6. *Nam hæc est sapientia & prudentia vestra ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista dicent, tantùm gens ista maxima populus sapiens & prudens.* Item 1. Cor. 14. 24. 25. *Sed si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiam aut idiota arguitur ab omnibus & c. atque ita procidens in faciem adorabit Deum, annuncians Deum verè in vobis esse.*

XLVII. Alterum argumentum generale, quo Catecheseos autor divinitatem religionis probat, promit à connexis religionis de quibus quærit *quæst. 22.*

Quæst. 22. *Quænam sunt ea, quæ circa hanc religionem facta sunt atque contigerunt?*

Resp. *Principium ejus, successus sive accrementum, & denique ejus efficacia.*

Quæst. 23. *Quomodo mihi probas religionem divinam esse ex ejus principio.*

Resp. *Hoc facilè colligere potes, si consideraveris, qui homines fuerint illi, qui hanc religionem fundarunt, nimirum viles,*

apud

apud mundum contempti: ac præterea si perpenderis, quâ ratione id effectum dederint, nimirum absque ullâ autoritate, potentiâ, ac sapientiâ humanâ, sed simplici solùm prædicatione, & persuasione hominum ad eam religionem.

XLVIII. Iterum, quod toties monuimus, præsupponit cum Christo & Apostolis religionem Christianam quoad essentialia cæpisse. Falsò. Præterea, insolens est modus loquendi, ***homines viles ac contempti fundarunt religionem.*** Deus propriè autor ac fundator religionis est. Apostoli instrumenta fuerunt, quibus Deus non tã infundanda, quàm per universum orbẽ dilatanda, atq; propaganda religione usus est. Si verò urgẽt illud *Eph. 2. 20.* ***Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum***, quæro, quodnam sit illud Apostolorum fundamentum atque Prophetarum, an religio ab illis prædicata? nolim eam penitus excludere, sensus non incongruus foret, si quis dicat, Apostolum hoc loco docere religionem nostram fundatam esse super doctrina Apostolorum; verùm, non quâ vilium ac contemptorum hominum, sed quâ vasorum ad tam grande opus specialiter electorum. Sed hâc explicatione præsuppositâ, facile erit evincere contra Catecheseos authorem, pari numero, hîc in fundatione religionis habendos esse Prophetas cum Apostolis: & Prophetas non minus fuisse Christianæ religionis præcones atque Apostolos, quia ***super ædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum.*** Quod è diametro adversatur dogmati Socinianorum, quo dictant, in Vet. Test. doctrinam Euangelii non fuisse.

Veruntamen hîc per fundamentum Apostolorum ac Prophetarum primò ac principaliter intelligendum censeo, fundamentum illud de quo Apostolus *1. Cor. 3. 11.* ***Fundamentum aliud nemo potest statuere prater id quod positum est, quod est Iesus Christus.*** Huic enim omnes Prophetæ testimonium dederunt. *Act. 10. 43.* Super hoc fundamento ædificarunt & hi & illi; & super eodem fundamento nos ædificamus. Nec est quod producatur illud *Apoc. 21. 14.* ***& murus urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni.*** Quia 1. hoc mysticum est, nec intelligetur à quopiam mortalium, donec incolæ urbis illius facti fuerimus: etsi quidam clavem Apocalypseos se invenisse putent, adeo ut librum istum pro libitu reserare possint.

possint. Perstrinxisse videtur tales, Alexander Morus, Professor Genevensis, oratione Rectorali A. 1648. p. 49. Quâ in Calvino id commendat, quòd à commentatione in Apocalypseos librum abstinuerit. 2. Præterquam quòd impropria sit loquutio, non dicit Spiritus sanctus, Apostolos fuisse fundamenta, sed *nomina eorum in istis fundamentis fuisse*. 3. Posito ipsos Apostolos dici fundamenta, tum dicam, nomen hoc tribui causæ instrumentali, quod principali tamen tantummodo κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam competit; quemadmodum Ministri verbi dicuntur pastores, etsi Christus sit Pastor ille bonus. *Joh. 10.* Iidem dicuntur custodes domus Israëlis. *Ezech. 3. 2.* & *33. 7.* Et tamen soli Deo id nominis vindicat David *Psal. 121. 4.* Qui quidem modus loquendi non inusitatus est in scriptura. Quâ cum distinctione si loquatur autor Catecheseos, ut hic sit sensus ejus: Religionem ideo divinam esse, quia Deus in Novo Testamento, in plantatione, rigatione ejus, vilibus ut plurimum usus est instrumentis, & judicio hominum, ad nihil minus, quàm ad prædicanda magnalia Dei, aptis; certè is sensus & orthodoxus erit, & firmum argumentum pro divinitate religionis suppeditabit. Sed, quia nobis de eo sensu non constabat ex responsione Catecheseos, difficile nobis erat divinare, quid vellet: præcipuè, cum ex præcedentibus jam constiterit, eum simpliciter semper loqui de Apostolis, tanquam primis religionis Christianæ fundatoribus.

Quæst. 24. *Quomodo id probas ex successu & accremento istius religionis?*

Resp. *Hoc modo. Quod hæc religio brevissimo tempore adeo dilatata sit, atque accreverit, ut innumerabilis multitudo variarum gentium, doctorum, idiotarum, autoritate conspicuorum, vulgarium, tam masculini, quàm fœminini sexus, multifariâ religione suâ, in quibus nata atque educata erat, relictâ, hanc religionem acceptârit, in qua nil commodi carnalis quæsivit imò omnes adversitates, quæ hanc religionem consequi solent, susque deque habuit.*

Quæst. 25. *Quomodo denique idem probas ex efficacia istius religionis?*

Resp. Primò *hoc modo; quòd nullo consilio humano, potentiâve potuerit opprimi.* Secundò *hoc modo: quòd omnes antiquiores religiones per hanc pessum iverint, exceptâ Iudaicâ, de qua hæc religio testatur, eam à Deo initium suum habuisse, eamque ad certum tempus durare debuisse.*

L. Sanè magna sunt ista argumenta quibus Deus veritatem doctrinæ Evangelii & olim comprobavit, atque etiamnum, diversis locis, ubi Ecclesia sub onere persequutionum suspirat, comprobat; quòd homines illi posthabitis omnibus commodis mundanis, dignitatibus, opibus, famâ, vitâ denique ipsâ, veræ Christianæ religioni, adeo, ut turmatim, ita constanter adhæreant; quodque Ecclesia non tantùm non decrescat, sed & accrementa capiat in locis talibus; quippe sanguis Martyrum semen est ecclesiæ. Item, quod hostes etsi premant, non tamen opprimant Ecclesiam, ut veriùs Ecclesiæ, quàm palmæ tribuatur illud emblema: *Pressa, tamen usque resurgo.* Secunda ratio posterioris quæstionis, vix ac ne vix quidem fidem meretur, nimirum, omnes reliquas religiones collapsas esse, Judaicâ exceptâ. Dicere debebat quæ illæ religiones fuerint. Oracula ad adventum Christi conticuisse atque obmutuisse passim lego, secundùm illud oraculi Delphici:

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Tacitu ergo de hinc aris abscedite nostris.

Religiones alias omnes pessum ivisse non lego, etsi ex variis gentibus, populis, nationibus, multi ad Christianismum conversi sint. Et vult quandoque Deus pro imperscrutabili sua sapientiâ Ecclesiam suam exercere hæresibus, tantùm abest ut omnes falsæ religiones ad apparentiam veræ concidant. 1. Cor. 11. 19. Cæterum cultui Judaico certam à Deo præfixam fuisse temporis periodum, extra omne est dubium.

LI. Verùm ut ad hypothesin veniamus. Christiana religio divina est, ac ea propter omni acceptatione dignissima. Robur argumentorum Socinianorum vidimus. Demus, evincat, quod inten-

intendit Catecheseos author. Quid hoc ad Socinianos? Illorumne religio Christiana est, qui Christum de æternæ Deitatis solio quantùm in se est deturbant; qui Christi officium enervant; meritum ejus elevant; abyssum illam gratiæ in Christo humano generi communicatam floccipendunt; fundamenta totius Christianismi pernitiosâ sua doctrina evertunt; Euangelium gratiæ annihilant; justificationem ex operibus legis, adeoque religionem purè legalem stabiliunt. Verbo, summa religionis eorum est: Hoc fac, & vives; si non præstiteris, morieris, nec in æternum resurges, sed æternæ corruptioni, atque annihilationi eris obnoxius. Hæc verò amplissima est ad Atheismum via. Vide sis *Casus Conscientiæ* ad normam doctrinæ Socinianæ conformatos *Joh. Maccovii*, Præceptoris nostri, nunquam non gratâ mente memorandi.

LII. Pudorem revera Socinianis incutit Judæus hostis Christi Josephus, qui diviniùs quid se de Christo sensisse, ipsis Socinianis, prodidit *Antiquit Judaic. lib. 18. cap. 4.* vel secundùm divisionem veterem *cap. 6.* inquiens: *Eodem tempore fuit Jesus; vir sapiens,* si tamen virum eum fas est dicere. *Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis, quàm de gentibus sectatores habrit: Christus hic erat: quem accusatum à nostra gentis Principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cæperant. Apparuit enim eis tertiâ die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerint: & usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum, non deficit.* Veritas ergo theseos istius: Christiana religio est divina, nihil facit ad stabiliendam hæresin Socinianam. Quid Christo cum Belial? qui non est cum Christo, adversus eum est.

Quæst. 26. *Huc usque mihi probasti certitudinem scripturarum Novi Testamenti: quæso, demonstra mihi quoque certitudinem Veteris Testamenti?*

Resp. *Id tibi breviter inde demonstro: quòd scripturæ Novi Testamenti, quarum certitudo huc usque demonstrata est, de his scriptis testentur, eas certas ac veraces esse.* Si qui-

dem ergo testes certi, ergo & testimonium certum sit oportet.

LIII. Quia author Catecheseos supra docuit, sed non persuasit, viam salutis tantùm libris Novi Testamenti esse comprehensam; adeoque, non necessitatem, sed utilitatem aliquam librorum Veteris Testamenti Christianis asseruit, ideo parum est sollicitus de prolixa atque solida probatione certitudinis librorum Vet. Test. qualem se instituisse autumat ratione eorum qui sunt Novi Test. Sufficit illi dicere: *certi sunt libri Vet. Test. quia de iis testantur libri Novi Testamenti.* Ut vis argumenti liqueat, sciendum est, eum per testimonium hîc nil intelligere, nisi allegationes librorum Vet. Test. quæ in Novo Testamento fiunt. Hinc argumentum tale: Qui libri citantur in Novo Testamento, ratione partis vel sententiæ alicujus, illi libri certitudine divinâ certi sunt. Atqui libri Vet. Testamenti ratione quarundam partium vel sententiarum citantur in Novo. (Nullus enim totus recitatur, vel alicui libro Novi Test. inseritur.) Ergo libri Veteris Testamenti sunt certi certitudine divinâ. Quid censes lector de vi istius argumenti atque consequentia? Nonne sub eadem Majore subsumere licebit: Atqui Paulus sententias quasdam ex Arato, Menandro, &c. Poëtis citat, ac proinde Poëtarum istorum scripta certa sunt certitudine divinâ. Sanè non video, cur illa consequentia & vis argumenti ita nudè proposita magis librorum Vet. Test. certitudinem probet, quàm hæc posterior divinam certitudinem scriptorum istorum Poëticorum.

CAP. III.

De Perfectione Sacræ Scripturæ.

QVæst. I. *Sufficiunt mihi ista, quæ mihi hactenus de certitudine scripturarum demonstrasti. Quæso, dic mihiquoque, an hæ scripturæ ita perfectæ sint, ut in rebus fidei, quæ salutem concernunt, iis solis acquiescere possimus?*

Resp.

Resp. *Imò perfectæ sunt, quia fides in Iesum Christum atque obedientia mandatorum, ejus in iis perfectè sunt explicata, quæ ex Dei promisso vita æterna consequitur.*

Quæst. 2. *Si res ita habeat, cui bono ergo traditiones, quæ in Ecclesia Romana pro necessariis ad salutem habentur, quæque verbum non scriptum nuncupantur?*

Resp. *Benè animadvertis, nullius usus eas esse, quod salutem attinet.*

Quæst. 3. *Quid igitur de iis statuendum?*

Resp. *Hoc. Eas non tantùm absque necessitate, quemadmodum jam audivisti, sed etiam cum periculo Christianæ fidei ab iis excogitatas esse.*

Quæst. 4. *Ecquid in eo periculi esse potest?*

Resp. *Hoc; quòd eo ipso causa præbetur, ut homines à veritate divina, ad mendacium & traditiones hominum seducantur.*

Quæst. 5. *Veruntamen videtur mihi, eos, traditiones istas ex scriptura demonstrare velle?*

Resp. *Omnes illæ scripturæ quas allegant, nihil ostendunt, præterquam quod Christus & Apostoli quædam dixerint atque fecerint quæ in scriptura sacra non sunt scripta. Sed nullo modo probant hoc, illa, quæ præter ea, quæ scripta sunt, vel loquuti sunt vel fecerunt, ab uno ad alterum, ordine observanda, quasi de manu ad manum devoluta esse: & quòd hoc, quod scriptis eorum comprehensum est, non sufficiens sit ad religionem atque salutem, quod utrumque Papistæ affirmant.*

I. De sufficientia atque perfectione scripturæ inter nos & Adversarios convenit; Explicatiùs tamen & magis ad captum dixisset autor Catecheseos, si scripturam perfectam esse, eò quod contineat omnia ad salutem dogmata necessaria dixisset; Porro benè monet de inutilitate traditionum Pontificiarum. Si enim scripturæ perfectæ atque omnia ad salutem necessaria contineant, cui bono illæ? Verum etiam est, eas cum periculo salutis urgeri. Experientia docet, plurimos ita adhæsisse, atque adhærere traditionibus non scriptis, ut observantiam earum obedientiæ præceptorum divinorum prætulerint; atque ita à via veritatis deflectentes mendacio credentes, à via cæli, toto quod ajunt cælo, aberrarint. Probationes Pontificiorum ex scriptura, quibus traditionum doctrinam suffulciunt, tam elumbes sunt, ut verbo dilui possint, quale illud quod perpetuò crepant. *Tenete traditiones.* Ea scilicet hypothesi nituntur falsa, inepta, ubicunque in scriptura vox traditionis occurrit, ibi spiritum Sanctum traditiones eorum superstitiosas non scriptas indigitare, cum ipsum verbum Dei nomine traditionis quandoque veniat, ut eo ipso loco *2. Thess. 2. vers. 15.* Sed super hoc argumento vide sis Polemicos nostros.

II. Spiritum contradictionis hîc iterum animadvertere licet. Paulò ante partes religionis duas esse dixerat, præcepta nimirum & promissiones, jam fidem iisdem adnumerat author Catecheseos *quæst. 1.* dicit enim scripturas ideo perfectas esse, quia iis comprehensa est fides in Jesum Christum, obedientia præceptorum ejus & promissa divina. Confer cum his capitis præcedentis *quæst. 20.* Quid Socinianis sit fides in Jesum Christum, sive credere in Jesum Christum, infra in loco de fide dicendi locus erit.

CAP. IV.

De Perspicuitate Scripturæ Sacræ.

QVæst. 1. *Huc usque mihi demonstrasti certitudinem ac sufficientem scripturæ sacræ perfectionem: Quæso edoce me, an hæc scriptura quoque sit alicui apprehensibilis*

sibilis & intelligibilis?

Resp. *Quanquam difficilia quædam in scriptura reperiantur, apprehensibilis tamen atque intelligibilis est, præcipuè in iis rebus, quæ ad salutem sunt necessariæ.*

Quæst. 2. *Quâ ratione id probas?*

Resp. *Primò eâ ratione. Quoniam Deus eo fine præcipuè scripturam hominibus dedit, ut ex ea voluntatem ejus, de salute sua cognoscerent, impossibile est, eum dedisse talem scripturam, quæ non cuivis sit captu atque intellectu facilis.* Deinde *ex eo, quòd Apostoli ab initio, Epistolas suas, in quibus præcipua religionis Christianæ mysteria comprehensa sunt, ad simpliciores homines scripserint.*

Quæst. 3. *Vnde ergo tanta de sensu scripturæ sacræ oriuntur dissidia?*

Resp. *Inde, Quòd homines scripturam vel negligenter legant, aut quod corda non adferant syncera & ab omnibus impedimentis atque voluptatibus libera; vel quòd divinum auxilium, hoc est donum spiritus sancti, quod Deus pollicitus est, dies noctesque petentibus, non implorent.*

Quæst. 4. *Cui bono ergo Ministri sive Doctores?*

Resp. *Eò, ut homines ad ea quæ ipsimet intelligere possunt hortentur: utque iis, in intellectu eorum, quæ aliquantò difficiliora sunt, operam suam commodent.*

I. Sententiam Socinianam de perspicuitate scripturæ Catecheseos autor cum reservatione mentali, quæ illius sectæ hominibus cum Jesuitis communis est, proposuit. Rotundiùs eam explicuit Osto-

Ostorodus, & qui præter eum citati à Cl. Hoornbekio *Socinianismi Confut.* lib. 1. cap. 5. p. 66. & 72. Ostorodus ita planè habet, ut refert Cl. Hoornbekius, quemadmodum mihi ex collatione Institutionum Ostorodi germanicarum constitit, quod etiam Balduinus adnotavit ex Inst. Ostorod. cap. 1. p. 3. *Quare judicamus, omnes illos graviter & periculosè errare, qui putant S. scripturam sine præcedenti interna illuminatione & speciali revelatione Spiritus sancti nullam fidem & obedientiam in hominibus efficere posse.* Item pag. 7. *Quod illos attinet quasi homo sine speciali interna illuminatione & revelatione spiritus S. nullum usum ad salutem quidem spectantem ex scriptura habere possit* &c. Clarius adhuc cap. 34. de lib. arb. p. 285. §. 3. *Unde apparet in quo periculoso errore versentur Euangelici, præcipuè Calvinistæ*, &c. *qui hoc censent, ex auditu externi verbi Dei homines nihil auxilii habere, nisi Spiritus sanctus internè illos peculiari occulto modo doceat & fidem atque obedientiam in illis operetur.* Et quidam Auctor brevis Disquisit. contra Valer. Mag. de Acatholicorum credendi regula. *cap. 4. pag. 7.* Ita sententiam Socinianam blasphemè eructavit. *Præterea, quemadmodum quisque etiam sacra oculis legere, auribusque audire potest, sine Spiritus S. interiori ope, aut peculiari oculorum auriumque illustratione; ita non minus intelligere judicareque eadem sacra licet rationis sanæ beneficio, etiamsi nondum accesserit Spiritus sancti illuminatio.*

II. Hæc blasphemia est Socinianorum de scripturæ perspicuitate sententia; eam in rebus ad salutem necessariis, solâ rationis ope, salutariter, sine præcedanea mentis illustratione à Spiritu sancto, posse à quovis intelligi. Unde videre est, quo animo, tardo scilicet & coacto quasi, tertiam illam rationem discrepantiarum de sensu scripturæ *quæst. 3.* adiecerit. *Quia scilicet homines auxilium Spiritus sancti non implorant.* Hypocrita, increpet te Deus! cui bono implorarent auxilium Spiritus sancti, cujus opera ad intelligendas scripturas illis, te doctore, non est necessaria, sed supervacanea? nonne hoc Deo & hominibus est illudere? Nota hîc iterum spiritum vertiginis. Contendunt alibi, nullam dari Dei cognitionem naturalem, nec insitam, nec acquisitam; quæ tamen cognitio Dei ex libro naturæ in suo esse, quoad se extendit, facilior est. Hîc contendunt, se omnia, quæ sunt revelationis supernaturalis, lumine naturæ, absque spiritus sancti auxilio intelligere posse. Ibi nihil, (infra gentes se abjiciunt) intelligunt. Hîc omnia, etiam supra maximos Dei viros, qui cæcitatem suam in intelligentia re-

rum spiritualium deplorarunt, sese efferentes.

III. Hinc etiam judicatu facile, cur scilicet hominem supernaturalia quidem penitus amisisse, naturalia verò integra à lapsu retinuisse, statuant. Nimirum, ut tantò plus rationi suæ tribuere possint; quantum verò non sine magno in Spiritus Sancti officium, qui est illuminator cordium, præjudicio, rationi tribuant, argumentum quod præ manibus habemus, argumento est.

IV. Orthodoxa sententia est: Etsi homo sensum historicum & literalem utcunque intelligere possit, atque adeo hactenus scriptura ipsi sit perspicua: attamen salutariter intelligere, sine opera & illuminatione Spiritus sancti, ut fidem cordi ingeneret, ut obedientiam mandatorum Dei operetur, ita, inquam, sine lumine interno spiritus sancti, intelligit mortalium nemo. Quæ quidem sententia orthodoxa media est inter Pontificiam, quæ scripturam planè obscuram sine interpretatione Ecclesiæ suæ clamitat; & Socinianam, quæ ita perspicuam asserit, ut ne lumine Spiritus sancti quidem opus sit ad intelligenda ea mysteria, quæ ad salutem sunt necessaria.

V. Orthodoxa sententia satis superque apud Didacticos, Polemicos nostros argumentis roborata est, repetam tamen ex iis pauca. 1. Quia scriptura intelligentiam mysteriorum ad salutem necessariorum tribuit Spiritui sancto. Infinita sunt in hanc rem testimonia. *Caro & sanguis hæc tibi non revelavit* Matth. 16. 17. *Nobis autem Deus retexit per spiritum suum* 1. Cor. 2. 10. *Nemo quæ Dei sunt novit nisi spiritus Dei*, Ibid. vers. 11. *Nondum dederat vobis Iehova mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum.* Deut, 30. 4. Quod ergo scriptura Deo, Spiritui sancto vendicat, id sine sacrilegio rationi humanæ acceptum ferri non potest. 2. Quia ea, quæ ad salutem scitu & creditu sunt necessaria, sunt mysteria. Quemadmodum Apostolis datum erat, puta supernè, nosse mysteria regni. Ita & hodie omnibus ea intelligentibus datur. Antecedens est. *Matth. 13. 11.*

VI. 3. Quia inepti sumus cogitare quippiam boni ex nobis *2. Cor. 3. 5.* Quomodo ergo intelligere? 4. Quia & ipsi fideles gradu quodam illuminati in divinis adhuc cæcutiunt; hinc dura illa reprehensio, quam audire coacti sunt illi duo Emauntam contendentes, *O cæci & insipientes* &c. *Luc. 24. 25.* Quid ergo intelligeret homo, *qui vanus factus est in ratiocinationibus suis, cujus cor obtenebratum est, intelligentia carens.* Rom. 1.

 21. Qui

21. *Qui tenebris obscuratam habet mentem.* Eph. 4. 18. *In quo Deus hujus seculi excæcavit mentem.* 2. Cor. 4. 4.

VII. 5. Quia intelligentia scripturarum ut peculiare donum gratiæ à Deo promittitur *Ezech. 36. 25, 26, 27. Ierem. 31. 32, 33. & 32. 39. 40.* 6. Exempla idem confirmant, tum eorum, qui aliquid in cognitione scripturarum profecerunt, ut Lydiæ, cui Dominus dicitur aperuisse cor, ut intelligeret ea, quæ dicebantur à Paulo Act. 16. 14. *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent scripturas. Luc. 24. 25.* Tum eorum, qui intelligentiam scripturarum impensè desiderarunt, qualis fuit Eunuchus ille dicens: *Quomodo possim intelligere, nisi me quis manuduxerit.* Act. 8. 31. Tum eorum qui scripturarum perspicuitatem & evidentiam ardentibus votis exoptarunt. *Mentionem vestri faciens in precibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi &c. Det vobis spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestræ. Eph. 1. 16, 17, 18.* Confer. *Col. 1. 9. Psal. 119. 18.* Quid opus istâ apertione cordis in Lydia, in Apostolis? quid opus suspiriis Eunuchi, *quomodo intelligerem?* quid opus istis precibus eorum, qui oculos mentis suæ illustrari cupiunt, si se ita res habet, ut dicunt Sociniani? Hæc tamen ita intelligenda sunt, non quòd isti scripturæ obscuritatis notam inusserint, sed quòd repletam caligine ignorantiæ mentem suam eo ipso confessi sint.

VIII. Porro, talem scripturarum perspicuitatem, quæ scilicet omnibus eam legentibus sit obvia, absque Spiritus sancti lumine interno, non evincunt duo illa quæ autor Catecheseos *quæst. 2.* habet argumenta. Quorum primum desumptum est à fine datæ scripturæ, nimirum ut homines ex ea voluntatem Dei de salute sua addiscerent; quid tum? an ut addiscerent absque eo qui eos debebat in omnem veritatem ducere *Ioh. 16.* absque eo qui illuminat omnem venientem in mundum. *Ioh. 1?* minimè. Subordinata non pugnant. Voluit Deus esse scripturam perspicuam, ita tamen, ut homo de intelligentia scripturarum non in se, sed in Domino gloriaretur, ab eo intelligentiam peteret, eâ adeptâ illi gratias ageret.

IX. Alterum argumentum: *Scriptura sensu Sociniano perspicua. Quia Epistolæ Apostolorum, quibus mysteria præcipua salutis comprehendebantur, scribebantur hominibus simplicioribus.* Quid inde? 1. An in Evangeliis Euangelistarum nulla mysteria vel minus-principalia tantum id vix sine depreciatione Euangelistarum vel Spiritus sancti per

nos scribentis dici potest. Certè *magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne* 1. Tim: 3. v. 16. quis verò hoc mysterium magis circumstantialiter descripsit? nonne Euangelistæ? 2. Deinde omnes illos fuisse idiotas &entia, ut ita dicam simplicia, ut somniat Smalcius, quibus scriptæ sunt Epistolæ Apostolicæ, falsum est; Timotheus certè ab ipso Paulo commendatur à peritia & cognitione sacrarum literarum 2. *Tim.* 3. 15. Illi etiam Seniores & Præsbyteri Ephesо ad Paulum vocati. *Act.* 20. nequaquam inter simplicianos numerari debent. Idem judicium esto de aliis Ecclesiis, quibus literæ Apostolicæ inscriptæ. Non credibile est omnes fuisse idiotas. 3. Fuerint tales, quales dicit Catecheseos autor, fiat argumentum. Qui simpliciores sunt ac idiotæ, illis ita debuerunt scribere Apostoli, ut sine Spiritus sancti lumine intelligerent. Scopæ dissolutæ, consequentia nulla. Imò quia idiotæ & simplices, tantò magis auxilio & lumine Spiritus sancti interno opus habebant.

X. Discrepantiæ ratione sensus scripturæ, rationes dat tres, priores duas ut syncerè, ita non malè. Sunt enim ista impedimenta, quominus multi non pertingant ad verum scripturæ sensum. Et tertia vera est, quia inquit Salvator: *multò magis dabit Pater meus cælestis Spiritum sanctum iis, qui eum adorabunt* Luc 11. vs. 13. *Et si cui desit sapientia, petat eam à Deo. & dabitur illi.* Jacob. 1. vs. 5. Sed non syncerè à Smalcio proposita, ut ostensum ex Ostorodo. Et indicio est quæstio ultima, eum id tantùm quasi honoris gratiâ fecisse, ut loquitur Balduinus ad hunc locum, quâ officium Doctorum Ecclesiæ describens, præsupponit, multos privatâ diligentiâ tantùm proficere posse, ut Ministrorum operâ duntaxat in difficilioribus quibusdam indigeant. Cæterùm, officium Ministrorum Ecclesiæ latius patet, quàm illud coarctavit Catecheseos autor. Quid enim illud ambitu suo comprehendat, legatur *Matth.* 28. 19. 20. Præsertim verò in utraque ad Timotheum Epistola.

LOCUS II.

DE VIA SALUTIS.

CAP. I.

De Causis revelationis.

QVæst. 1. *Iam mihi, quod scripturam attinet, satisfactum est; Dic mihi, cur initio mentionem ejus faciebas, nimirum hanc viam, quæ ad immortalitatem ducit, à Deo patefactam esse?*

Resp. *Hoc ideo tum factum est; quia, quemadmodum homo naturâ nihil cum immortalitate commune habet; ita quoque hanc viam, à se ipso, sine divina revelatione nequaquam invenire potest.*

I. Cur Deus libro naturæ, librum scripturæ, theologiæ naturali, ex qua aliquam quidem, sed insufficientem planè Dei cognitionem, ut supra dictum, haurire possumus, revelatam, quæ nos consumatissimè de via salutis instrueret, addere voluerit, ejus scriptura nobis sufficientes ac evidentes reddit passim rationes. Ut, quòd *Deum nemo unquam viderit, filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis* Joh. 1. 18. Quòd *nemo novit Patrem, quàm solus filius & cui filius vult revelare.* Matth. 11. 27. Pleræque autem rationes vel à natura rerum revelatarum, vel à qualitate subjecti, cui revelatio facta, depromptæ sunt. Vocat enim scriptura ea, quæ salutis viam concernunt, mysteria, Math. 13. 11. *Vobis datum est nosse mysteria Regni:* Abyssus, *O profundas divitias tum sapientia tum cognitionis Dei!* &c. *Animalis homo* dicitur *non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia; nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* 1. Cor. 2. 14. Et vs. 15. 16. dicuntur res salutem concernentes *abscondita sapientia*, latens in mysterio. *1. Cor. 2. vs. 7.* Homines verò *amentes* Luc. 24. 25. Dicuntur *thesaurus absconditus* Matth. 13. 44. Homines verò *tenebris*.

mebris obscuratam habentes mentem, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum. Eph. 4. 18. Hæc & similia loca scripturæ evidentissima sunt, ad probandum id, quod author Catecheseos, contra principia theologiæ suæ iterum spiritum contradictionis prodens, consequētiâ ac ratione planè falsâ probat.

II. Audiamus: *Deus viam salutis revelavit; quia homo naturâ nil commune habet cum immortalitate.* Verum hoc est de natura per lapsum corrupta, peccatrice, quâ tali, falsum de natura integra ante lapsum. Deinde & consequentia Majoris fallit. Cum quo quis naturâ nihil habet commune, de eo nihil sine revelatione potest cognoscere. Subsumo. Homo naturâ nihil habet commune cum Deo. Ergo homo de Deo naturâ nihil potest cognoscere. Quod falsum esse & supra demonstratum est, & paulò post iterandum erit. Sed ad Antecedens. *Homo naturâ nihil habet commune cum immortalitate.*

III. Hypothesis hîc illa substernitur à Catecheseos authore. Hominem moriturum fuisse in statu integritatis, etiamsi non peccasset. Quod quidem Sociniani statuunt, ut negent mortem temporalem pænam esse peccati; adeoque, cum Christus mortuus sit, nec propter sua peccata, ne cogantur admittere, eum vice nostri mortem temporalem sustinuisse. Mortem etiam temporalem pænam peccati negant, ut negare possint originale peccatum. Nam infantes, dum moriuntur, stipendium peccati exsolvunt, non pro actualibus peccatis, quæ nulla patravêre; ergo pro originalibus. Ictum hunc ut declinent, mortem temporariam non esse pænam peccati, sed in ipsis naturæ humanæ principiis, originem ejus esse censent, quod etiam in ipso Adamo in statu integritatis locum habuisse contendunt.

IV. Ut distinctè agamus, expendamus & rem, & modum loquendi Catecheseos penitiùs. Dicit: *Hominem nil commune habere cum mortalitate.* Discedit hic à communi modo loquendi suorum, qui simpliciter dicunt, Adamum in statu integritatis fuisse mortalem: ut sic status quæstionis formandus sit: *An Adamus in statu integritatis fuerit mortalis?* Negamus, inquiunt illi. Verùm vox ista *mortalis* in hoc problemate vel notat *posse mori*, vel *posse non mori*, hoc est, vel notat potentiam moriendi, vel actum. Dum ergo nos ad problema respondemus, dicimus: Adamum fuisse mortalem primo modo, hoc est, *potuisse eum mori*, fuisse in eo potentiam moriendi; quia ex corruptibilibus erat compactus elementis; secun-

do verò modo nequaquam; poterat enim gratiâ conditoris non mori: & illa mortalitatis potentia, in actum non deduci. Corpus enim etsi corruptibile, unitum tamen erat animæ immortali, atque cum ea compositum justum & sanctum, quod Deus nequaquam morte plexurus fuisset, quoad in ea sanctitate perstitisset. Si enim Deus mortem peccatoris non vult, quomodo vellet mortem justi & sancti? Mortalis ergo fuit primus homo & immortalis. *Mortalis* conditione corporis animalis, *immortalis* beneficio Creatoris; *mortalis*, quia poterat mori; *immortalis*, quia poterat non mori. *mortalis*, potentiâ si peccaret; *immortalis* actu, si non peccâsset. Alia igitur ratio mortalitatis ante, alia post lapsum. Tunc mortalis erat quia poterat mori, sed ita mortalis ut etiam posset non mori. Jam ita mortalis est, ut necessariò illi moriendum sit & non possit non mori. Audiamus verò argumenta Catecheseos.

Quæst. 3. *Quare verò homini nihil commune est cum immortalitate?*

Resp. *Ideo, quia ab initio ex terra formatus, ob eam causam mortalis creatus est: & præterea, propter mandati divini transgressionem, quod ipsi datum erat, Dei judicio, cujus in mandato expressa mentio, necessariæ ac perpetuæ morti, subjectus est.*

V. Duo habet autor Catecheseos argumenta, quibus autumat se, evincere posse hominem in statu integritatis, etiamsi non peccasset, moriturum tamen fuisse. Primum à materia hominis desumptum; secundum à falsa interpretatione comminationis divinæ: *Quocunque die comederis morte morieris*. Quasi verò his ultimis verbis nil præter æternam mortem homini minatus fuisset Deus, de morte verò temporaria ne gry quidem in iis haberi. Proinde *mortem temporalem, quatenus naturalis est & omnibus communis, non esse peccati stipendium, sed natura nostra, quam ipsemet Adamus in ipsa creatione accepit, propriam sequelam. Peccati autem stipendium est moriendi necessitas & mors æterna.* Verba sunt ipsius Socini, de Servatore. *lib. 3 cap. 8.* Quæ ferè exegetica sunt posterioris Argumenti Catechetici. Age! robur primò prioris, post & secundi expendamus argumenti.

Prius

VI. Prius in forma talè erit: Qui ex terra sive humo formatus est, is etiamsi non peccasset fuisset moriturus, sive, ut clarius dicam, in eo mors originem suam non ex peccato, sed ex natura habuisset. Atqui homo in statu integritatis ex terra formatus fuit. Ergo moriturus fuisset, etiamsi non peccasset: & mors non ex peccato, sed ex natura fuisset. Socinus idem argumentum inter sua septem, ordine quarto sic proponit: *Primus homo antequam peccaret, jam erat terrenus, nempe quia è terra formatus fuerat: sed nos in eo, quod morimur & corrumpimur, imaginem primi hominis, quatenus terrenus erat portamus. Ergo primus homo quatenus terrenus fuit, mortalis censendus est, & sic etiam antequam peccaret.* Prælect. c. 1.

Respondeo verò ad Majorem. Qui ex terra formatus est, is naturâ est mortalis, scilicet secundùm id, secundùm quod ex terra est formatus. Dupliciter ergo homo considerandus est, vel quoad partem alteram seorsim sumptam, vel quoad utramque simul. Corpus equidem per se consideratum, quia ex contrariis elementis ac qualitatibus temperatum erat, naturâ mortale dici posset; sed consideratum, ut animæ rationali hominis conditi ad imaginem Dei essentialiter unitum, actu ipso immortale fuit, donec in sanctitate & justitia integre persisteret. Doctissimè Rivetus Exercit. in *Genes. 19.* Si de Corporis immortalitate, & incorruptibilitate, ut sic loquar, simpliciter ageretur, nemo negat, habuisse corpus in se principia resolutionis: sed si de toto homine, nihil obstat, quin dicamus ab ipsis naturæ principiis immortalitatem profluxisse; nam cum immortalis anima, eaque purissima, fuerit primo homini naturalis, corpori vitam talem communicare poterat, quæ sine peccati interventu interire non potuisset, quia corpus animæ talis vi, perpetuam humorum & spirituum *ἀεμονίαν* erat conservaturum, & ab omni morborum intemperie, lue, & morte immune redditurum. Deinde; Distinguimus ut supra. Qui formatus est ex terra, is mortalis est *potentiâ*, eaque remotâ, non proximâ, non *actu*. Hâc distinctione suppositâ, concedi potest totum argumentum. Ante lapsum, erat ille quidem, quia habebat corpus ex terra compactum, potentiâ mortalis, actu tamen non fuisset moriturus, si in integritate perseverasset. Erat in homine potentia moriendi, sed etiam erat potentia non moriendi. Et quidem prior potentia sic erat in homine, ut impedita, per contrariam potentiam posteriorem, & per singularem gra-

gratiam suffulta, nunquam veniret in actum, hoc est, homo ita erat mortalis, ut tamen nunquam moreretur, si non peccaret. Tertiò; Accurata est observatio Cl. Hoornbekii ad hoc Socini argumentum. *Primus homo quatenus terrenus fuit, mortalis censendus est.* Concedo, inquit, quatenus terrenus, eatenus mortalis: (quod cum eo convenit quod prima resp. ad hoc arg. reposui) sed tum in subjecto, tum in prædicato hic deest, quod propriè quæstionem facit: ibi,non utquà terrenus,sed quà just' homo consideretur:hic ut intelligatur, non an mortalis,sed an moriturus fuisset homo. Non malè ergo olim Concilium Milevitanum Can. 1. statuit. citante Pareo,Riveto in *Gen.2.*Polano in Syntag. &Hoornbekio in Socinism. Conf. *Quicumq; dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret peccati meritò, sed necessitate naturæ.* Anathema sit.

VII. Nec immeritò, syrma quippe absurdorum sententia Sociniana secum trahit. Specimen accipe. Si homo in statu integritatis, etsi perstitisset in statu illo perfecto, moriturus fuisset, tum aut resurrecturus fuisset ad vitam beatam, aut non. Si non esset resurrecturus, tum deterior ipsius status erat futurus, quàm si lapsus non esset; quia lapsus resurrecturus est. Si erat resurrecturus tum hinc necessariò hæc sequuntur. 1. Judicandum etiam fuisse hominem, quod absurdum. Cur enim judicaretur, qui in statu integritatis permansit? Consequentia certa. Quia mors & judicium à Spiritu sancto individuo nexu conjuncta sunt, ut mortem necessariò judicium consequatur. Statutum est hominibus mori & postea judicium. *Heb. 9. 27.* 2. Christo quoque resurgendum erat, etiamsi homo non peccasset, ac proinde nasci, mori opus habuit; resurrectio enim Christi causa est resurrectionis eorum, qui ad vitam resurgent. *1. Cor. 15. 20, 21, 22.*

VIII. Jam quid veritatis secundo argumento insit videamus. Sic autor Catecheseos: *Præterea propter mandati divini transgressionem, quod ipsi datum erat, Dei judicio, cujus in mandato expressa mentio, necessaria ac perpetua morti subjectus est.* Intricatiora sunt ista; sed sensus eorum hic est, Deum illa comminatione *morte morieris*, homini non minatum fuisse mortem temporariam, sed tantùm æternam; priorem illam, sequelam sive conditionem naturæ etiam integræ existimant. Hanc verò posteriorem tantùm pœnam peccati esse, eamque Deum illis verbis, morte morieris intellexisse statuunt. Ac pro-

proinde argumetum tale erit. Quod est naturæ etiam integræ sequela, illud homini etiam in statu integritatis naturale fuit. Atqui mors temporalis sequela naturæ integræ fuit. Ergo mors temporalis homini etiã integro fuit naturalis: Minorem probat. Si illa comminatione *morte morieris*, æternam tantùm mortem minetur. Ergo temporalis mors etiam homini integro fuit naturalis. Verum prius. Ergo & posterius.

IX. *Respondeo.* Nos negare Syllogismi prioris Categorici Minorem; posterioris verò Hypothetici antecedens. Nimirum illa erat. Mors temporalis erat sequelæ naturæ integræ. *hoc* ipsum probans: Istâ comminatione, *morte morieris*, tantùm æternam mortem indigitari. Evictâ autem istius posterioris falsitate, prius ultro corruet. Si enim Deus mortem temporariam, ut pœnam, ut stipendium peccati, minatus est; tum certè mors temporalis non est naturæ integræ sequela. Probo autem illâ comminatione, *morte morieris*, non tantùm æternam, sed & temporalem intelligi.

X. *Primò.* Quia voce *mortis* in scriptura non tantùm mors æterna, sed & temporalis denotatur. Res manifesta, probatione non est opus. Jam autem Deus non determinat, comminatione suâ, quâ morte, sed indefinitè tantùm ait, *morte morieris.* Indefinita autem universali æquipollet, donec restringatur. Ergo tam temporalis, quàm æterna mors hîc intelligenda, quia nulla est indefinitæ propositionis ad certam mortis speciem determinatio. Socinus comminationem istam limitari existimat *Rom. 6. 23. Nam stipendium peccati mors: donum autem Dei est vita æterna.* eò, quòd morti hîc opponatur vita æterna. Verùm commentum istud desperatæ causæ est. 1. Quia mors quævis vitæ æternæ opponitur. 2. Si Apostolus æternam tantùm mortem intellectam voluisset, addidisset etiam morti hoc epitheton, quemadmodum vitæ. Quid multis? Ipse Deus, optimus comminationis suæ interpres, *Gen. 3. 19. Donec revertaris in humum, cum ex ea desumptus fueris: nam pulvis es, & in pulverem reverteris.* Largiuntur Sociniani mortem æternam, comminatione illâ, *morte morieris*, intelligi. Addo, Deum ipsum verbis allegatis sensum comminationis ex parte declarare, se nimirum, præter æternam, temporalem quoque intellexisse mortem. Neget Adversarius, his verbis declarari comminationem illam, dicatque novas hic esse pænarum minas; negare tamen non potest quin de morte temporali sermo sit: *pulvis es, & in pulverem reverteris*; Ergo

tenetur adhuc Adversarius, quia hinc liquet, mortem temporalem stipendium esse peccati. Dirimit denique litem Apostolus *Rom. 5. 12. Per peccatum mors introiit in mundum, & ita in omnes homines mors pervasit.* Hîc sanè non poterit excipere Adversarius, loqui Apostolum de morte æterna, ea enim in omnes non pervasit.

XI. Secundò; Mors Spiritualis, quâ homo mortuus est in peccatis. *Ephes. 2. 5. Colos. 2. 3.* mors item calamitatum (quæ mors dicuntur, *Exod. 10. 17. Amoveat tantummodo à me mortem istam*, inquit Pharao, dum plagam locustarum deprecaretur. Eodem sensu filii Prophetarum *Mors in olla* clamitant. *2. Reg. 4. 40.* & de periculis suis, quibus frequenter immersus fuit Apostolus dicit: *In mortibus sæpe.* 2. Cor. 11. 23.) ista comminatione comprehensæ fuerunt. De priori certum est. Nam unde est, quod homo jam mortuus sit in peccatis? an ex imitatione & exemplo peccatorum, quæ homo a parentibus à suis, vel ab aliis videt, audit? ut cum Pelagianis statuunt Sociniani. A bove quidem majori, discit arare minor & mala exempla plurimos in peccatorum devia abducunt, quod tamen ipsum non fieret, nisi naturâ corrupta esset. Nam à quo quæso videndo, audiendo didicit Cain, odio habere fratrem suum, ejusque innocuo sanguine manus polluere? Mortuus ergo quod sit homo in peccatis, ex lapsu primi hominis est, qui ipse in peccatis mortuus, similes sibi progenuit posteros. De morte calamitatum res quoq; plana. Audiamus Deum ipsum loquentem, cui fortè verebitur obloqui Socinianus: Sic autem ait Jehova. *Levit. 26. 18. Addam castigando vos septuplum propter peccata vestra.* Idem confirmatur verbis *Dan. 9. v. 11. Omnes Israelitæ transgressi sunt legem tuam, &c.* Quapropter *effusa est super nos illa execratio, & illa adjuratio, quæ scripta est in lege Mosis servi Dei, quia* peccavimus in eum. Huc facit & illud Salvatoris nostri idem docens, *Joh. 5. 14. Ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi fiat.* Omnium verò in hanc rem illustrissimum est, quod itidem ex ore ipsius Dei profectum est, tum id, quod *cap. 3. v. 17. 19. Geneseos,* Viro in pœnam infligitur: *cum dolore comedito proventum terræ, omnibus diebus vitæ tuæ, in sudore vultus tui vesceris cibo.* Tum id quod ratione mulieris Deus pronunciat: *Gen. 4. 16. Admodum multiplico dolorem tuum etiam conceptus tui, in dolore paries liberos.* Hinc, si mortes istæ, spiritualis in peccato, mors etiam calamitatum, comminatione istâ comprehensæ fuerunt, (non diffitente posterius ipso Socino con-

contra Puccium *cap. 6. cap. 197.* Ex *quo efficitur, mortem, quam Deus Adamo minatus fuerat, aut non ipsam mortem, sed mala, quæ ad mortem usque duratura essent, verè ac propriè significasse.)* Quidni & ipsa mors temporalis, hâc comminatione comprehenderetur, adeoque pœna peccati, quemadmodum & reliquæ mortis species, esset?

XII. *Tertio*; Ex modo loquendi argumentor. Phasis ista מוֹת תָּמוּת, *morte morieris*, vel, *moriendo morieris*, in sacris plerumque promiscuè de quavis morte usurpatur. De corporali sic sumptam vide *Gen. 26. 11. Tangens virum istum, & uxorem ejus* מוֹת יוּמָת, *moriendo morietur.* Item *Exod 21. 16.* Maladicens Patri suo, aut matri suæ מוֹת יוּמָת, *moriendo morietur*; de morte & æterna, & spirituali peccati, & temporali,& calamitatum (non enim video quid impediat, quo minus sensum istius enunciati divini ita extendam) usurpatam vide. *Ezech. 33. v. 8.* בְּאָמְרִי לָרָשָׁע רָשָׁע מוֹת תָּמוּת. *Si*, vel, *cum dixero impio, impie morte morieris*, vel, *moriendo morieris.* Si hâc significatione quadruplici, aut saltē duplici, de morte æterna & corporali accipi debet phrasis ista, quidni & illa divina comminatio?

XIII. *Quartò*; Omne id quod statui felicitatis Adami, nondum lapsi adversabatur, id in comminatione illa subintelligendum est. Quia Deus non potest dici homini denunciasse tale quid, quod illi statui esset æquale vel quoad felicitatem simile; alioqui non fuisset pœna, sed præmium. Ergo id, quod minatus est statui isti, ei fuit contrarium. Cum a. mors temporalis, statui felicitatis sit contraria, quippe eum destruens, pessundans, omnino istâ comminatione continetur, æquè ac æterna.

XIV. Quicquid pœnale est, comminatione istâ continetur. At mors temporalis pœnale quid est. Quia, *quando consumimur irâ tuâ, & tuo æstu conturbamur, proponis iniquitates nostras tibi, occulta nostra, lumini faciei tuæ*, inquit autor, *Psal. 90. v. 7. 8.* quin imò planissimâ sententiâ Dei, mors temporalis homini irrogatur *Gen. 3. In sudore vultus &c. donec in terram revertaris* &c. Idem evincitur ex *Ezech 18. 5. Anima quæ peccavit morietur.* Rom. 5. 12. *Per peccatum mors introiit in mundum.* Jac. 1. 15. *peccatum peractum gignit mortem.* & ne dicta his similia cumulemus, agmen claudat illud Apostoli *Rom 6. 23. Stipendium peccati est mors.* Ex his jam sole meridiano clarius liquet, Deum comminatione istâ, *morte morieris*, homini primo, si peccaret, non tantùm æternam, sed & tempo-

ralem mortem denunciasse.

XV. Sed objiciunt quædam Adversarii. Dicunt *primò*; Mors naturæ fuit sequela in statu integritatis, adeoque non pæna peccati comminatione divinâ denunciata; Quia primus homo in statu illo destinatus fuit liberis procreandis, quod statui immortalitatis repugnat *Luc. 20. 35. 36.* Verùm, 1. Confundunt Adversarii statum gloriæ, cum statu illo naturæ perfecto, in hoc poterat homo non mori, in illo non poterit mori. Ideo Christum non legimus dixisse Non nubent, quia *non morientur*, sed *quia mori non poterunt.* Ratio igitur, quam Dominus adfert, non spectat immortalitatem status innocentiæ, quia non talis erat, in quo homo absolutè mori non posset, sed conditionaliter tantùm. Si Christus dixisset, non nubent, *quia poterunt non mori*, aliqua esset argumenti species. 2. Liberorum procreatio per se mortis non est argumentum, sed tantùm speciei in plura individua multiplicatio, quâ Deus etiam in statu integro homini benedixerat ut impleret terram. *Gen. 1. ỽs. 28.* Benedictio autem Dei nequaquam immortalitati primi hominis præjudicare potuit. Timor ille inanis est, nisi aliqui semper mortui fuissent, per infinitam speciei multiplicationem, mundum ita hominibus replendum fuisse, ut posterioribus tandem locus nullus futurus esset. Quia Deus posteris locum facere potuisset, transferendo majores eorum in statum gloriæ etiam sine morte, ut in Enocho, Elia, specimina potentiæ istius divinæ extant. Quæ quidem mutatio, mortis temporariæ vices, per quam hodiè fideles ad statum gloriæ transeunt, supplevisset; quemadmodum analogicè videre est in iis quos dies Domini vivos reperturus est, qui in momento oculi immutabuntur. 3. Christus citato loco, ex eo non arguit simpliciter non nupturos vel nuptum daturos, quia immortales; sed ex eo, quod in statu gloriæ hoc inutile foret; eò quod fidelibus jam consummatis, & perennaturis in æternum, non necesse erit alios substitui. Non morientur, propterea non opus connubio. Hic aliter se res habet, moritur vir, isque sine prole, alio opus est, propter conservationem speciei. Aliter se etiam res habebat in statu integritatis, quo procreatio sobolis planè necessaria erat propter speciei humanæ multiplicationem, ab ipso Deo mandatam *fructificate, augescite*, & *implete terram. Gen. 1. 28.* quæ omnia, ut sine peccato, ita sine morte fieri potuerunt. E. non valet consequentia procreat liberos. Ergo mortalis.

XVI.

XVI. *Secundò* Objiciunt. Primum hominem in statu integritatis cibo & potu usum fuisse, quod indicium est mortalitatis; proinde mors temporalis non pœna, sed naturæ sequela. Hinc venter cum escis abolendus dicitur, post resuscitationem ad vitam æternam, ne scilicet obsit immortalitati. *1. Cor. 6. 15.* Sed *Resp.* 1. Iterum confundi statum gloriæ cum statu hominis integri. Alia hujus, alia illius est ratio. In, statu gloriæ non acturi sunt fideles vitam animalem, cui per nativum calorem quicquam decedit, sed vitam spiritualem, quæ sustentabitur cœnâ Agni, voluptatibus quæ sunt coram facie Dei, torrente deliciarum quem Deus eis dabit bibendum, ubi cœlesti mensæ cum Abrahamo &c. accubuerint; ideo, inquam, illis non opus erit cibo & potu materiali: In, statu autem integro, etsi homo acturus erat vitam immortalem, animalis ea tamen futura erat, per usum cibi ac potus continuanda, atque ex ordinatione divina sustentenda. Nam immortalis esse debuit, sed ita ut in hac immortalitate per usum ciborum præservaretur. 2. Falsum esse, ibi non esse locum immortalitati, ubi usus est cibi & potus. Id quidem de immortalitate Dei absoluta, qualis Dei est, vel immutabili, qualis est Angelorum, & beatorum verum est: sed non de immortalitate illa conditionata, conjuncta cum moriendi potentia, etsi remota. Ad talem enim immortalitatem conservandam, homo cibo & potu tanquam mediis à Deo eâ fini ordinatis, uti debebat, adeo ut subordinata non pugnent. Quod verò de ventre in statu gloriæ abolendo crepant, hinc scilicet sequi, ventrem cum cibis mortalitatem in statu integritatis causaturas fuisse, iejunum est ventris argumentum. Intelligitur enim ibi ventris abolitio, non quoad *substantiam*, sed quoad *usum* tantùm. Opus erit ventre ad constitutionem totius. *Urgent*, ita abolebitur venter, sicut esca. At escæ & quoad *usum* & quoad *substantiam* abolebuntur. Quia eadem vox abolendi & de ventre & de escis à Spir. S. adhibetur. Verùm ventrem redolet ista hypothesis: si sc. eadem vox eodem paragrapho dicatur de diversis rebus, eam eandem quoq; debere retinere significationem, non verò pro natura rei substratæ intelligendam. Hypotheseos hujus falsitatem, vide sis: *Ioel. 2. 13. Lacerate igitur corda vestra & non vestes vestras.* Eadem voce *Lacerandi* Spiritus S. hîc utitur eodem versu, de corde & vestibus: quis tamen eodem modo corda & vestes lacerandas esse dixerit? Præ-

terea ventris abolitionem ſubſtantialem non requirit ſtatus gloriæ. Chriſtus enim, Enoch, Elias, in gloriam cum ventribus recepti ſunt.

XVII. *Tertiò*, Objiciunt: Omne id, quod comminatione illâ homini fuit denunciatum, id Chriſtus ſuſtulit. At mortem temporariam non ſuſtulit; quia etiam electi ac fideles moriuntur, quorum vicè Chriſtus mortem ſubiiſſe aſſeritur. **Reſpond.** Chriſtus ſuſtulit mortem temporariam de *jure*, non de *facto*. Non, quod de facto non ſit ſublaturus, ſed quod impræſentiarum nondum ſuſtulerit. Perinde hîc res habet ac in merito vitæ æternæ. Meritus eſt nobis Chriſtus vitam æternam de *jure*, de *facto* autem nondum contulit; ſed collaturus eſt, ubi nos ad ſe vocaverit, dicens, *Venite benedicti* &c. De jure etiam ſuſtulit Chriſtus omne peccatum in nobis, i. e. meritus eſt nobis, ut eſſemus perfectè ſancti, & tamen peccatum in nobis eſt. Suſtulit ergo Chriſtus peccatum, *non, ut non ſit*, ſed *ut non imputetur*. Sic Suſtulit Chriſtus mortem, *non ut non ſit*, ſed *ut mala non ſit*, ut pænæ rationem jam non habeat, nec ſit ſatiſfactoria, ratione fidelium pro peccato. Quicquid enim pænale fuit in morte noſtra, id Chriſti beneficio, ac merito abſorptum eſt, atq; ſublatum: quoniam mors noſtra jam non eſt mors, ſed ſomnus, quies à laboribus, depoſitio ſarcinæ peccatorum, tranſitus in vitam æternam. Cum contra mors peccatorum ſit peſſima, veſtibulum inferni & initium cruciatus æterni.

XVIII. *Quartò* Objiciunt. Mortem temporariam non poſſe intelligi in comminatione illa; quia alioqui homini eo ipſo die moriendum fuiſſet, ſiquidem dictum eſt, *quo die comederis, morte morieris.* Inepta eſt reſponſio dicentium, eo die hominem mortuum fuiſſe, quia apud Deum mille anni dies unus, Adamum autem milleſimum annum non attigiſſe. *Reſpondemus* ſecundùm ſcripturæ analogiam. 1. Per retorſionem, ſi ideo mors temporalis intelligi nequit, quia eo ipſe die Adam non eſt mortuus temporali morte. Ergo nec æterna quidem intelligi poterit, quam tamen intelligi ſtatuunt Adverſarii, quia nec æternâ morte, eopſe die mortuus eſt. 2. Diximus mortem eſſe quadruplicem, temporalem, æternam, ſpiritualem peccati, calamitatum, eaſque omnes mortis ſpecies homini fuiſſe denunciatas. Poſterioribus duabus mortibus, mortuus eſt homo eo ipſo die, quo peccavit, imò poſt pauca perpetrati peccati momenta. Timuit enim, quæ eſt calamitas; latibula quæſivit, argumentum conſcientiæ ſeſe torquentis,

quæ

quæ sanè calamitatum nequaquam minima est. Extenuare, vel in in alium devolvere conabatur peccatum, signum est mortis spiritualis & sepulturæ in peccato. Reliquis verò duabus mortis speciebus, æternæ scilicet & temporalis, etsi eo ipso die non fuerit afflictus *actu*, tamen ab eo ipso die cæpit primus homo esse sub *jure*, atque imperio mortis, tum æternæ, tum temporalis; cum antea ab utraque immunis esset. Hæc ad quæstionem secundam hujus capitis dicta sunto, cætera disquisitioni publicæ relinquemus.

Quæst. 3. *Quomodo hoc ipsum autem convenit cum quibusdam scripturæ locis, quibus dicitur hominem ad imaginem Dei creatum esse*, Gen. 1. 26. *Eum creatum esse ad immortalitatem* Sapient. 2. 23. *Et mortem per peccatum introiisse in mundum* Rom. 5. 12?

Resp. *Quod eum locum attinet, quo scriptum est, hominem creatum esse ad imaginem Dei, sciendum tibi est, eo non significari immortalitatem: (quod inde liquet, quia scriptura etiam eo tempore, quò homo morti jam subjectus erat, illi imaginem Dei appropriet, quemadmodum.* Gen. 9. 6. Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor, quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus. *Similiter Iacobus inquit*, cap. 3. 9. Per linguam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam execramur homines ad similitudinem Dei factos.) *Sed significari potestatem & dominium, quod habet in terra super omnes creaturas. Quod probatur ex loco, quo de eo scriptum est*, Gen. 1. 26. *in hæc verba.* Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram,

qui

qui dominetur in pisces maris, & in volucres cœli, & in pecudes, & in universam terram, atque in omnia reptilia, reptantia super terram.

XIX. Difficultates sibi à nobis objiciendas amoliri conatur Catecheseos author, numero tres. *Primam* ab imagine Dei desumptam. *Secundam*, ex libro Apocrypho Sapientiæ, ejusque capite 2. ꝟ. 23. *Tertiam* ex *Rom.* 5. 12. His tribus fortè, se, suosque præ reliquis urgeri posse sensit, adeoque has ad eas responsiones adornavit, quarum veritas jam nobis examinanda. Hâc tertiâ quæstione eviscerare illi est animus argumentum nostrum, quod pro immortalitate primi hominis ducimus ab imagine Dei. *Homo primus creatus fuit ad imaginem Dei. Ergo non fuisset moriturus, si eam imaginem sartam tectam conservasset.* Hoc argumentum, ille hâc quæstione eludere conatur, nescio tamen, quâ fronte, cum Volkelius (lib. 1. cap. 11. p. 4. ex citat. Cl. Hoornbekii, quia Volkelium ad manus non habeo) asserat, dicatque expresse, *Nullâ re, si ad naturam respectum habeas, quispiam Deo similior esse potest, quàm immortalitate.* Habes Andabatas, negat ille, asserit hic, ab imagine Dei in homine duci posse argumentum, pro immortalitate primi hominis in statu integro, cui credas? Sed res nobis est cum catecheseos authore, eum dictantem audiamus.

XX. Ait ergo, per eam Dei imaginem, a quâ nos ad immortalitalitatem hominis argumentamur, *nequaquam immortalitatem intelligi.* &c. In quo frustra est. Nemo nostrum somniavit, dixit, scripsit, imaginem Dei in immortalitate sola consistere, (etsi dicat Volkelius, *hominem nullâ re, quàm immortalitate, Deo similiorem esse*) sed sententia Orthodoxa est eam consistere, *Primò* in natura atque *essentialibus hominis.* In *Natura Gen* 9. v. 6. Causa enim cur homicidæ sanguis effundendus est, ea est, quia homo est ad imaginem conditus, quæ perpetua est lex naturæ. In *essentialibus hominis*, ut in anima spitituali immortali, intelligente, volente; & in corpore ipso cum anima simul sumpto imago Dei relucet. Statura enim hominis erecta, nulli cæterorum animalium concessa, quod & ab Ethnicis observatum, unde illud Ovidii: *Pronaque cum spectent* &c. Et præterea per corporis organa edit homo actiones vir-

virtutis, ab anima intellectas, volitas, adeo ut in istis corporis actionibus imago Dei resplendeat. *Secundò*, in *Iustitia & sanctitate Eph. 4. v. 24. Col. 3. v. 10.* Liquet id ipsum etiam ex dominio, in quo imaginem Dei consistere extra controversiam est. Fatetur ipse Socinus, nullum dominium esse potuisse, nisi fuisset in sanctitate & justitia; eâ enim carens, inquit, Tyrannicè imperat. Præsupponit ergo Dominium sanctitatem. Ergo, si imago Dei consistit in dominio, quod justitiâ & sanctitate regulatur, etiam in ipsa sanctitate & justitiâ. Dominium enim hoc ex se non habet, quòd in eo imago Dei consistat, sed ex eo quòd sanctè & justè administratur. Magis ergo in ipsa justitia & sanctitate consistit. *Tertiò* in Dominio imago Dei consistit, quemadmodum allegat non malè eâ fini Catecheseos autor *Gen. 1. v. 26.* Ab hac imagine Dei in his omnibus tanquam ente collectivo consistente argumentamur ad immortalitatem hominis actualem. Quia si istis omnibus homo perpetuò benè usus fuisset, immortalitas perpetuus ac individuus comes istius imaginis fuisset. Ventum ergo flagellat, fingendo Adversarios ubi nullos habuit; nemo quippe Orthodoxorum docet imaginem Dei, nihil præter solam immortalitatem complecti.

XXI. Proinde & ratio quam addit impertinens. *quod inde liquet*, inquit, *quia scriptura etiam eo tempore, quo homo morti jam erat subjectus, illi imaginem Dei appropriet. Gen. 9. 6. Jac 3 9.* Quia proficiscitur ex præsuppositione falsæ hypotheseos, quasi verò quis Orthodoxorum in sola immortalitate consistere imaginem Dei assereret.

XXII. Rejectâ ergo opinione, de imagine Dei, non nostra, sed in cerebro proprio nata, suam promit, atque imaginem Dei consistere tantùm in Dominio super omnes terræ, maris, aerisque creaturas, ait. Non inficiamur *partem* imaginis divinæ in Dominio consistere, sed *totam* negamus. Facit verò ita sentire Adversarios, locus à Catecheseos authore ex Gen. 1. 26. allegatus, ubi Sp. Sanct. videtur imaginem Dei tantùm in Dominio collocare, eò quod sanctitatem & justitiam à Paulo pro partibus imaginis divinæ assertam, silentio prætereat, sed fallitur. Paulò ante ex Socino diximus Dominium fore Tyrannicum, nisi justitiâ & sanctitate temperatum sit, & sanctitatem atque justitiam quasi dedisse jus dominii in creaturas. Quòd verò Spiritus Sanctus allegato Geneseos loco nullam mentionem faciat istorum; id nequaquam fit, ac si ea à constitutione imaginis divinæ excludere vel-

let: nec ad significandum, eam esse potissimam rationem imaginis divinæ in homine, sed quia in hujusmodi Dominio, tanquam in effectu, secundùm sensum notiori, magis apparet, hominem ad Dei imaginem factum esse. Quo etiam, collimasse videtur, *Psalm. 8. 7.* Dominum eum præfecisti operibus manuum tuarum, omnia posuisti sub pedibus ejus, *& Syracides cap. 17. 4, 5.*

Quæst. 4. *Quid respondes ad secundum locum?*

Resp. Primò, *hic locus allegatus est ex uno librorum, qui* Apocryphi *dicuntur, & propterea firmum argumentum ex eo duci non potest;* Deinde, *quod vulgò interpretantur, Deum hominem creasse ad immortalitatem, hoc propriè secundùm græcum transferri debet in incorruptibilitate. Incorruptibilitas autem non tantùm de natura hominis intelligi potest, sed etiam de statu ejus quieto, quiq; ab omni infortunio sit immunis, usque ad terminum ejus præfixum. Hoc loco ita intelligendum esse, ex sequentibus verbis, quæ his opposita sunt ostenditur, quæ sic habent:* Sed invidentiâ Diaboli mors venit in mundum, & tentant illum, qui cedunt in partem istius. Sapient. 2. 24. *Et* denique, *aliud longè est, aliquem creatum esse immortalem, & aliquem creatum esse ad immortalitatem. Quoniam etiam is, qui mortalis creatus est, ad immortalitatem creari potuit, nimirum ex consilio Dei, si præceptis ejus obsequium præstaret. Imò ex eo, quòd aliquis ad immortalitatem creatus sit, sequitur, eum non esse immortalem creatum.*

XXIII. Locus secundus, quem sibi, tanquam ab Orthodoxis objectum, refutandum selegit Adversarius, habetur libro *Sapient. c. 2. 23.*

23. *Deus creavit hominem ad conditionem incorruptam, & imaginem ipsissima natura sua fecerat eum.* Et quidem ex versione Lutheri orthodoxos facit argumentantes, quæ habet, Godt hatte den mensch zur unsterblickeyt geschaffen. Tria verò quæstione hâc reponit. 1. Locum esse ex libro Apocrypho. 2. Malè esse translatum. 3. Aliter eum debere intelligi.

XXIV. Ad *Primum* quod attinet, locum scilicet esse apocryphum. *Resp.* Eam ipsam rationem me facere dubitare, hunc locum scripto aliquo publico Ecclesiæ, vel Viri scriptis contra Socinianos clari, in acie argumentorum contra Socinianos thesin orthodoxam asserentium collocari, ut eum cum palmariis Catecheseos autor sibi refutandum censuerit. Etenim, quia libri Apocryphi, non ejusdem sunt, cujus cæteri, quos Canonicos Ecclesia vocat, certitudinis, apodictica argumenta ex iis ducere non consueverunt Orthodoxi: sed thesi aliquâ probatâ, uti etiam solent testimoniis ex libris Apocryphis, cum iis, quæ ex canonica scriptura deprompta sunt, argumentis, concordantibus. Non enim penitus abjiciendi sunt libri isti, sed tantùm in iis, in quibus iis non convenit cum canonica scriptura. quanquam ea, quæ ex Apocryphis citantur etsi scripturæ canonicæ sint consona, non tamen eandem vim probandi, quàm illæ, habent. Ex hoc loco allegato Smalcius librum Sapientiæ non evinceret Apocryphum esse, quia id, quod scripturis canonicis conforme est, loquitur. Etsi multa sint, quæ eum Apocryphum faciunt, sunt tamen quædam, quæ, si non probandi, saltem illustrandi vim, apud bonos, post demonstrationem apodicticam, obtinent.

XXV. Ad *Secundum*, quo dicit, non debuisse verti, *Deus creavit hominem ad immortalitatem, sed ad incorruptibilitatem.* Regero. Transparere per hoc ficulneum distinctionis folium ignorantiam Smalcianam. Quid enim, an hoc adeo insolens est, vocem genericam pro specifica poni? Nonne mors species est corruptionis? corrumpitur totum, corrumpitur altera pars. Deinde, qui homo immortalis est, etiam est incorruptibilis, & qui incorruptibilis, immortalis est, ut exigua sit inter has voces differentia; quanquam vox incorruptibilitatis latius se extendat. Didicisse debebat Smalcius ex Magistro suo Socino hanc synonimiam, qui de statu primi hominis cap. 9. resp. 3. p 262. inquit: *Nihil aliud est mori, quàm corrumpi, & in aliam formam verti: & rursus, corrumpi nihil est aliud, quàm*

quam mori, id est, desinere. Hoc tamen loco ἀφθαρσία incorruptibilitas, immortalitatem significat, ut liquet ex versu 24. sequenti, isti 23 adversativè opposito: *sed invidentiâ diaboli mors venit in mundum.* Quibus verbis Vir sapiens mortem opus Diaboli dicit, quemadmodum prioribus Deum immortalitatis dixerat autorem, quæ enim aliàs foret oppositio?

XXVI. Falsa ergo est glossa Smalcii super voce incorruptibililitatis instituta, quasi verò illa notet statum felicem, fortunatum quietum, tranquillum, usque ad hominis vitæ terminum. Prompti alioqui sunt Sociniani, ac procacesin allegandis scripturis, depravationibus suis saltem in speciem faventibus: sed hic nullus adferri potuit scripturæ locus, quo vox incorruptibilitatis sumeretur, eo quo ille voluit, significatu, nec adferre poterit unquam. Sed premam hominem absurdissimum absurdo. *Primò*; Si incorruptibilitas significat hominis statum felicem, ad vitæ terminum præfixum; tum Deus cum dicitur creasse hominem ad incorruptibilitatem, dicendus erit homini tantùm prospexisse de vita hâc terrena quietè, feliciter, cum successu rerum, transigenda; nihil verò de æterna felicitate statuisse, quia expressè dicit; *usque ad terminum ejus præfixum.* Quæ verba de vita terrena intelligenda sunt; beata n. vita terminum nullum habet, quia æterna. *Secundò*; Si per incorruptibilitatem intelligatur status hominis in hâc vita felix, quietus &c. tum id vel maximè verum erit de fidelibus ac piis. Atqui sortem contrariam eorum esse, & scriptura docet, & experientia testatur; cum sceleratorum plerique eo statu fruantur. Ergo his Deus providisse, illos neglexisse dicendus erit, quorum tamen semper potissimam rationem habet. *Num boves curæ sunt Deo?*

Ex versu sequenti, quem pro firmanda inepta sua explicatione intorquet, nihil tale extorquet. Eo n. non dicitur; per Diaboli invidiam *incorruptibilitas*, sed *mors* introivit in mundum. Ex qua oppositione liquet, Virum sapientem, per ἀφθαρσίαν intellexisse immortalitatem, non statum hominis quietum.

XXVII. Quod autem tertio loco comminiscitur, *aliud esse, creatum esse immortalem, aliud ad immortalitatem creatum esse*, plus est quàm puerile. Equidem, qui benè distinguit, benè docet, sed distinctio fundamentum in re habeat oportet. Hîc verò cum rei nihil subsit, fortè nec ipse Aristoteles vel Plato, ut habet proverbium distinguere posset. Nonne enim is qui ad immortalitatem creatus est,

est, eo ipso momento, quo creatur, immortalis esse incipit? ante creationem quippe sui immortalis dici non potest, nisi in idea rationis ratiocinantis. Et terminus ille ad quem, seu finis, *ad immortalitatem creari*, est in decreto Dei de homine creando, quem homo assequitur per immortalitatem. Adeo, ut si distinctio hæc obtinere debeat id fiat necesse est, ratione diversorum subjectorum. Ratione Dei ad immortalitatem creare, ratione hominis immortalem esse. At verò Catecheseos autor utrumque distinctionis membrum de homine vult prædicari. *Quoniam*, inquit, *etiam is, qui mortalis creatus est, ad immortalitatem creari potuit, nimirum ex consilio Dei, si preceptis ejus obsequium præstaret.*

XXVIII. Verùm hinc jam liquet phrasin istam, ad immortalitatem creari, duplicis esse sensus, atque Adversarium eâ ludere. *Primò* significat ad vitam æternam creari, tanquam ad ultimum hominis finem, quo sensu omnes fideles, etsi ob peccatum sint mortales, ad immortalitatem possunt dici creati, ad quam tanquam fidei suæ finem gratiâ Dei perventuri sunt. Et hactenus obtinet illa distinctio, aliud est creatum esse ad immortalitatem, aliud creatum esse immortalem. Nam fideles, etsi mortales sint, tamen à Deo ad immortalitatem creantur. Sed de eo quæstio non est, an in statu lapsus & reparationis aliud sit ad immortalitatem creatum esse, aliud immortalem creatum. Verùm de statu integritatis quæritur, an ratione hominis integri aliud sit ad immortalittaem creatum esse, aliud immortalem creatum esse. Dicimus quod non, quia 2. ad immortalitatem creari notat *qualitatem subjecti*, cum quâ Deus hominem condidit, (quemadmodum ad imaginem Dei creari, non finem hominis, sed qualitatem subjecti denotat) & hoc sensu ad immortalitatem creatum esse, & immortalem creatum esse, sunt unum idemque, uti paulò ante dictum.

XXIX. Hinc jam facilè est judicare, quid statuendum sit, de eo, quod ex falso principio deduxit, consectario. Quo dicit, verbis quæstionis ultimis: *Imò ex eo, quòd aliquis ad immortalitatem creatus sit, sequitur, eum non esse immortalem creatum.* Ita est, si phrasin istam, ad immortalitatem creari, sumas sensu quem thesi præcedente dedimus, priore, finaliter in statu lapsus. Si verò posteriore sumas sensu, pro subjecti qualitate, in statu integritatis, tum phrases istæ æquipollent: & is, qui ad immortalitatem creatus est, creatus quoque est immortalis, & vice versâ. Non addo plura, nebulæ, quas luci offuderat, per ea, quæ

diximus, satis sunt discussæ. Jam vindicandus est locus tertius, *Rom.* 5. 12. *Propterea sicut peccatum per unum hominem introijt in mundum, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt.*

Quæst. 5. *Quid verò mihi respondes ad tertium locum?*

Resp. *Hoc, quòd Apostolus ibi non loquatur de mortalitate, sed de morte ipsa. Aliud autem est mortalitas, aliud mors ipsa, siquidem aliquis mortalis esse potest, nec tamen mori.*

Quæst. 6. *Quomodo autem illud intelligam, quòd mors per peccatum introiverit in mundum?*

Resp. *Hoc modo, quòd Adam propter peccatum suum ex Dei judicio æternæ morti subjectus fuerit; Et postea omnes homines, propterea, quia ex eo nati sunt, eidem morti subjecti sunt. Hoc ita se habere demonstrat collatio Christi & Adami, quam Apostolus ibi loci instituit, incipiendo à v. 12. usque ad finem.*

XXX. Quæstionibus his duabus duo agit Catecheseos autor; primâ; orthodoxum ac genuinum hujus loci sensum rejicit; secundâ, Socinianam, hoc est, falsam interpretationem tùm proponit, tum confirmare satagit, quàm feliciter utrumque succedat, experiamur. Dicit ergo, dum Apostolus ait *Rom,* 5. 12. *Propterea sicut peccatum per unum hominem introijt in mundum, ita per peccatum mors,* non intelligi *per mortem, mortalitatem, sed mortem ipsam.* Hoc est, non conditionem & naturam sive potentiam mortalem, sed actum mortis non causam, sed effectum, quia conditio ista mortalis, sive mortalitas, mortem in nobis, postquam illa à peccato causata fuit, causatur & & ipsa. Adeo, ut Deus ipse sit naturæ mortalis causa, ex mente Adversariorum; qui enim est causa causæ est etiam causa causati, in causis scilicet per se. Cum tamen Deus dicatur hominem valde bonum creasse; quæ verò illa bonitas, si principium destructionis, naturæ ejus planè adversum, illi concreavit? Sanè, quod Deus illi tanquam pænam peccati denunciavit, id nequaquàm ante illam de-

denunciationem homini fuit naturale. Dum ergo Apostolus dicit, *per peccatum mors*, utrumque intelligit, & mortalitatem, ut causam, potentiam: & mortem ipsam, ut effectum, & actum ex potentia in actum deductum. Quia peccatum utriusq; causa est. Quorsum enim illæ minæ, *quo die comederis, morte morieris*, si homo jam tum, antequam peccârat, mortalis fuisset, & ad hoc, ut moreretur conditus? Quia verò peccatum hominem morti subjectum reddidit, non evadit Adversarius commentitiâ istâ distinctiunculâ: nec efficit quod vult, nimirum, primùm hominem moriturum fuisse, etiamsi non peccasset: & consequenter, mortem temporalem non esse pænam peccati: & quod ex hoc exsculpint, Christum non vice nostri mortem expiatoriam sustinuisse, sed tantùm bono nostro exemplarem.

XXXI. Illud verò, ne sine ratatione loqui videatur, quia scripturam non habuit, quod rationis loco, ad probandam distinctionem suam, non solidiùs est ipsâ distinctione. *Siquidem, inquit, aliquis mortalis esse potest, nec tamen mori.* Quandoquidem post denunciatam homini mortalitatem, mortalitas cum morte ipsa ita sunt contesseratæ, ut qui mortalis sit, non possit non mori. *Statutum enim est hominibus mori*, Heb.9. 27. Quod si Enochi, Eliæ, eorumque, quos dies extremus vivos reperturus est, objicias exempla, qui mortales fuerunt, nec tamen mortui sunt, qui mortales erunt, nec tamen morientur. *Respondeo* 1. Rem esse de ordinario naturæ cursu, non de extraordinariis exemplis. Ex illo debet fieri decisio de thesi, non ex his. 2. Utrisque mutationem illam fuisse, & fore mortis loco; quæ, qualis fuerit in illis, futura verò in his, experiemur, si nos dies Domini vivos deprehenderit, & filius hominis, in gloria Patris sui, nostris diebus apparuerit.

XXXII. Jam, quomodo Catecheseos autor locum ad Rom. 5. vers. 12. explicet, videamus. Dicit Apostolus; *per peccatum mortem introivisse in mundum.* Ille nodum in scirpo quærens, ac si magnâ obscuritate laborarent verba Apostoli, Catechumenum suum interrogare facit. *Quomodo hoc intelligam, quòd mors peccatum introiverit in mundum?* Ac respondet ille. Quòd *Adam propter peccatum suum ex Dei judicio æternæ morti subjectus fuerit.* Hic adversarius pænam peccati tantùm statuit æternam mortem. Nos paulò ante docuimus, mortis vocem cum indefinitè ponitur neque adjecto epitheto, neque subjectâ materiâ determinatur, intelligendas esse omnes mortis spe-

ſpecies; quarum quatuor eſſe diximus, æternam, temporalem, ſpiritualem peccati, ſecundùm illud, *ſepeliant mortui mortuos. Luc. 7. 62.* denique calamitatum, eaſque omnes homini illâ comminatione, *morte morieris*, denunciatas fuiſſe. Eò quòd omnes iſtæ adverſentur naturæ humanæ integræ. Nihil autem Deus naturæ integræ adverſum, quod eam vel deſtrueret, vel affligeret concreavit; quæ enim illa fuiſſet felicitas? quæ bonitas? quippe homo dicitur valde bonus creatus. Omnes ergo iſtæ mortes, ſimul ſumptæ, pæna ſunt peccati. Ac proinde falſum, quod ſupponit Adverſarius, Adamum propter peccatum, æternæ tantùm morti fuiſſe ſubjectum.

XXXIII. Quia autem præcipuum eſt quæſitum, quomodo per peccatum Adami tranſierit in poſteros, dicit ſecundò & de hoc: *Et poſtea omnes homines, propterea, quia ex Adamo nati ſunt, eidem morti ſubjecti ſunt.* Quam gloſſam à Magiſtro ſuo Socino didicit, qui *lib. 3.* de Servat. ait. *Tametſi enim omnes ab Adamo prognati morti perpetua ſunt obnoxii, id non ideo fit, quòd ipſis Adami delictum imputetur: ſed quia ab eo progeniti ſunt, qui morti perpetua, divino decreto fuit addictus: & ita non propter peccati* imputationem, *ſed propter* generis propagationem, *id illis contingit.* Quam explicationem ipſe Socinus l. 4. c. 6. de Servat. ad ꝟſ. *12. c. 5. ad Rom.* prolixè toto illo capite perſequitur. Sed contra mentem Apoſtoli, & analogiam totius ſcripturæ, quæ peccatum Adæ cauſam mortis omnium hominum aſſerit. Hoc ipſo cap. ad *Rom. 5.* aliquoties *v. 15. Nam ſi illius unius* (Adami) *offenſâ multi mortui ſunt.* ꝟſ. 16. *Reatus eſt una offenſa ad condemnationem.* ꝟſ. 17. *Per unam offenſam, mors regnavit per unum.* ꝟſ. 18. *Sicut per unam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem.* ꝟſ. 19. *Sicut per contumaciam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.*

Quid iſtis clarius? Unius offenſâ multos mortuos eſſe; reatum, ſcilicet peccati, per unam offenſam in omnes homines ad condemnationem veniſſe; per contumaciam unius, multos peccatores conſtitui; an hæc æqui pollent Sociniano commento, *& ita non propter peccati imputationem, ſed propter generis propagationem id*, (ſcilicet mors) *illis contingit.* Imò verò eſt hoc in os contradicere Spiritui ſancto. *Ille* enim per Apoſtolum ait: unius offenſâ, vel *propter unius offenſam.* Socinianus verò ſpiritus, *non propter peccati unius offenſam.* Cui fides adhibenda ſit nemo non videt. Conſona iſtis habet Paulus. *1 Cor. 15. 22. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Maxi-

XXXIV. Maximè verò urget Adversarios illud ℣. 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *in quo omnes peccarunt.* Quibus verbis Apostolus rationem reddit, cur scilicet, per unum hominem, mors introiverit in mundum, quia nempe in eo omnes peccaverant. Cum autem peccati stipendium sit mors, fieri nequit, ut qui in Adamo peccati reus fuit, etiam ob eam causam, quia in Adamo peccavit, morti non fiat obnoxius. Hunc ictum ut declinent, illud ἐφ' ᾧ censent non interpretandum esse, *in quo*; dixisset enim, inquiunt, Apostolus ἐν τῷ, ut 1 *Cor.* 15. 22. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν. *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur.* Verùm lingua græca non ea laborat penuriâ, ut unum idemque non possit variis modis eloqui. Quare illi familiare est ἐν τῷ, etiam efferre per ἐπὶ τῷ, vel ἐφ' ᾧ, tam in Sacris, quàm profanis. In Sacris *Hebr.* 9. 10. ἐπὶ βρώμασι *in cibis*: & v. 17. διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία *testamentum enim in mortuis ratum est.* Planè autem frivolum est, adhunc locum posteriorem Socini exceptio, dicentis *lib.* 4. *de Serv. cap.* 6. vocem διαθήκη conjungendam esse cum ἐπὶ νεκροῖς; quia manifesta est vis textui sacro illata; ista enim ἐπὶ νεκροῖς, conjungenda sunt cum βεβαία. Subjectum quippè est διαθήκη, prædicatum βεβαία. Jam, in quo διαθήκη est βεβαία? respondetur ἐπὶ νεκροῖς. Sic hoc loco, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, ἐφ' ᾧ non debet conjungi cum subjecto πάντες, sed cum prædicato ἥμαρτον, non enim omnes subjectivè sed causaliter in eo fuerunt. Quomodo autem fuerunt in Adamo, sic etiam peccarunt, sic etiam mortui sunt. Atqui non fuerunt subjectivè, sed causaliter; ergo etiam causaliter in Adamo & peccarunt & mortui sunt. Pseudo doctor Socinianus, videtur velle gentium Doctori formulas Græcè loquendi præscribere.

XXXV. Quod etiam liquet ex ea ipsa interpretatione, quam dat Socinus istius ἐφ' ᾧ, vertendum inquit est, *eo quòd*, vel *quandoquidem*, quomodo etiam verti volunt Calvinus, Martyr, Osiander; particulæ enim istæ causales sunt. Adeoque etiam secundùm Socini explicationem, per τὸ ἐφ' ᾧ notatur causa, quare omnes moriantur in Adamo, *eò quòd* vel *quandoquidem* peccarunt in Adamo. Clarior fiet res, si conferamus id, quod dicit Apostolus ℣. 14. *Mors regnavit ab Adamo usque ad Mosen, etiam in eos qui ad similitudinem transgressionis Adami non peccarunt.* Quibus verbis Apostolus innuit, morti obnoxios fuisse, etiam eos, qui actualiter non peccarunt, puta infantes; actualiter enim peccare,

est ad similitudinem Adæ peccare. Nam si ad similitudinem Adæ tantùm peccat, qui contra expressum mandatum Dei, propositâ mortis pœnâ sibi datum peccat, facile hinc efficeretur neminem ad similitudinem Adæ peccare, nisi in cujus peccato eadem omnes circumstantiæ inveniantur quæ in Adami fuerunt. Satis est ut in quibusdam circumstantiis sit convenientia, nimirum in spontaneitate & actualitate, ut ita loquar. Ita ut omnis ille dicatur ad similitudinem Adæ peccare, qui peccat actualiter & sponte. Dicit ergo hoc loco Apostolus in eos mortem regnasse, qui nihil quicquam actu perpetrarunt, aut perpetrare potuerunt, sed qui origine & naturâ à lege deficiunt, inter quorum peccatum & Adami pene nulla est similitudo. Quare verò mors in infantes regnavit? non propter actuale peccatum, quod nullum admiserant, ergo propter illud quod ipsis & Adamo fuit agnatum; quia ἐφ' ᾧ in Adamo peccarunt, quia naturâ erant filii iræ. *Eph. cap. 2. vers. 3.* Unde manifestum est, propagationem, quâ propagationem, ex Adamo, non esse mortis causam.

XXXVI. Pergit autor Catecheseos, ac dicit, istam suam explicationem, (omnes homines mori, quia ex Adamo nascuntur) liquere ex *Comparatione Christi & Adami* ab Apostolo instituta. In quo ergo Christus & Adam comparentur inter se, videndum est. Catecheseos autor non expressit, sed tertia convenientiæ, nobis à *vers. 12.* ad finem *caput. 5.* ad *Romanos* indaganda reliquit. Ea ergo nobis elicienda sunt, ut tantò audacius de conclusione, quam ex comparatione ista roborat, vera ne an falsa sit, pronunciare queamus.

XXXVII. Prius comparationis membrum comprehensum est *vers. 12, 13, 14.* Illud quod de Adamo dicit, prolixius explicat, usque ad ultima verba, *v. 13.* quæ Christum respiciunt, *qui est typus illius qui erat futurus.* Convenientia in eo est. Quemadmodum Adam principium atque origo est omnis mali; ita è contrario, Christus autor omnis boni contrarii, vitæ ac felicitatis. Insinuant id verba illa, *qui est typus illius qui erat futurus.* Quemadmodum enim Adam suo peccato reos facit; ita nos Christus suâ justitia à reatu absolvit. Verbo. In eo conveniunt, quod uterque sua cum suis communicet, ille peccatum, hic justitiam. Idque non tantùm *imitatione*, ut volunt Sociniani, ratione utriusque tum Adami, tum Christi; quia, inquiunt, peccatum per imitationem traducitur, & Chri-

stus

stus nobis exemplar fuit. Sed etiam participatione, ratione Adami partim *Physicâ*; homo enim peccator peccatorem generat, & sic peccatum traducitùr; partim *morali*, quia Adami peccatum posteris imputatur, dicente Apostolo, *per unius inobedientiam multos constitui peccatores.* v. 19.

XXXVIII. Vers. 15. 16. Apostolus instituit collationem Adami & Christi, non parium, sed minoris & majoris, adeoque excellentiam beneficiorum, quæ in Christo nobis obtingunt, præ damno in Adami lapsu illato, extollit. Ac primo dicit, in quo quodammodo sunt pares. 1. Sicut Adam unus solus autor peccati; sic Christus unus solus author beneficii. 2. Sicut se Adami peccatum diffudit in omnes suos ad mortem; sic Christus omnibus suis communicat donum ad justificationem vitæ. Imparitatem verò utriusque, adeoque Christi beneficiorum præ Adami damno præstantiâ, innuit comparativa particula *multò magis* 1. In adjunctis. Adam enim offensam habet. Christus gratiam, & donationem per gratiam. 2. In effectu, seu vi, tum beneficii Christi, tum damni per Adamum allati, delictum enim potenter redundavit in multos, ad mortificandum eos; multò vero potentius hoc redundat, ad vitam scilicet, ut ex verf. 18. liquet. Christi ergo effectus, Adami damno tantò est excellentior quantò vita mortè felicior. Versu 16. Christum Adamo iterum eo præfert ex effectis beneficii Christi, & damni per Adamum acquisiti. Quia per *unam offensam* Adami reatus erat ad condemnationem omnium; omnibus enim hoc unum Adami peccatum interitum attraxit, & per id universum genus humanum æternæ addictum est maledictioni, per Christi autem gratiam non tantùm una illa offensa sed & reliquæ omnes sunt ablatæ. *Quod autem gratificatur Deus, est ex multis offensis adjustificationem.* Gratia enim Christi perimit primum delictum Adæ & omnia nostra quæ addidimus, quibus reatum & condemnationem cumulavimus immensum. Tollit inquam causam & effecta omnia, obstruit fontem & rivos malorum, inquit Pareus. *Sanguis enim Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.* In infinitum ergo hoc potentiùs quam illud.

XXXIX. Vers. 17. Effectum peccati Adami quod est regimen mortis, cum effecto exundantiæ gratiæ in iis qui donum justitiæ recipiunt, quod est regimen in vita, comparatur; si enim mors per peccatum regnavit, ut hostis ut tyrannus, majori jure regnabunt per

justitiam ii, quibus Christus dedit, præparavit regnum, quos fecit Reges, ut cum ipso regnarent. Ut Apodosis protasi collationis responderet, dicendum fuisset Apostolo: multò magis vita unius nempe Christi justitiâ partâ regnavit. Verùm propter piorum consolationem, ipsis fidelibus tribuitur, quod alioqui non nisi obedientiæ Christi competit; sed quia ista obedientia fidelibus imputatur, ipsis hoc fidelibus largitur Apostolus.

XL. Vers. 18. 19. Concludit, quod v. 12. proposuerat, & sequentibus versibus per comparationem Adami & Christi illustrarat. Ac si diceret, his ita se habentibus, concludo: Ex Adamo in omnes redundavit reatus ad condemnationem per unam transgressionem. Ex Christo verò in omnes gratia Dei redundavit ad justificationem vitæ per unam justificationem. Conclusionis hujus ratio redditur *ṽ*. 19. *Sicut enim per contumaciam unius hominis* &c. hoc est, propter lapsum Adami etiam ejus posteri, atque sic omnes homines nascuntur peccatores sive peccato infecti, quod evincit *ἀντίθεσις*. Opponitur enim *Adam* & *Christus*. Adami *inobedientiâ* & Christi *obedientia*. Per *illam* homines dicuntur constitui *peccatores*, ut moriantur: per *istam justi*, ut vivant. Sicuti igitur per phrasin *justum constitui*, notatur ipsa justitia, non ipsius præmium: ita vigore *ἀντιθέσεως*, per phrasin *constitui peccatorem*, innuitur ipsum peccatum, quòd inficit, non æterna mors tantùm, quam hîc solam intelligi contendunt Sociniani. Ita enim Socinus ipse, (libello Racoviæ Anno 1611. edito, cui titulus: *Quod Regni Poloniæ & magni ducatus Lithuaniæ hominis Euangelici, &c. se debeant adjungere cœtui; eorum, qui in iisdam locis falso Arriani atque Ebionitæ dicuntur*,) super hunc locum commentatur, pag. 88, 89. multi, id est, omnes constituti sunt peccatores, id est, necessariæ ac perpetuæ morti sunt obnoxii.

XLI. Hæc est illa, ad quam nos autor Catecheseos remiserat inter Christum & Adamum, instituta comparatio, cujus quidem omnia membra nostram thesin adstruunt, atque explicationem nostram istius dicti Rom. 5. 12. communiunt, quâ dicimus mortē per unum hominem in mundum introivisse, nihil aliud esse, quam Adami peccatum causam esse mortis, non tantùm æternæ (quam Sociniani perpetuam ac *necessariam* vocant, nescio cur necessariam magis, quàm temporalem, quam homini in statu integro naturalem i. e. necessariam contendunt) sed & temporariæ, & omnium quæ mortis nomine in scri-

scriptura veniunt. Adeo ut temporalis mors non sit naturæ sequela, sed pæna peccati, quam Christus de jure, non de facto adhuc sustulit, ut quidem sit, sed mala non sit. Sententia verò Sociniana nescio quibus fidiculis hinc eliciquiat, nisi fortè præter mentem Apostoli, nescio quæ non comparationis membra comminisci quis velit.

XLII. Stat ergo immota veritas theseos Orthodoxæ, etsi eam arietibus Adversarius ut concuteret, conatibus non pepercerit. Nimirum, hominem in statu integro non fuisse moriturum, nisi peccato mortem commeruisset. 1. Quia mortem illi Deus minatus est, nec æternam tantùm, sed omne id quod mortis nomine in scriptura venit; quod si homo naturâ morti subjectus fuisset, quid opus fuisset his minis? 2. Quia homo ad imaginem Dei creatus, cujus pars aliqua est immortalitas ratione animæ, & adjunctum individuum sanctitatis & justitiæ, in qua principaliter imago Dei consistit 3. Quia homo conditus est ad *ἀφθαρσίαν*, ad *immortalitatem*, ut rectè vertit Lutherus. 4. Quia per unum hominem mors introivit in mundum *Rom. 5. 10.*

Quæst. 7. *Iam intellexi, hominem naturâ nihil commune habere cum immortalitate; proba mihi quoque eum de via ad immortalitatem à se ipso nihil quicquam scire potuisse?*

Resp. *Id tibi probo hâc ratione; quòd hæc via rationem humanam excedat, quod Apostolus testatur dum ita ait*, 1. Cor. 2. ℣s. 14. Naturalis homo, non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. *Per hæc autem intelligit ea, de quibus suprra* versu 9. 10. *loquutus fuerat:* Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis, à quibus diligitur. Nobis autem Deus ea retexit per Spiritum suum. *Quod intelligendum est tum de immortalitate ipsa, tum de via, quæ ad eam ducit.*

XLIII. Quod ſupra ad *quæſt. 1.* hujus capitis neglexerat, jam præſtat hâc & ſequenti quæſtione. Probat ſcilicet ſcripturâ, viam ſalutis, quam hîc alio nomine viam ad immortalitatem vocat, non poſſe ab homine cognoſci, quod tum à nobis, quia ille tam nobile argumentum, non niſi unicâ ſtabiliverat ratiunculâ, abundè, & ut credimus ſolidè præſtitum. Videantur ea, quæ ad *quæſt. 1.* diximus.

XLIV. Hoc hîc notandum cenſeo locum iſtum *1. Cor. 2. 9. 10.* plerumque allegari pro concionibus earumque concluſione, tanquam locum deſcribentem felicitates cœleſtes, hinc inmediatè addi ut plurimum ſolet: Ad quas felicitates juva nos &c. Amen. Perperam, & præter mentem Sp. ſancti. Inſpiciatur locus ipſe in Eſaia, ex cujus ore hîc Apoſtolus loquitur & ſcribit, liquidò apparebit Eccleſiâ V. T. & proinde Apoſtolum loqui de felicitate Eccleſiæ N. teſt. Confer. cum his illud Salvatoris *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, Multi Reges & Prophetæ cupiverunt*, &c. Luc. 10. 23, 24. Si tamen quis non incommodè hoc loco, ad deſcribendas & extollendas cœli & futuræ vitæ felicitates uti velit, poterit id fieri hoc modo. 1. Ut dicat, poſt alia cœli encomia: tum demum verificabitur de cœli gaudiis, quod à propheta de felicitate Novi Teſtamenti prædictum, & ab Apoſtolo iteratum, *nec oculus videt* &c. 2. Per modum comparatorum, argumentando à minore ad majus. Præmiſſis aliis cœli encomiis, ut ex *Pſal. 16. 11.* Ibi ſatietas gaudiorum amænissimorum in conſpectu Domini. Et quid ni! de Eccleſia Novi Teſt. in terris adhuc militante dicitur, quòd videat, quæ oculus non vidit, cum tamen tantùm *tanquam per ſpeculum & ænigma cernat.* 1. Cor. 13. 12. Quod audiat, quæ auris non audivit, cum tantùm audiat Euangelium quod per Prophetas promiſerat. *Rom. 1. 2.* &c. Quid de cœli gaudio dicam? In quo de facie ad faciem videbimus &c. In quo audiemus vocem illam blandam amabilem de lectabilem ſalvatoris noſtri, voces illas Angelicas omniumque beatorum, Sanctus &c. Intonantium; In quo Deus erit omnia in omnibus, ſupplebitque quod hîc cogitationibus non attigimus. His & aliis ſimilibus modis commodiſſimè illud dictum Apoſtoli hic applicari poteſt.

Quæſt. 8. *Potes-ne idem alio ſcripturæ teſtimonio demonſtrare.*

Reſp.

Resp. *Etiam possum demonstrare eo, quod scriptum est ad* Rom. 1. 19, 20. *ubi Apostolus ita inquit:* Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis, Deus enim iis manifestavit; ipsius enim invisibilia, jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit mente perpensâ pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas, ad hoc, ut sint inexcusabiles.

Quæst. 9. *Quomodo id ex hoc loco probatur?*

Resp. *Hoc modo, quia Apostolus manifestè testatur, ea quæ Deus homini per Euangelium revelavit, ita esse comparata, quòd ab initio mundi fuerint invisibilia, & quòd ea propter homines ea non potuerint, à se ipsis intelligere; Nam ipsa materia, de qua Apostolus hoc loco agit, ostendit, opera, illa, ex quibus invisibilia Dei innotuerunt, de operibus Euangelii intelligenda esse.*

XLV. Producit autor Catecheseos, ad probandum, viam immortalitatis naturâ homini esse incognitam locum ex Epistola ad *Rom. 1. 19, 20. quæst. 8.* eumque explicat, dixerim potius implicat & pervertit *quæst. 9.* Allegatio istius loci, eo fine, quo eum produxit, est mera ignoratio elenchi, si unquam à quopiam commissa. Explicatio verò planè præter, imo contra analogiam contextus Apostolici. Sed & ultimam, hujus capitis quæstionem addamus; vix enim sine copula ejusdem cum præcedentibus duabus, vel ad illas plenè, vel ad hanc solam sine tautologia responderi potest. quærit ergo

Quæst. 10. *Verum hic locus plerumque aliter intelligitur.*

Resp. *Equidem verum est, sed hoc inde est, quod hic locus aliter legatur, atque ab Apostolo positus est. Nam*

quod

quod Apostolus scripsit, à creatione mundi, *hoc legitur*, ex creatione mundi. *Et præterea, verba, quæ cum præcedentibus conjungi debent, nimirum* ipsius invisibilia, (*quemadmodum hujus simile exemplum extat* Matth. 13. 35. Aperiam per parabolas os meum, eructabo occultata à jacto mundi fundamento:) *adjungunt sequentibus, his nempe*, fiunt visibiliâ, *vel pervidentur.*

XLVI. Status controversiæ circa hunc locum in eo versatur. 1. An eo agatur de gentilibus extra Ecclesiam nec ne? 2. An agatur de creationis operibus, an verò de Euangelio, ejusque operibus. 3. An agatur de cognitione Dei naturali ex operibus Dei creatis; an verò de cognitione revelata per opera Euangelii? Quibus expeditis, responsio ad locum de quo controvertitur, facilis ac expedita erit. Ad *primum* ergo, contra catecheseos authorem dicimus: Apostolum hoc loco agere de gentilibus extra communionem Ecclesiæ, quibus Euangelium planè incognitum fuit. Liquet à vers. 14. c. 1. ad Rom. *Et Græcis & Barbaris, tum sapientibus, tum insipientibus debitor sum.* à v. item 22. *quum se dictitent sapientes*, qui & σοφοὶ & φιλόσοφοι per excellentiam dici volebant. Ex versu quoque 23. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam effigiem corruptibilis hominis, & volucrium, quadrupedum, reptilium.* Quod sanè fecerunt gentes, tot Deos deasque, nec non eorundem varias imagines commentæ. Ut taceam *v. 12, 14, 15. cap. 2.* ejusdem Epistolæ.

XLVII. Ad *secundum* quoque dicimus, non agere hîc Apostolum de operibus Euangelii; sed creationis. Dicit enim expressè ἀπὸ κτίσεως κόσμου *à creatione* vel *ex creatione mundi.* Deinde, res ipsa loquitur; quia opera Euangelii non fuerunt omnibus invisibilia à creatione mundi, ut supra aliquoties à nobis demonstratum est, dum refutaremus hypothesin illam Socinianam, doctrinam nimirum Euangelii cum Christo demũ & Apostolis cæpisse, ibi vide. Ad *tertium* deniq; etiam reponimus, agi hoc loco de cognitione Dei, quæ est ex operibus ejus creatis. 1. Quia *v. 19.* dicitur: *Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis.* Quod

Quod autem de Deo cognosci potest, hic contradistinguitur iis, quæ non agnoscuntur sine revelatione, quale est mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis Christi, redemptionis mundi, & intelligitur id, quod ductu rationis de Deo est noscibile. At, *inquit*, dicit Apostolus, *Deus iis hæc manifestavit.* Verum. at quomodo? per naturam, *ex iis quæ fecit*, ut idem Apostolus loquitur, *v. 20.* 2. Loqui hic Apostolum de cognitione, quæ est ex operibus creationis, hinc patet, quia dicit, cognitionem esse ex talibus, quæ sunt *ποίημα factura, opus*, non miracula Christi & Apostolorum, ut Sociniani ineptiunt. Et hæc, quam nos damus ex Apostolo vocis *ποίημα* interpretationem, frequens imò perpetua ferè est in scriptura, duo exempla sufficiant *Eph. 2. 10. αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα.* Et *Eccl. 8. 17.* creaturæ vocantur *ποιήματα θεοῦ*, *facturæ*; opera Dei. Quod si Apostolus hic per opera ea, per quæ invisibilia Dei innotescunt, intellexisset opera Euangelii & præcipuè mirabiles Christi & Apostolorum operationes, usitatis fuisset usus vocabulis, quibus eas Spiritus S. indigitare solet, qualia sunt *δύναμις, σημεῖα τέρας*, non *ποίημα*. Præterea, dicit Apostolus, quòd hæc invisibilia Dei innotuerint à creatione mundi. At miracula & mirabiles operationes Christi & Apostolorum, quæ hic Sociniani per invisibilia Dei intelligunt, non innotuerunt à creatione mundi, sed multis post creationem seculis.

XLVIII. His præsuppositis, manifestum est, in allegatione loci hujus, autorem Catecheseos planè a janua aberrare, & nihil ad propositum facere, quia non agit de operibus Euangelii, sed creationis, non de Christianis, sed de Gentibus, non de cognitione Dei ex revelatione per verbum, sed per naturam. Ut mirari subeat, audere eum sine fronte dicere, materiam subjectam demonstrare, ea opera, ex quibus invisibilia Dei cognoscuntur, de operibus Euangelii intelligenda esse; cum tamen ibi nec Euangelii, nec Christi, nec Apostolorum mentio fiat, quos illi primos Euangelii præcones statuunt.

XLIX. Ne tamen nihil videatur dicere, duo reponit *quæst.* ultimâ. 1. Nos, pro *à creatione mundi*, (cui similis loquendi modus occurrit *Matth. 13. 35.*) legere, *ex creatione mundi.* Sed *Resp.* 1. Crassam hic eum prodere phraseos scripturæ ignorantiam. Frequenter enim *ἀπό*, *ex* significat. *Rom. 11. 25. ἀπὸ μέρους*, *ex parte.* *Matth. 3. v. 4. ἀπὸ τριχῶν καμήλου*, *è pilis cameli.* *Math. 7. 16. ἀπὸ τῶν καρπῶν*, *ex fructibus* 2. Parùm interesse an *ex* vel *à creatione* legamus,

mus, siquidem invictum manet robur argumenti nostri, etsi legamus, *à creatione*, id quod de Deo naturaliter cognosci potest, cognitum fuisse; sensum verò Socinianum utraque lectio respuit. Nam si *ex* legant, palpapibilis est falsitas. Quia opera Euangelii & mirabiles Christi ac Apostolorum operationes ex creatione mundi non sunt cognoscibiles. Si legant *à*, ne sic quidem explicatio eorum stare potest, quia operationes Christi & Apostolarum non à condito mundo, sed longè post creationem mundi innotuerunt.

L. Sed commissionis fallaciæ compositionis & divisionis postulamur. Ait enim, verba à *creatione mundi* debere conjungi cum *invisibilia*, & non, *invisibilia* cum *conspiciuntur* vel *pervidentur*. Verùm quia dicit tantùm, nec probat, sensus autem secundùm usitatam constructionem vocum fluit limpidissimè, secundùm Gatecheseos constructionem verò contortè, pluribus hoc effugium non dignor. Ita enim verbis contendere solent, quoties rerum laborant penuriâ.

LI. Libuit in lectoris gratiam adscribere commentarium ipsius Socini super hunc locum, ex quo etiam autor Catecheseos responsiones suas adornavit, ut videat, & videndo admiretur, hominum istorum in depravandis & pervertendis scripturis audaciam, impudentiam, & impietatem. Sic autem ille prælect. Theol. *cap. 2. Sciendum est verba* à creatione mundi *debere conjungi, cum verbo* invisibilia *eundemque sensum esse, qui est* Math. 13 35. *abscondita à constitutione mundi. Ait igitur eo in loco Apostolus.* Æternam divinitatem Dei, *id est, quod nos Deus perpetuò facere vult, (divinitas enim hoc sensu alibi quoque apud ipsum enunciatur, ut Colos. 2. 9.)* æternamque potentiam, *id est promissiones, quæ nunquàm intercident (quo sensu paulò superius dixerat, Euangelium esse potentiam Dei) hæc inquam,* quæ nunquam postquam mundus creatus fuerat ab hominibus visa fuerant, *id est, non fuerant eis cognita,* per opera, hoc est, *per mirabiles ipsius Dei & divinorum hominum, præsertim verò Christi & Apostolorum ejus operationes,* conspectas fuisse. Hæc ille, quæ recitasse, refutasse quidem est.

LII. Sed monstra explicationum expendamus tamen. *AEterna Deitas*, ipsi est, quod Deus nos perpetuò vult facere. Quis nunquam tale quid vel fando audivit? Voluntatem Dei, quam Deus à nobis fieri vult, esse ejus æternitatem. Quid si Deus hominem non creasset, & proinde nihil à homine fieri voluisset, æternus non

non fuisset ex hac sententia Deus. Illud quod ex *Col. 2. 9.* ubi Deitas in Christo dicitur habitare corporaliter, id de veritate inhabitationis naturæ divinæ intelligendum est, non de voluntate Dei, quam Christus fecit. Sed alibi hic locus nobis à corruptelis Adversariorum erit vindicandus. Jam non immorabimur.

LIII. *Æterna potentia*, illi significat, promissiones nunquam intercidentes. Quæ ratio? quia Euangelium, *inquit*, dicitur potentia Dei. Quid? ergo promissio est æterna Dei potentia? Æterna Dei potentia Deus ipse est, quam Deus nulli mortalium uni vocè communicat, promissiones verò tanquam effecta Dei, ut relativum quid ad homines se referuntur. Deinde, cum Euangelium dicitur potentia Dei, id non *Physicè* accipiendum est & principaliter sed *moraliter* atque instrumentaliter, quòd Deus eo, tanquam instrumento, non ex indigentia vel necessitate, sed voluntatis libertate, utatur.

LIV. Per opera hic intelligit mirabiles Dei Christi & Apostolorum operationes. Absurdissimè, ut paulò ante dictum. Locus ille *Math. 13. v. 35.* Quem conferri vult cum sua explicatione, qua dicit, idem hic esse *à creatione invisibilia*, quod ibi *occultata à jacto mundi fundamento* rem non conficit 1. Quia aliud est *invisibilia*, aliud *occultata*; invisibilia enim opponuntur visibilibus, quæ sunt objectum visus externi. Et de talibus loquitur locus *Rom. 1. 19, 20.* ut pote agens de operibus creationis, quæ fecit Deus. Occultata autem vel occulta latius se extendunt; quia non tantùm res ab oculis nostris absconditas atque latentes physicè significant, adeoque quæ visum nostrum fugiunt. Sed etiam moraliter quæ fugiunt intellectum nostrum, quæ abscondita sunt ratione scientiæ nostræ. De quibus agit locus *Math. 13. 35.* agit quippe de Euangelio per parabolas explicando. 2. Locus *Math. 13.* non absolutè intelligendus, sed comparatè, non quasi Christus dum os suum per parabolas aperiret, loquutus fuisset ea, quæ quoad essentiam rei, planè, omnibus retro seculis, ignorata, sed quæ ratione modi claritatis, quo hæc proponebantur in V. Test. quasi erant occultata; cum ea Christus jam loqueretur perspicuè, clarè, ad captum, per parabolas, qui docendi modus accommodatissimus est; cum olim omnia typis, figuris, umbris involuta essent. Verè ergo doctrina Euangelii in Vet. Test. occulta dici potest, ratione radiantis claritatis in Novo Testamento. Sed & de his satis.

CAP. II.

De Cognitione Dei.

In quo via salutis consistat.

QVæst. *Iam percepi viam Christianæ religionis nobis à Deo esse commonstratam atque revelatam: dic mihi, quæ est illa via?*

Resp. *Cognitio Dei & Christi, quemadmodum Dominus Iesus ipse testatur* Ioh. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant, te (*Pater*,) qui solus es verus Deus, & quem misisti Iesum Christum.

I. Quærit Catechesis, in quo via salutis consistat. *Respondet* ex *Joh. 17. 3.* In cognitione Dei & Christi. Dico 1. Eo loco quidem demonstrari necessitatem cognitionis Dei & Christi; sed non dici, eam *solam* requiri. Ergo hic locus nequaquam reliqua, quæ ad salutis viam faciunt, cognitu necessaria, excludit. 2. Cognitionem Dei & Christi, cum emphasi dicit author, ita scilicet, ut Christum Deo Patri non tantùm contradistinguat, sed & tanquam inferiorem subordinet, non velut æqualem constituat; quippe ex allegatione loci liquet, eum patrem solum subjecti loco ponere, qui locus paulò post, de Cognitione Dei, ubi constructionem illam suam urget, vindicandus erit.

II. 3. Catechesis nostra ait, viam salutis, consistere in cognitione Christi. Socinus autem in sua Catechesi sive Relig. Christ. institutione, pag. 16. Sic habet. *Primum igitur, quid censes de natura sive essentia Christi nobis cognitu esse necessarium,* Respond. *Id, ut antea dixi, sine cujus cognitione voluntas Dei erga nos, per ipsum Christum patefacta, à nobis vel sciri, vel servari nequeat.* Interrog. *Quid igitur ex iis, quæ ad Christi naturam sive essentiam pertinent, ejusmodi esse censes?* Respond. *Vix quidquam.* Vides contradictionem Magistri atque discipuli. Vides Socini, quam in Christum impuro ore evomuit, plus quam Judaicam vel Turcicam blasphemiam.

LO-

LOCUS III.

Cap. I.

De Essentia Dei.

Quæst. 1. *Dic mihi primò, in quo consistit cognitio Dei.*

Resp. *Consistit in cognitione earum rerum, quæ essentiam ejus concernunt, & in cognitione voluntatis ejus.*

I. Nihil ergo ex Sententia Socinianorum homo cognoscere tenetur, quod ad salutis viam pertinet ratione sui ipsius: nihil de miseria cui per lapsum Adæ est immersus nihil de peccato, morte temporali, æternâ, spirituali: nihil de ratione, quâ ex his emergere queat miseriis: nihil de sui regeneratione, resurrectione, glorificatione; cum tamen scriptura, ut hæc omnia expressè docet, ita sciri à salvandis exigit.

Quæst. 2. *Quænam sunt ea, quæ essentiam ejus tangunt?*

Resp. *Hæc sunt duplicia: Aliqua sunt omnino ad salutem necessaria, alia ad salutem valde commoda & utilia.*

II. Quod si is esset sensus istius distinctionis, qui est illius orthodoxæ, quâ credenda distinguuntur in Articulos *Catholicos*, & *Theologicos*, cujus distinctionis ratione, aliud dicitur necessarium *Theologo*, aliud *Theologiæ*, aliud Theologo Professori, aliud alicui ex communi salvandorum sorte, unde etiam *Theologia* in *Scholasticam* & *popularem* distinguitur à Doctis. (Vide distinctionis istius explicationem apud Pareum & Maccovium ex Pareo pag. 2. locor. Comm. posterioris edit.) non fuisset quod ad istam quæstionem notassem. Sed aliud quid subest. Nimirum, pauca ea esse admodum, quæ absolutè scitu sunt necessaria: adeoque multos articulos, quos Orthodoxi urgent tantopere, esse

minus necessarius, ut sive sciantur sive nesciantur, perinde esse. Sed age, quomodo sorex se ipsum prodat, videamus.

Quæst. 3. *Quænam sunt illa, quæ Dei essentiam tangunt, & ad salutem omnino necessaria sunt?*

Resp. *Hæc; Scire quòd Deus sit, quòd modò unus sit, quod ille æternus sit, perfectè justus, perfectè sapiens, & perfectè potens.*

III. Ostorodus Instit, Germ. pag. mihi 23. cap. 3. hæc habet. *Quanquam cognitio præcipuè consistat, in eo, ut voluntatem ejus sciamus, ejusque præceptis obediamus: attamen necessarium est, ut quædam quoque sciamus, quæ ejus essentiam concernunt.* Quibus verbis Ostorodus, ea, quæ de Deo ad salutem scitu omnino sunt necessaria, iterum dispescit, in ea quæ præcipuè, & quæ minus præcipuè sunt necessaria. *Præcipuè* voluntas Dei, *minus præcipuè* quædam de essentia Dei, quia scilicet sine cognitione horum, voluntati Dei non possemus, obedire. Itaque Deum non propter semetipsum cognoscendum censet, sed tantùm ut cognitione istâ ad præstationem præceptorum ejus obligemur. Quæ opinio an divino non detrahat honori, judicet lector Orthodoxus.

IV. Cæterum, communis illi est sententia cum autore Catecheseos, de iis quæ de Dei essentia, secundùm Theologiam Socinianam cognoscenda sunt. Ait enim illa hæc esse. *Deum esse.* 2. *Unum esse.* 3. *Æternum esse.* 4. *Eum perfectè bonum esse.* 5. *Perfectè sapientem,* 6. *Perfectè potentem.* Quod uterque didicit ex Magistro suo Socino, cujus penè formalia, tum in enumeratione, tum etiam in explicatione retinuerunt.

V. Sed *Primò*, theoria istius theologiæ non ascendit ultra id, quod gentiles, etiam naturâ, etsi forte non omnes æquè, cognoverunt. *Deinde*, & sub istis quæ de Deo cognoscenda enumerant, errores fovent. Ut in evolutione eorum patebit. *Tertiò*, multa non minus necessaria ab ipsis sunt neglecta. Qualia sunt, quod Deus sit *essentia spiritualis, simplex, immutabilis, infinitus Misericors.* Ac Simplicitatis quidem nullam faciunt mentionem, quia Deum ex essentia & attributis compositum credunt. Immutabilitatem, silentio prætereunt, quia si immutabilitatem essentiæ admitterent, non pos-

possent statuere in Deo temporis successionem; si voluntatis immutabilitatem, non possent ex Theologia sua, doctrinæ Orthodoxæ, de irresistibili vi Dei, quâ utitur in regeneratione hominis, item doctrinæ de perseverantia Sanctorum, contradicere. De Infinitate essentiæ Dei altum silentium; quia id derogare putant essentiæ Dei, etiam in locis indignioribus præsentem esse. Sed maximè crediderim eam ab iis negari, ne admittere cogantur, peccatum infiniti esse demeriti, adeoque hominem nequaquam fuisse satisfaciendo justitiæ Dei, quæ λύτςον infinitum, quod demerito proportionale esset, poscebat; infinitum, inquam, subjecto, & propter infinitatem subjecti, etiam infinitum merito. Item homines impios æternis cruciatibus ea propter puniendos, eò quòd peccarunt in Objectum infinitum, quas pænas illi non credunt, sed impios per mortem temporalem annihilatione solantur. De Misericordia Dei etiam ne χϱὺ quidem. Quia sc. eâ minus opus esse autumant, cùm homo suismet operibus, insistens duntaxat viæ à Christo, doctrinâ & exemplo præmonstratæ, vitam æternam mereri possit.

VI. Necessitatem credendi & cognoscendi ista Dei attributa mihi æquè facile est probare, ac Catecheseos autori sua cognitionis de essentia Dei puncta. Quomodo enim spirituali cultu afficiendum credam eum, quem spiritualis essentiæ esse non cognovi? Et quomodo Papistas Deum fingentes pingentes solidè refutabo, nisi ex hoc spiritualitatis Dei attributo? Si immutabilitatem Dei tum essentiæ, tum voluntatis, non firmiter habeam persuasam, inquem non errorem de Deo senescente, utpote in quo est successio temporis, quæ species est mutabilitatis, incidam? Et quomodo eum mihi immortalitatem collaturum sperem, quem ratione voluntatis promittentis immutabilem esse ignoro? Quid spei, quid fiduciæ mihi superesit precanti, si non de infinitate essentiæ Dei secundùm quam omnibus præsens est, probè edoctus fuero. Et denique, *miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis*, nisi misericordiam Dei, quæ omnia Dei opera excedit, apprimè cognovero?

VII. Addo, hoc vel maximè necessarium esse ut Deum cognoscamus, quâ patrem. Quomodo enim in spiritu & veritate quispiam Deum adorabit, dicens ex præscripto Christi, *Pater noster*, nisi eum Patrem suum esse sciat? Quomodo Deum sui curam gerere, ac de omnibus sibi necessariis prospicere, credet, nisi eum ut Patrem

trem cognoscat? Et ut infinitis præteritis; hoc unicum addam. Quomodo Christianus moriturus, animam suam, carissimum quod habet depositum, in manus Dei ut Patris custodiendam commendabit, nisi Deum Patrem suum esse, in vita, ex principiis religionis suæ didicerit? Facessat ergo Catechesis Ethnica, quæ, quod Christianæ fidei vel maximè proprium est docere, à necessariis ad cognitionem Dei excludit, vel saltem quia alto silentio involvit, ignorari vult.

Quæst. 4. *Quid hoc est, scire, Deum esse?*

Resp. *Est scire, vel firmiter credere, eum à seipso divinam potestatem in nos habere.*

VIII. Putem, rectiùs quæsitum hoc potuisse explicari, si dixisset Catecheseos autor, scire Deum, est credere, esse aliquod numen, quod ratione esse sui à seipso est. Esse enim Dei, etsi sit ipsa Dei potentia, & viceversa; tamen non magis argumentari fas est: Deus est; Ergo est à se ipso potens, quam, Deus est, ergo est à se ipso bonus, sanctus &c. Quia omnium Dei attributorum ratione essentiæ eadem est habitudo. Ista autem Catecheseos exegesis potius pertinet ad attributum potentiæ Dei, de quo speciales movet quæstiones.

Deinde, duos in hac exegesi Adversarius tegit errores perniciosos. Prior supra à nobis jam refutatus, nempe, Dei existentiam nullo modo cognosci posse ex natura, sed omnem, etiam ratione existentiæ divinæ scientiam ex verbo Dei necessariò addiscendam esse. Agit enim de cognitione Dei, quæ ex scriptura habenda est. Secundus error hic incrustatus Christum concernit, quem hac exegesi à vera Deitate quasi eliminat, & non Deum facit, dum inquit: *Est scire eum à se ipso divinam potestatem in nos habere.* Quippe Christum omnem potestatem, quam super Ecclesiam habet, à Deo donatam habere, atque concessam, quotidianum est dogma Socinianorum.

Quæst. 5. *Quid hoc est, scire, tantùm unum esse Deum?*

Resp. *Est scire, sive firmiter credere, eum tantùm solum esse, qui a seipso in nos habet divinam potestatem.*

Quæst.

Quæst. 6. *Quid est divina ista in nos potestas?*

Resp. *Est perfecta potestas, atque jus de nobis statuendi, & decernendi, quicquid illi placet, etiam in iis rebus, in quas nulla humana potestas, vel ulla alia potestatum, imperium habet, quales sunt nostræ cogitationes, lateant etsi profundissimè in cordibus nostris, quibus Deus pro lubitu suo leges præscribere, præmiumque ac pœnam decernere potest.*

IX. Hâc explicatione, secundi, quod de essentia Dei scitu necessarium censet, rursus in Christi veram Deitatem arietat. Ita enim videtur velle ratiocinari. Si tantùm unus sit, qui à seipso habet divinam potestatem; Ergo Christus non habet potestatem à se ipso; quia sic duo forent à seipsis potestatem habentes. Et cum Christus potestatem à se ipso non habeat, Deus non est. Sed principium petit Adversarius, quasi verò Christus & Pater duo sint. Cum Christus ipse sui cum Patre unitatem asserat, *Ego & Pater unum sumus.* Joh. 10. 30. quod non tantùm de unitate *voluntatis*, ut Sociniani volunt, sed etiam *de unitate essentiæ* intelligendum est. Et unitas voluntatis in Deo unitatem essentiæ præsupponit; quia Voluntas Dei ipse Deus est. Et, si Christus non esset ejusdem cum Patre essentiæ, nequaquam illi Deus Pater potestatem in omnia communicare vel voluisset, vel potuisset. Potentia n. Dei est attributum Dei, quod non nisi analogicè est communicabile, quomodo Deus Magistratui in subditos, viro in uxorem, homini in bestias, aliquid potentiæ analogicæ communicavit. Ipsa verò Dei potentia sive potestas, quia infinita est, nonnisi infinito communicari potest. Cum autem Christi humana natura infinita non sit, ac proinde non capax infinitæ potentiæ, infinitus sit oportet secundùm divinam. Eam autem infinitatem eandem cum Patris infinitate esse, necessarium est, nisi quis absurdè duo infinita, & sic plura, admittere velit.

X. Quod autem Deus nulli alii extra se substantiæ potestatem suam communicare voluerit, clarè liquet è scriptura dicente: *Psal. 83. 19. Cui soli nomen est Jehova, excelsum esse supra universam terram.* Sicut ergo nulla extra Deum substantia dici potest excelsa esse su-

pra universam terram, sive quod idem est, dominium & potestatem habere super universam terram; sic nulla creatura divini imperii consors esse potest. Cum autem Christus habeat omne imperium, omnem potestatem, judicium, Deus sit oportet; si Deus, unus; si unus, Ergo illi competunt ista, quæ ad explicationem *Unius* adfert Adversarius, quòd scilicet potestatem à se habeat, quòd plenam potestatem habeat de nobis statuendi, decernendi, quicquid illi placet, quòd imperet cogitationibus nostris, quòd jura præscribat, præmia pænasque decernat. Ac proinde Christus est ille unus.

XI. Detecto hoc iniquitatis mysterio, dico, ad quæsitum prius, *quid hoc est scire tantum unum esse Deum*, commodius responderi potuisse, nempe, scire præter eum non esse alios Deos, ipso dicente: *Videte nunc, me, me ipsum esse, & nullum esse Deum mecum.* Deut. 32. ꝟs. 39. & Deut. 6. 4. 1. Cor. 8. 4. Eph. 4. 6. Quæ quæstione altera habet, ea quidem vera sunt, utpote quæ jus & potentiam Dei, præcipuè in hominem exprimunt, quam, quoad jus de nobis statuendi principaliter exercet in Prædestinatione, quæ ipsa est actus supremæ potestatis, juris ac dominii. Conscientiis & cogitationibus verò Deus imperat, in verbo suo, illisque leges præscribit, quæ præmiæ benè, quas pænas malè agentibus ab æterno designarit, declarat. Verùm hæc non pertinent ad statum quæstionis. Quæritur enim *quid sit scire Deum unum esse.* Respondetur scire eum solum habere potestatem in nos, cujus potestatis Dei species aliquot explicat, quæstione alterâ. Quæ omnia ad attributum potentiæ Dei rectius referuntur.

XII. Nisi forte hoc modo velit argumentari; Si unus tantùm est, qui à se ipso habet omnem potentiam & jus in omnia; Ergo unus tantum est Deus essentiâ. Sed tamen non procedit argumentum, ad concludendum id quod subdolè intendit Adversarius. Ergo solus Pater est ille unus essentiâ. Quia vel ex hypothesi Sociniana evincimus, Christum naturalem Dei filium ejusdem esse cum Patre essentiæ, quia illi communicavit omnem potestatem ac Dominium divinum, quæ quia Dei sunt essentialia, non potest ea cuipiam communicare, nisi is sit cum ipso unus essentiâ Deus. quare etiam ipse Deus expressè contra ejusmodi communicationem asseverat, *se gloriam suam alteri non daturum.* Esa. 42. 8.

XIII. Et, si Deus creaturæ meræ, qualem Sociniani Christum

ſtum credunt, docentve, poſſet iſta ſua attributa Dominii, & poteſtatis abſolutæ de nobis ſtatuendi comunicare, nulla ratio dari poteſt, cur non & reliqua poſſit attributa, æternitatis, infinitatis, immutabilitatis, &c. Si dicas nihil abſurdi, quæro *primò*, quomodo eſſentia creata horum infinitorum (ut ad captum noſtrum loquar) capax eſſe poteſt? 2. Annon hoc pacto ſequetur Deum poſſe creaturam ſibi univocè ſimilem efficere, hoc eſt Deificare, & ſic alium Deum præter ſe ſtatuere? Nam qui poteſt facere æternum, infinitum &c. Poteſt facere Deum. Ad quam quoque abſurditatem rediguntur illi, qui ubiquitatis humanæ Chriſti naturæ argumentum petunt ab omnipotentia Dei.

XIV. Memini me olim audiviſſe, ut hoc per modum digreſſiunculæ inſeram, lepidam ſuper eo argumento diſputationem. Theſis erat: Chriſtus ſecundùm humanam naturam non eſt ubique. Opponebatur Magiſtraliter contra. Eſſe ubique; quia Deus eſt omnipotens, adeoque potens efficere ut corpus ſit ubique. Interrogabatur Opponens, an omnipotentiam Dei fundamentum ubiquitatis ſtatueret? Ita reſpondit. Urgebatur à Præſide. Si Deus facere poteſt ut unum corpus ſit ubique; Ergo Deus poteſt facere immenſum & infinitum; quia ubique eſſe, immenſum eſſe, infinitum eſſe, convertuntur. Regeſſit Magiſter noſter. Ita. Ergo, inquit, Præſes, Deus poteſt facere Deum; Ita, replicavit opponens. Cum ad ſimilem ferè abſurditatem in argumento, quod ab unione hypoſtatica duxerat, fuiſſet adactus, cum pudore gratias egit, pro reſponſione, qui ſe Præſidem ad metam non loqui coacturum, ſuo errori addictis, certò certius perſuaſerat.

Quæſt. 7. *Quid hoc eſt, quod Deus hanc potentiam à ſe ipſo habeat?*

Reſp. *Eſt, quod eam nullatenus habeat ab alio.*

Quæſt. 8. *Quid autem hoc eſt, quod tantùm ſolus eam habet.*

Reſp. *Non ſimpliciter dixi, quod eam tantùm ſolus habeat ſed quòd eam ſolus à ſeipſo habeat. Nam nihil impedit, quo*

minus potestatem, quam nemo, extra eum, à se ipso habet, alicui dare possit, quanquam Scriptura sacra ipsa ita dicat, quòd solus sit Potens sive Princeps, Rex Regum, Dominus dominantium. 1. Tim. 6. 15.

Quæst. 9. *Cur igitur scriptura ita dicit?*

Resp. *Ideo quia omnes, qui aliquam potestatem habent, sive illa divina sit, sive humana, eam habent ex ipsius gratia.*

XV. Multus est in explicatione unitatis Dei, quam à Potentiâ Dei independente arguit, tum ut Christum ab ista unitate excludat, tum etiam ut suos de promisso vitæ æternæ ac immortalitatis ex opere operato, qui divinis præceptis morem gesserint, certos reddat. Quia enim solus habet à se potestatem, potest id præstare. Quæst. 9. Explicat seipsum, idque quod supra dixi confirmat, nimirum, eum ideo statuisse Deum solum à se habere omnem potentiam, ut per Deum, Patre solo intellecto, Christum, ut ab unitate, ita à veritate Deitatis excluderet; quare etiam rationem reddens, cur dixerit, Deum solum omnem potentiam à seipso habere, ait: *Nihil impedire, quo minus Deus eam potentiam, quam à se habet, alteri communicare possit.* Quod quidem, si de alio hypostaticè sumatur, qui ejusdem est cum ipso essentiæ, verissimum est. Sin verò de alio naturâ sive essentiâ, tam falsum est, quàm quod falsissimum; nec id ullo modo fieri potest, nisi Deus creaturam Deum faceret. Absurditatem hujus atque impossibilitatem paulò ante ostendimus.

XVI. Obesse tamen illi videbatur opinioni isti, quâ Deus statuitur posse potentiam suam alteri, qui non sit cum eo ejusdem naturæ, communicare, quod *Deus solus sit potens, Dominus dominantium, Rex Regum.* 1. Tim. 6. 15. Quare responsione ad *quæstionem 9.* Excipit ad hunc locum. Deum solum dici potentem, quod omnes, qui aliquam habent potestatem sive divinam (iterum falsò præsupponit aliquem præter Deum, posse habere divinam potestatem) sive humanam, eam ab ipso habeant. Verùm, quis de eo dubitat, dictante ipsa Veritate, *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi hoc tibi traditum esset supernè.* Joh. 19. 11. adstipulante Paulo veritatis teste; *Rom.*

Rom. 13. 1. *Non enim est potestas nisi à Deo.* Ast de hoc non quæritur. Est enim potentia ista sive potestas hominibus concessa, æqui voca tantùm & analogica, hoc est similitudinem quandam habens, non *proportionis*, sed *attributionis*, cum divina. Et ista potentia non est in Deo, sed est à Deo, nec ejusdem *essentiæ*, cujus Dei est, sed ejusdem tantùm *nominis.* Quia Deus cum creatura, nil præter nudum nomen commune habet. Sed quæritur de essentiali Dei potentia, an eam Deus ulli creaturarum possit communicare? quod negatur, tum ob rationes supra allatas, tum quia Deus non potest communicare istam suam potentiam, nisi simul communicet & essentiam. Potentia enim Dei ab ejus essentiâ non distinguitur.

XVII. Talis autem non *æquivoca*, sed *univoca*, non *accidentalis*, sed *essentialis*, non *nominis* sed *rei* est potentia, quam Deus Christo ut filio suo ab æterno à se genito & coessentiali, communicavit. *Nam mea omnia tua sunt, & tua omnia mea*, inquit Christus *Joh. 17. 10.* Si omnia quæ Patris sunt, Filii sunt; Ergo & Potentia: si potentia; ergo & essentia; quia potentia Dei extra essentiam Dei non datur. Si essentiam cum Patre habet communem; Ergo illud, *solus habet potentiam à seipso*, non *hypostaticè* de Patre solo est accipiendum intelligendum, sed essentialiter, tam de filio, quàm de Patre; quippe quorum communis eademque est essentia. Ac proinde etiam locus ille. *1. Tim. 6. 15.* ubi Deus dicitur solus potens, Rex Regum, Dominus dominantium, non de Patre solo, sed etiam de Christo intelligendus est. Vide *Apoc. 17. 14.* Ubi *Agnus dicitur Rex Regum, Dominus dominantium.* Si ergo per exclusivam *solus*, Christus non excluditur à Potentia Deo Patri essentiali, etiam non excluditur ab illa unitate, quæ homini in cognitione Essentiæ Dei, absolutè est necessaria. Consequenter, qui viam salutis rectam vult ingredi, quæ eum ad immortalitatem perducat, cognoscere debet, præter Patrem, etiam Filium ejus Jesum Christum esse unum illum Deum. Et hoc est quod docetur *Ioh. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant, esse illum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Atque hactenus vidimus, quam irrito conatu obliquè & per cuniculos Adversarius Filium Dei laboraverit ab unitate essentiæ Dei avellere, soli Patri omnem potentiam, super omnia asserens independentem, Filium autem tantùm dependentem habere innuens.

Quæst. 10. *Quid hoc est, Scire Deum esse æternum?*

Resp. *Scire, quod neque principium; neque finem habeat.*

XVIII. Deum esse æternum inter nos & Adversarios convenit. Sed quid sit æternitas æquè difficile est dicere utrique, ac quid sit ipse Deus. Imò facilius est dicere quid non sit, quàm quid sit. Duce tamen scriptura, ita de æternitate statuimus, ut ex sententia nostra à Deo omnis imperfectio removeatur, omnis verò perfectio illi tribuatur.

Adversarius censet, Æternitatem dicere carentiam Principii & finis. Sed insufficiens est partium enumeratio. Addendum erat, dicere etiam carentiam omnis successionis. Quanquam carentia Principii & finis etiam carentiam successionis implicet; quippe nulla est successio, quæ principio & fine careat. Id enim quod succedit, incipit esse post illud quod præcessit, & desinit esse ratione istius quod successurum est. Quam successionem, quia potentiam, quæ in actum deducitur, in Deo ponit, adeoque imperfectionis Deum arguit, planè à Deo removendam censemus. Adversarii contra statuunt, Deum esse æternum, ita quidem, ut careat principio & fine, sed non temporis mensurâ & successione per prius & posterius. Utra sententiarum verior sit, ex argumentis utriusque partis palam fiet.

XIX. Nos omnem successionem, principium finem, etiam omne prius, omne posterius, omnes temporis mensuras atque vicissitudines in æternitate Dei negamus. Deique æternitatem (in mysterio balbumus) dicimus esse durationem Dei sive permanentiam in sua essentia, sine principio fine, & successione. Quia 1. Apud Deum nullum est temporis discrimen. Mille anni apud eum sunt sicut unus dies, & unus dies sicut mille anni. *Psal. 90. 4.* His verbis, aut omnis successio a Deo removetur; aut Deo per ea ejusdem generis successio, quæ in nobis est, adscribitur. Non posterius, quia tum dixisset Spiritus sanctus, ejusdem generis esse mille annos ejus, esse sicut mille annos hominum; & diem Dei sicut diem hominis. *Deinde sequeretur, ut non sunt longiores anni & dies singuli, ejus, qui vixit centum annos, annis & diebus ejus qui tantum duos annos vixerit; sic mille anni nostri non essent breviores mille annis Dei, aut vice versa unus dies Dei longior, uno die nostro, si eadem esset in divina duratione partium successio qua in nostra.* Ait Cl. Maresius. Ergo prius.

Effu-

XX. Effugium Adversariorum quo se eludere posse putant hoc argumentum eos implicat. Dicunt: His verbis innui, non quid sint anni Dei vel nostri, sed quales eos Deus judicet æstimet ac reputet. At Deus res æstimat ut sunt, nec sub aliena specie eas concipit, quemadmodum nobis propter errorem intellectus sæpius contingit. Mille ergo anni à Deo non tantùm reputantur pro uno die & vice versa. Sed & revera res ita habet. Adeo, ut nullum discrimen sit inter mille annos & diem unum, diem unum & mille annos. Et proinde nulla apud eum temporis successio: etsi hæc carentia successionis in Deo non impediat, quo minus Deus dies nostros successivos numeret ac sciat.

XXI. Quod de Jacobo, cui septem anni, quos pro Rachele Labano fuit à servitiis, videbantur tanquam singuli dies, adferunt, id impertinens est. Nam Jacob revera putabat, aliud verò in re ipsa erat, nimirum fluxus istorum annorum successivus, cujus tædium & tractum, dilecta, quam habiturus erat Rachel, edulcorabat: nec per hoc putare Jacobi successione carebant septem illi anni. etsi enim singulos annos singulos dies tantùm fuisse existimavit, falsum tamen existimationi ejus suberat. Ergo, ut viæ Domini, non sunt sicut viæ hominum; ita putare Dei, non est ut putare eorum. Quia Deus res æstimat prout *sunt* homo autem prout *apparent*. Deo mille anni videntur ut unus dies, & unus dies ut mille anni; quia ita revera se res habet apud eum. Jacob singulos annos, pro singulis diebus habuit, quia tales ipsi apparebant.

XXII. 2. Quia æternitas ipse Deus est. Quemadmodum autem in Deo ipso nulla est successio per prius & posterius; ita quoque in æternitate nulla est. Et talis est Dei duratio, quale est ejus esse; atqui Dei esse non est successivum, ergo neque ejus duratio. *Non aliud anni Dei, & aliud ipse Deus, sed anni Dei, æternitas Dei est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile* August. in *Ps. 101*. 3. Quia Deus immutabilis est, ergo nulla in Deo datur temporis per prius & posterius successio. Omnis enim successio durationis infert secum mutationem ab esse ad non esse, vel à non esse ad esse. Si induratione Dei dantur quædam partes præteritæ, quædam præsentes, quædam futuræ, quæ postquam præterierunt non sunt, tum facta est in Deo mutatio ab esse ad non esse; si quædam sint partes futuræ, quos duratio Dei non dum attigit, quippe futuræ, tum fiet mutatio in Deo à non esse ad esse,

ad esse, postquam futuræ istæ partes temporis adfluxerint.

XXIII. 4. Quia si in Deo datur successio & fluxus temporis per prius & posterius, tum Deus, quò à nobis considerabitur mundi initio, antecedentibusque seculis proprior, tantò apprehendendus erit junior; ratione cujus juventæ nostro & posterorum nostrorum tempore, Deus dicendus erit ætate grandior, adeoque etiam propriè veterascere, à qua imperfectione Deum omnino immunem esse testatur *Psalmus. 102. v. 27.* quo *veterascere* cœlorum, & *permanere* Dei, opponuntur. *Ista omnia, ut vestimentum veterascent, tu verò idem es; tu in seculum permanes* ✝*s.* 13. Imò ex sententia Adversariorum Deus *Dan. 7. 9. 13.* propriè, & non metaphoricè erit dicendus, *antiquus dierum*.

XXIV. 5. Quia si successio temporis per prius & posterius fluentis in Deo admittatur. Tum falsum erit illud, quod Catecheseos author de æternitate Dei sciendum statuit, nimirum, quod careat principio, & fine. Habebit, inquam, æternitas Dei & principium & finem. Quia quod tale est, ut singulis momentis incipiat esse, quod non fuit, desinat esse quod fuit, illud quin absolutè aliquando cæperit, absolutè quoque desinere possit, non repugnat. 6. Omne discrimen temporis inter æternitatem & tempus per sententiam adversam tollitur, omnis quoq; inter durationem Dei ac hominis, imò quarumvis rerum creatarum, differentia. Formale enim temporis aliud constitui non potest, quàm, quod per prius & posterius fluat. Iam, si idem statuatur formale æternitatis, ejusdem erunt speciei, duratio Dei & creaturæ; & jam dicendum erit Spiritui Sancto: Mille annos Dei esse sicut mille annos hominum, & diem unum Dei, sicut unum diem hominum.

XXV. 7. Deus infinitus est essentiâ; Ergo tempore mensurari non potest. Tempus enim est accidens, ab essentia Dei alienissimum. Et quia accidens aliud quid est à Deo, proinde propriam suam subsistentiam habuerit præter Deum, necesse est. Si subsistentiam, & durationem, & quidem successivam per prius & posterius Ergo temporis dabitur tempus, durationis duratio, successionis successio.

XXVI. Denique, cum Deus infinitus sit, temporis fluxu per prius & posterius mensurari nequit. Quia omnis mensura mensurato suo virtualiter majus quid est. Nunquam enim tantum ad mensuram exigitur, quin multò plura exigi possint. Quod si Deus tempore mensuratur, tempus saltem virtualiter infinitatem Dei excedit,

dit, & sic infinito infinitius dabitur. His & similibus absurdis scatet Socinianorum de æternitate Dei sententia, qui nescio quæ non Orthodoxæ affingunt.

XXVII. Ita enim Crellius *lib. 1.* de Deo *cap. 18.* de æternitate Dei: *Non potest autem nobis probari eorum subtilitas, qui æternitatem Dei, omnia, quæ unquam extiterunt, temporum spatia complectentem, in unius puncti seu momenti angustias cogunt.* Sed hæc calumnia est, aut saltem lusus in vocabulo *puncti*. Quippe, si quid in Deo nobis intellectu difficile & incomprehensibile est, æternitas est. Quare intellectus noster similitudinibus atque conceptibus analogicis in altum quasi subvehendus est. Cum autem tempus icon sit seculorum, quid prohibet, quo minus, eo, quod in tempore est perfectissimum, æternitatem Dei adumbremus. Quod dum fit, non cum puncto physico, sed Mathematico & Metaphysico, quod in plura divisibile non est, æternitatem comparamus. Quæ comparatio ultra hoc tertium indivisibilitatis extendi non debet. Hinc æternitas à Doctis passim *nunc stans*, tempus verò *nunc fluens*, nuncupatur, quod ex *Psalmo. 102.* videtur esse desumptum, quo tempus nostrum *umbræ*, perpetuo scilicet mobili, assimilatur; Deus autem *permanere* dicitur. Meritò ergo accusaremur, nos æternitatem Dei in angustias cogere, si nempe æternitatem Dei punctum Physicum esse *statueremus*. Verum cum eam, ratione indivisibilitatis, puncto Mathematico sive Metaphysico *assimilemus* tantùm, dicamusque, non eam esse punctum, sed esse quasi punctum, & verò *quasi* hic non sit *expressivum veri*, sed *assimilativum* veri, calumniatur hæreticus.

XXVIII. Producit deinde Scripturam: *Etenim Sacræ literæ æternitatem describentes, eam nunc triplici temporum differentiâ complectuntur, ut* Apoc, 1.4, & 4.8. Is qui est & qui erat & qui venturus est. *Nunc duplici, ut*, à seculo in seculum *Psal. 90. 2. nonne* à seculo *præteritam ævi partem*, in seculum *futuram significat?* Quorsum illa, cum antiquum dierum *appellant*, *cum* annos ejus non defecturos *asserunt sacræ literæ? Nonne hæc omnia temporum successionem arguunt?* Mirari subit petulantem & affectatam Adversarii ignorantiam, quò ad veritatem propius accessit Jonas Slichtingius, qui in cap, ad *Heb. 1.* ait: *Per similitudinem ab hominibus sumptam Deo tribuuntur anni.* Ergo quod hic de annis Dei, nos de omnibus istis ex scriptura allegatis verum esse censemus, exprimi æternitatem, non propriè, sed impropriè per similitudinem attri-

butionis. Et vult Spiritus S. his scripturæ modis loquendi, non successionem durationis Dei describere, sed nostrum intellectum in intelligenda naturâ Dei promovere, adeo ut videatur velle nobiscum balbutire, voces in hoc argumento ex nostro usu mutuans, iisque, quod nobis alioqui planè incomprehensibile erat, adumbrans. Quemadmodum enim astrolabio ligneo vel æneo magnitudinem cœlorum & situm astrorum metimur, ita æternitatem sub temporis, terminisque tempus notantibus simulachro concipere valemus. Similitudo est Cl. Maresii, Imò quod sacræ literæ, æternitatem jam triplici, jam duplici differentiâ, jam junctim jam separatim describant, id ipsum indicio & argumento est, Dei æternitatem successione carere; loqueretur enim scriptura non tam diverso, sed eodem modo ad eam significandam, quemadmodum de successione durationis hominum solet.

XXIX. Quod si dicta allegata propriè, ut jacent, de æternitate Dei quis intelligat, plaustra absurdorum comportabit. Scilicet, in Deo verè esse quod præteriit, quod factum est, & nunc hoc ipso momento prætervolans. Inter nostram, & divinam durationem nullam esse differentiam, ac Deum æquè de temporis volubilitate conqueri jure posse, quod nobis (summi defectus nota) solemne est, Deum per temporis successionem propriè fieri *antiquum dierum*; adeoque eum instar Saturni Ethnicorum fieri annorum saturum. Sed de hoc supra. Deus autem *antiquus dierum* dicitur, tum quod diebus temporibusque omnibus sit prior & antiquior, ævi temporis & dierum causa; tum antiquus dierum, quasi *antiquans dies*, abrogans, abolens, & non esse faciens, cum ipse idem immutabiliter permaneat.

XXX. Quid jam? *Quo pacto potest indivisibile complecti spacia in innumeras partes divisibilia.* Æternitas *Dei complectitur omnia, quæ unquam fuerunt, aut futura sunt tempora; quomodo ergo indivisibilis? quomodo in momentum collecta?* Impossibile videtur Adversario, quod captum ejus superat; multa sunt mysteria, quæ nos vel ignoramus penitus vel adæquatè non intelligimus, nec tamen veritas horum talium ob infirmitatem captus nostri vacillat. Gramina ipsa, herbæ, quæ æstivo tempore pedibus nostris conteruntur, an nullas habent virtutes, quia nos latent? An rerum multarum fines nulli, quia nobis occulti sunt? 2. Æternitas complectitur omnia; non adæquatè, sed inadæquatè, non formaliter, sed eminenter, non coexten-

extensivè, sed indivisibiliter. Nec æternitas est verum punctum vel momentum; hactenus, enim rectè nos urgeret; sed *assimilatur* puncto, non *Physico*, sed *Metaphysico*, ratione indivisibilitatis; nec ea assimilatio adæquata est, sed inadæquatissima, talis tamen, quæ, quousque nobis de commodiore non constiterit, in aliqualem æternis intellectum, qui perfectioni Dei accommodatissimus est, subvehet. Quatuor ergo termini sunt in argumento ob ambiguitatem vocis puncti; in Majore punctum propriè, in Minore impropri esumitur, ut argumentum formanti ex terminorum evolutione patebit.

Deinde efficeret aliquid istâ ratiocinatione Adversarius, *Æternitas Dei complectitur omnia quæ unquam fuerunt aut futura sunt tempora; Ergo non est indivisibilis*, si illud quod fuit, quodque futurum est, in duratione Dei esset propriè, deque ea prædicaretur verè, & non antropopaticè; at verò cum futurum, præteritum, non nisi cum blasphemia, ac exequatione durationis Dei, cum duratione rerum creatarum, dicatur, Adversarius causâ cadit.

XXXI. Sed pergit. *Si æternitas Dei quovis momento tota existit, quicquid est, æternum erit. Quicquid enim cum tota æternitate una existit, id æternum esse necesse est*. Subtilissimè scilicet, si unquam. Verum est æternum esse illud, quod æternitati adæquatè coexistit, qualis est coexistentia trium personarum Deitatis unitati essentiæ. Sed non quod existit inadæquatè æternitati duratione planè heterogeneâ, æternum est. Non enim quod alicui coexistit, id cui coexistit, facit ejusdem naturæ & proprietatum. Quia sic Deus & nostram indueret naturam, quippe nobis coexistit. Coexistentia enim ista est reciproca.

XXXII. Et plura si velles. *Si æternitas successione partium caret, & tota est indivisibilis, omnia temporum intervalla, res omnes longissimis spaciis disjuncta hâc ratione simul extiterunt, atque existent, initium mundi cum fine connectetur, omnia in illo æternitatis momento coibunt.* Minimè gentium. Rem, quia intricatior est, explico. Omnes lineæ in circulo, à circumferentia ad centrum ductæ, coeunt & conveniunt in centro, verùntamen eæ lineæ inter se non coeunt, inter singulas certa est manetque loci distantia. Ita se res habet in æternitate. Æternitas ut *nunc stans* omnibus rebus tota coexistit, nec tamen res ita per hanc coexistentiam in æternitate coeunt, ut præteritæ, præsentes, futuræ sibi invicem coexistant, manet non obstante coexistentia Dei cum rebus, rerum præteritio, præsentia, futuritio. Coexistit

æternitas Dei principio mundi coexiſtit & fini,& tamen per hoc non coeunt principium & finis mundi, ſed manet inter hunc & illud arbitrarium, quod Deus apud ſe conſtituit,intervallum. Breviter. Non coeunt omnia in illo æternitatis divinæ momento, ut ſimul ſint inter ſe, ſed ut æternitas Dei tota coexiſtat ſingulis eorum partibus, cum ſunt & exiſtunt. Nam tota æternitas non coexiſtit omnibus temporis partibus conjunctim & ſimul ſumptis ac exiſtentibus, ſed tantùm ſingulis diviſim ſumptis & prout ſibi mutuo ſuccedunt. v. g. Hodie tota æternitas coexiſtit hodierno diei, cras tota coexiſtet craſtino, perendie diei perendino, & ſic de cæteris. Hinc autem non ſequitur hodiernum, craſtinum, perendinum diem ſimul inter ſe exiſtere, ſed potius unum alteri ſuccedere. Quamdiu extitit Moſes toti cœlo coextitit, & David Similiter: non tamen inde ſequitur eos ſimul extitiſſe, inquit Cl. Mareſius Hydra Socin. pag. 188. 189.

XXXIII. Ex hoc fundamento etiam reſponderi poteſt, ad illud, quod ultimo loco, tanquam abſurdum, prætenditur: Nimirum nullam fore differentiam rerum præteritarum, præſentium & futurorum, ſed omnes fore præſentes tantùm,ratione Dei. Rectè. Ratione Dei nil eſt præteritum,nil futurum ſed præſens tantùm; attamen non adæquatè præſens, verùm ita, ut præteritum tum, cum eſſet, toti coexſteret æternitati, futurum verò coexſtiturum ſit, ubi exiſtet, manente inter præteritum & futurum juſtâ temporis diſtantiâ; ſed æternitate Dei utrumque diverſis temporibus exiſtens indiviſibiliter complectente. Nec tamen ideo complectens ejuſdem eſt naturæ cum complexo, vel complexum cum complectente: nec etiam quia æternitas Dei futurum & præteritum complectitur, in præteriti vel futuri naturam tranſit, ut ipſe ſit præteritus aut futurus, vel res præteritæ & futuræ, æternitati adæquatè coexiſtant.

Quæſt. II. *Quid hoc eſt, ſcire, quòd Deus ſit perfectè juſtus?*

Reſp. *Quòd hæc ſit ipſius natura, æquitatem & juſtitiam obſervare.*

Imper-

XXXIV. Imperfecta hæc est, Justitiæ Dei descriptio, æquitatem & justitiam observare. Quo usq; n. se extendat *æquitas* quæ in *factis* est, *2 Thes.1.6. justitia*, quæ in *dictis* est, (*ut justificeris in sermonibus tuis*. Psal. 51.6.) docet Ostorodus Instit. Germanic. c.4. p. 26. §.5. & Catechetes noster *quæst.* hujus *cap. 18.* Nimirum, Deum ex justitia stare promissis, ex æquitate verò neminem immeritò affligere. Quod Crellius, postquam prolixè de jure hominis utpote fœderati Dei,(siquidem, ut idem ait, *fœdera cum iis non percutiuntur, qui illis cum quibus paciscendum est, omnibus in rebus penitus sunt emancipati.* lib. 1. c. 25. Sed falsò; quia contractus gratiæ Dei cum homine, non est δίπλευρος, sed μονόπλευρος.) his verbis expressit, atque explicavit; *Ejus* (scilicet justitiæ Dei) *duplex est effectus, prior est, præter jus nihil creaturis imponere; posterior, ea, ad quæ obtinenda creaturis jus aliquod ipsius fecit benignitas, illis præstare.*

XXXV. Mutila inquam est justitiæ Dei descriptio: & definitio,(si in divinis ita loqui licet)definito angustior;quippe alteram tantùm justitiæ retributivæ partem,remunerantem scilicet, exprimit. Justitia Dei ex verbo ejus, à Theologis in *universalem* & *particularem* distinguitur. Illa est rectitudo & sanctitas in omnibus Dei actionibus. Particularis iterum vel *commutativa*, quæ in Deum non cadit, vel *distributiva*, sive *retributiva*; Hæc denuo vel *remunerans* est, vel *puniens* sive vindicatrix cujus distinctionis fundamentum vide sis *1 Thess. 1. 6.* & *Rom. 1.* ult vers. de hac justitia Dei vindicatrice ac puniente altum silet, eamque studio callido dissimulat Catecheseos autor. Socinus eam in Deo dari sine fronte negat Prælect. cap. 16. *Neque enim*, inquit, *in Deo ulla justitia est, quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renunciare non possit. Est quidem in Deo perpetua justitia. Sed hæc nihil aliud est, quam æquitas & rectitudo.* Et post pauca; *Justitia ista vulgari nomine sic appellata, quæ misericordiæ opponitur, Dei qualitas non est, sed tantùm effectus voluntatis ipsius.* Orthodoxi autem justitiam vindicatricem seu punientem ex juris divini digestis asserunt.

XXXVI. Etsi n. tam impudenter, quàm ignoranter Socinus Prælect. c. 16. dicat: *eam justitiam, quæ non nisi in puniendis peccatis conspicitur, divinas literas nequaquam isto nomine* (justitiæ scilicet) *dignari.* Veritatis tamen studioso, eam dignissimè hoc nomine celebrari à clarissimis istis liquebit scripturis. *Apoc. 16. 5.* Angelus ait: *justus es Domine, quòd hæc indicaris*; loquitur scilicet de justitia vindicatrice exercita

versibus 2, 3, 4. & vs. 7. *Justa sunt judicia tua*, alius Angelus de eadem justitia, cujus exercitium toto illo capite per effusionem phialarum describitur, accinit *Apoc. 19. 2. Vera & justa sunt judicia ejus.* Item *2. Thess. 1. 6. 7. Siquidem justum est apud Deum vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem; Vobis verò qui affligimini relaxationem* &c. Rom. 3. 5, 6. *Num injustus Deus, qui inferat pœnam? Absit: alioquin quomodo judex erit Deus mundi.* Prostant similia *2. Paralip. 12. 6. Justus es Iehovah*, dicunt Rex & Principes Israëlis, cum jam pœnas prævaricationum suarum sentire occæpissent *Nehem 9. 33. Quamvis tu justus sis in omnibus, quæ obveniunt nobis; nam veritatem exercuisti, quia improbè egimus.* Psal. 11. 7. *Nam, justus Iehovah, quæ justa sunt diligit*; celebrat scilicet his verbis Psaltes justitiam Dei vindicatricem, de qua *versu. 6. Depluet super improbos pœnas, ignem, sulphur, ventusque procellocissimus portio calicis eorum.* His adde *Psal, 129. 4. Ierem. 12. 1. Thren. 1. 18. Dan. 9. 14.* & illud quod primo loco allegari debuit, *Gen. 18. 25. An judex totius terræ non exercebit jus.* Cum Paulus dixit: *justum esse afflictionem reddere iis, qui affligunt*, justitiam expressit, ut misericordiæ oppositam *2. Thess. 1. 6. Apoc. 19. 1.* ab actu justitiæ punitivæ Christus *justè judicare dicitur.* & ab hac *justum judicium* sive damnatio improborum denominatur. Rom. 3. 8.

XXXVII. Quid multis? Ut nomen justitiæ istius est in scriptura, ita & res ipsa Deo competit 1. Naturale est Deo suum unicuique tribuere. Id quod innuere videtur prior pars explicationis Catecheticæ, τὸ quid sit scire Deum esse esse justum. Non inficiamur, ita est. Deus naturâ unicuique suum tribuit. Hinc verò hoc elicimus porisma. Ergo Deus etiam naturâ punit peccatores. Tribuit enim tum peccatori quod suum est, quia, *comedit de fructu viæ* suæ, *& ex consiliis* suis *pravis satiatur*, Proverb. 1. 31. Dum ergo Deus peccatores juxta demeritum punit, ostendit se suum cuique tribuere, adeoque sibi justitiam punientem esse naturalem: & nisi puniret, justus non esset.

XXXVIII. 2. Deus juri & Dominio suo, quod habet in hominem, quicquid Adversarii enstaseos loco de renunciatione juris, quod homo habet super hominem, v. g. Dominus super servum, adferant renunciare non potest. Sunt enim istæ relationes secundùm dici tantùm, non secundùm esse, qualis est relatio Dei ad hominem; cui Deus renunciare non potest, nisi se unà creaturæ Creatorem esse ejuret; quod quidem Deo tam impossibile,

quàm ipsi impossibile est non esse Deum. Si Dominio Deus renunciare non potest atque juri, ergo nec justitiæ; quia non tantùm est Dominus, sed & Dominus justus. Imò ut supra ex Socino diximus, ne Dominium quidem esset, nisi justum esset. Et quia duplex est jus Dei in nos, *Dominii* scilicet & *judicii*, ut distinguunt Theologi, quemadmodum non potest renunciare juri dominii, ita multò minus, juri judicii, quod Abraham testatur Gen. 18. 25. *An judex totius terræ non exerceret jus.*

XXXIX. 3. Quia Deus non potest non odisse peccatum. *Psal.* 5. 6. Si enim amor justitiæ necessariò fertur in bonum justitiæ, sanè odium nascitur necessariò quoque ex præsentia mali, bono amato contrarii, unde quoquè peccans, ob peccatum necessariò displicet Deo, atque odio habetur. Quod si non potest non odisse, non potest non punire. Quia odium peccati est puniendi peccatum voluntas. Propriè enim odium de Deo non dicitur, sed metonymicè, ut antecedens vel causa ponatur, consequens vel effectum verò intelligatur. Verbo, Vis argumenti hæc est: Quemadmodum amor boni, justitiæ, pietatis Deo est naturalis; ita è contrario odium peccati, justitia vindicatrix. 4. Quia Deus est *ignis consumens, Deut. 4. 24.* Non tantùm à *potentia* sic dictus, ut interpretatur Socinus, quòd possit peccatores tanquam ignis consumere; sed etiam à *naturâ*, quòd reverà se ita habeat homo injustus ad Deum justum, quemadmodum se palea, vel stipula habet ad ignem ardentem. Ignis naturale est, consumere stipulas & paleas, quàm primum ipsi objiciuntur; Dei naturale punire peccatorem. Hoc tertio conveniunt.

XL. 5. Ipsa hominis conscientia testatur Deo naturale esse punire peccatum. Paulus *Rom. 2. 14, 15.* dè gentibus agens, quibus ex prædicatione vel legis, vel Evangelii nihil quicquam de justitia Dei vindicatrice innotuerat, sic loquitur: *Unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus excusantibus.* Unde autem hæc testimonii redditio, conscientiæ accusatio, excusatio? ex sensu conscientiæ interno, dictante ipsis, Deum naturâ esse justissimum? qui hoc malum, quod judicio conscientiæ propriæ scelus est, se non impunè ferre, nec ultrices manus effugere sinet. Exempla hujus accusationis vide tum in piis *Jud. 13. 21. 22. Esa. 6. 5,* tum in impiis de quibus Propheta: *nulla est pax improbis Esa. 57. 21.* Contra tra verò Apostolus ait *justificatos pacem habere cum Deo*, Rom. 5. 1. & cap.

& cap. 14. 17. *Regnum Dei est justitia, PAX, & gaudium per Spiritum Sanctum.* His adde omnibus hominibus naturâ inditum esse, quærere modum Dei colendi. Hinc gentes varias expiationes excogitarunt: & licet multa ludicra commenti sint, his ipsis tamen testati sunt, opus esse aliquâ expiatione, quâ Deo, peccata hominum justissimè punienti, satisfiat.

XLI. Dixeris fortè: Deum conscientiis terrorem incussisse, quòd peccata puniat, etsi id non fiat ex natura; sed ex placito. *Resp.* Insulsum hoc esse, quia naturâ notum est quædam esse mala. Quod si sic, tum Deus illa aut habet pro talibus, aut non. Si non, caderet in Deum error ut qui rem non haberet pro ea, quæ suâ naturâ est; Si ita ergo Deus naturâ justus. Namque Deus non eò, quia ipsi libet, novit quæ sunt suâ naturâ peccata; alioqui hæc naturâ suâ peccata non essent, quia ita ipsi liberet. Sed quia sunt devia à prima regula recti & boni. Recti autem & boni regula est natura & sanctitas Dei, quæ est absolutum Dei attributum, in quo justitia Dei, ut relatum, fundatur.

XLII. Quorsum verò cumulamus argumenta in re plana? A posse Dei non est argumentandum, ad id cujus contrarium extat in scripturâ. Hic verò se res ita habet. Constat de voluntate Dei, eum nolle peccata impunita dimittere. *Qui nullo pacto absolvit sontem,* Exod. 34. 7. *Qui prorsus non absolvit sontem* Num. 14. 18. *Non acquiescet Iehova, ut condonet,* Deut. 29. 20. *Iehova nullo pacto absolvit*, Nahum. 1. 3. Frustraneum ergo est disputare de posse Dei, cum de velle constet. Frustra inquam quæritur, an Deus, qui naturâ justus est, possit peccata impunita dimittere illæsa suâ justitiâ, cum contrarium se velle, verbo suo, variis minis testatum reliquerit. Morte moriturum, maledictum fore peccatorem, &c. Ut verò Deus in sermonibus suis justificetur veraxque sit, tam in comminationibus, quàm promissis, non potest salvâ veritate suâ, quippiam de jure suo in puniendo peccatore, & exercitio justitiæ vindicatricis remittere. Si enim quis velle Dei præterito, de posse punire, disputare gestiat, etiam ex opposito eodem jure in dubium vocare veritatem promissionum Dei poterit, ac quærere, an Deus non possit rescindere promissiones Evangelii Ecclesiæ factas? Ratio nulla dari poterit, cur non æquè possit hoc quàm illud. Si n. juris divini ratio solvit legem comminantem, quidni & promittentem? Ut enim potest jure suo non uti in infligenda pæna, quam comminatus est. Ita etiam jure suo uti potest, in non

non dando rem, quàm promisit. Neque firma satis basi nitetur credentium fides; cum fides promittentis fallere posse videtur, ubi nulla veracitas comminantis.

XLIII. Quæ in contrarium adferuntur, paucis diluemus. 1. *Objicitur*, Justitiam Dei potuisse non esse. Deus autem non potuit non esse. Sine quo autem Deus esse potuit, id Deo non est essentiale. Potuisse verò justitiam Dei non esse, satis constare persuasi sunt. Quia si non fuisset creatura peccatrix, etiam non fuisset justitia, circa quam ut objectum suum occuparetur. Perinde se, inquiunt, res habet, ac in Misericordia, quæ non fuisset, nisi misera facta fuisset creatura. *Resp.* Justitiam Dei potuisse non esse quoad esse *relatum*, at non potuisse non esse, quoad esse *absolutum*; quoad *nomenclaturam* & denominationem talem, potuit non esse. At non potuit non esse quoad *rem*; quia justitia Dei, cum sit attributum relatum, in absoluto suo, scilicet Sanctitate Dei, quæ Deo est naturalissima fundatur. Idem quoque replicatur ad enstasin de Misericordia Dei: eam potuisse non esse, quoad esse *relatum*, & *nomenclaturam* à creatura misera desumptam; sed non potuisse non esse, quoad esse *absolutum* & quoad *rem*. Quia misericordia Dei, cum sit relatum, pro absoluto suo habet Dei bonitatem, quæ certè non potuit non esse, etsi creatura misera non esset.

XLIV. *Obj.* 2. Contraria non posse esse in eodem subjecto in gradu intenso, At justitia & misericordia in gradibus intensis de Deo prędicantur, ut quod sit summè justus, summè misericors. *Resp.* 1. Canonem hunc non nisi analogicè huc quadrare. Quia justitia Dei, ejusque misericordia, non sunt in Deo veluti accidentia in suo *subjecto in hæsionis*. Sunt enim attributa ista Deus ipse. 2. Justitiam & Misericordiam non esse contraria in essentia Dei, etsi effectus circa diversa objecta habeant contrarios, punire scilicet & condonare. 3. Ne in homine quidem id procedit; potest esse idem & summè misericors & summè justus, ratione scilicet diversorum objectorum, circa quæ actus istarum virtutum oppositi eduntur.

XLV. *Obj.* 3. In Deo non dari majus & minus. Quia omnia infinita in Deo. Infinitum majus & minus non admittit. Atqui justitia minor est misericordiâ. Quia justitiam tantùm exercet, in *quartam* usque progeniem, benignitatem verò, sive misericordiam, in *millesimam* usque extendit. Hinc illud *Misericordia ejus excedit omnia opera ejus.* *Resp.* Consequentiam nullam esse in argumento. Quan-

tumvis enim dicatur, justitiam Dei se ad quartam tantùm, misericordiâ verò ad millesimam progeniem porrigere; item, misericordiam ejus superare omnia opera ejus; non eò tamen dicitur, ut majoritas attributi misericordiæ præ justitia in Deo indicetur, sed ut innuatur justitiam Dei semper invenire causam cur puniat, misericordiam verò nunquam cur misereatur. Hinc, *miseretur quorum vult.* Nunquam enim Deus justitiæ punientis effecta exercet, nisi causa, hoc est, peccatum præcedat. Misericordiæ verò effectus propter se exercet, cum nullam in homine reperiat causam. Ergo non ex paucitate objectorum, circa quæ hoc, nec ex multitudine circa quod illud attributum occupatur, majoritas vel minoritas æstimanda est, sed ex modo agendi, circa illa diversa utriusque æqualitas statuenda. Improbos enim nunquam tanto malo afficit justitia, quanto eos bono beat misericordia: Et intensio boni per, misericordiam ratione pauciorum exerciti, exæquat extensionem mali ratione plurium inflicti. Nunquam enim Deus ita punit peccatorem, quin majores ei gradus pænarum superaddere posset.

XLVI. *Obj.* 4. Si justitia puniens Deo essentialis esset, tum necessariò omnium peccata æqualibus afficeret pænis: nec hujus posset misereri, illum verò punire. *Resp.* Falsò præsupponi, attributa Dei naturalia necessariò operari ad extra. Potentia Dei Deo naturalis est, nec tamen necessariò ad extra exercuit, vel etiamnum opera ejus exercet; alioqui Deus necessariò mundum creasset; etiam necessariò ex lapidibus filios Abrahæ suscitaret. Non ita res habet. Omnium attributorum divinorum actus ad extra à voluntate ejus exercentur secundùm sapientiam ejus. Ergo, consequentia nulla. *Inst.* At quicquid agit ex absoluta & naturali necessitate, semper ita agit, & quantum potest, ita agit. *Resp.* Aliud est ex *necessitate naturæ* agere, aliud ex *absoluta naturæ necessitate* agere. Ex absoluta naturæ Dei necessitate fieri illa dicuntur, ad quæ nulla hypothesis requiritur; verbi gratia, ex absoluta necessitate naturæ Deus generat filium, Spiritus S. ab utroque procedit. At illa dicuntur ex necessitate naturæ simpliciter fieri, quæ se ita habent ut non essent futura, nisi hypothesis decreti præcessisset; sed postquam, ut fieret, decrevit, aliter per naturæ necessitatem non potest, nisi ut fiat. Patet id. Postquam Deus decrevit peccatum permittere, non potest non illud ex necessitate naturæ punire, etiamsi in ipsius sancta

cta voluntate situm erat, peccatum ut permittere decerneret, vel non. Postquam verò illud permittere decrevit,(cui decernendi actui cognitio naturæ peccati odio divino ac justitia puniente digna connexa fuit) non potest peccatum non punire ex necessitate naturæ, etsi id non fiat ex necessitate naturæ absoluta.

XLVII. *Obj. 5.* Si justitiæ Dei non repugnet, eos ipsos homines non punire qui peccarunt,sed alium quempiam loco eorum substituere, qui pænas eorum peccatis dignas vice eorum lueret; Ergo etiam non repugnat justitiæ Dei omnino peccatum non punire. *Resp.* Quædam justa esse quia Deus vult, quædam verò Deum velle quia justa sunt. Peccatum simpliciter velle punire ex eorum censu est, quæ Deus vult, quia justa sunt. At punire peccatum in hoc vel illo subjecto, in eo qui ipse peccatum perpetrarat, vel in alio, qui se sponsorem sistit, justum est, quia Deus vult; cum illud in subjecto peccante punire potuisset, punit autem in alio, quia ita illi visum. Deus ergo punit ex necessitate naturæ peccata, sed non ex necessitate naturæ in eo, quod peccavit, subjecto. Id arbitrii est divini.

XLVIII. Argumentum quod pro justitia Dei puniente essentiali desumitur, à sacrificiis Vet. Test. quod scilicet illa, nisi obstitisset justitia Dei vindicatrix, peccatorum remissionem potuerint consummare, nec Christi ut antitypi satisfactione cruenta opus fuisset,infra ubi de sacerdotio Christi acturi sumus, expendemus. Jam pergimus, ad

Quæst. 12. *Quid hoc est scire Deum esse perfectè sapientem?*

Resp. *Quòd non tantùm omnes res in genere, verùm etiam unamquamque in Specie adeò perfectè novit, ut nihil illi sit absconditum.*

XLIX. Catecheseos autor,responsione suâ ad quæstionem, duo expressit de Sapientia Dei, objectum nempe Sapientiæ isti cognoscibile, dum ait: ***non tantùm omnes res in genere, sed etiam unamquamque in specie.*** Et modum cognoscendi, ***adeo***, inquit, ***perfectè novit, ut nihil illi sit absconditum.*** Imperfectè, subdolè utrumque; quia in dumetis & vepribus, anguis instar, latitare cupit.

L. Dicimus ergo ad uberiorem Objecti scientiæ divinæ explicationem,

tionem, Deum cognoſcere, 1. Seipſum. 2. Res extra ſe; eaſque Univerſales in genere; Singulares, in ſpecie, neceſſarias, contingentes, præteritas, præſentes, futuras, bonas, malas, verba, cogitationes, imò & nonentia, quæ etſi nunquam futura ſunt, per omnipotentiam tamen Dei abſolutam fieri poſſunt. Nec dicimus tantùm, ſed & Scripturâ, ratione, ea, quæ adverſarii negant, probamus.

LI. *Primò* Deum cognoſcere ſemetipſum in confeſſo eſt, ſecundum ſcripturam *Mat. 11. 27. Ioh. 1. 18. 1. Cor. 2. 10.* nec tamen aliud eſt, cognoſcens & cognitum in Deo: quia cum Deus non intelligat per ſpeciem, ſed per eſſentiam, eſſentiæ autem divinæ ſpecies alia, præter eam, quæ ipſius Dei eſt eſſentia, neque à divino intellectu efformari poſſit, fieri non poteſt, ut cognoſcens & cognitum in Deo differant: Deus etenim eſt actus purus tam in ordine exiſtentium, quàm in ordine intelligibilium, & ideo per ſeipſum ſeipſum intelligit. Ut proba ſit Crellii ratiocinatio. Et ſeipſum quidem, quin penitus nôrit Deus, quis dubitet? Certè ſi ſeipſum ignoraret, nec ſapientis nomen mereretur: nec rerum creandarum conſilium unquam ſuſcipere potuiſſet. Neceſſe enim eſt, ut vires ſuas immenſas, quibus res omnes & condere & diſponere ac gubernare poſſet, probè cognitas haberet. At ſi has probè cognitas & habuit & habet: cur non & cætera, quæ ipſi inſunt.

LII. Deum etiam cognoſcere res omnes extra ſe, *Univerſales & omnes in genere*, teſtis eſt ſcriptura *Geneſ. 1. v. 31. Tum inſpexit Deus* QUICQUID *fecerat* Heb. 4. 13. OMNIA *ſunt nuda & patentia oculis ejus.* 1. Joh. 3. 20. *Potentior eſt Deus corde noſtro, & novit* OMNIA. Hiob. 28. 24. *Nam ipſe in extremitates terræ intuetur, ſub omnibus cælis videt.*

LIII. Æque manifeſtum eſt in ſcriptura, Deum ſcire res *Singulares in ſpecie.* Heb. 4. 13. *Nec eſt* ULLA *res creata, quæ non ſit manifeſta in conſpectu ejus.* Pſ 56. 9. *Tu vagationes* MEAS *in numerato habes &c.* His adde illud *Math. 10. 29. 30.* de paſſerculis ſine voluntate Patris cæleſtis in terram non cadentibus, itemque capillis numeratis. Actus, Dei tum gratiæ, tum juſtitiæ circa ſingularia individua exerciti, atque ratione præmiorum & pœnarum exercendi, idem demonſtrant. Præterea in tantùm ſe extendit Dei ſcientia, in quantùm ſe extendit ejus cauſalitas. Unde, cum virtus activa Dei ſe extendat non ſolùm ad formas, à quibus accipitur ratio univerſalis, ſed etiam uſque ad materiam, neceſſe eſt, ut ſcientia Dei uſque ad ſingularia ſe extendat, quæ per materiam individuantur. *Aquinas part. 1. q. 14. Art. 11.* Breviter. Deus

creavit

creavit, gubernat singularia. Ergo novit.

LIV. Nec quempiam obloqui statuentibus nobis, necessaria cadere sub scientiam divinam, persuasus sum. Cum necessaria dicantur, quia, à Deo ut necessariò futura decreta, ac proinde etiam præcognita sunt. Nec de præsentibus præteritis vel futuris cum quopiam est controversia. Crellius Socinianus Orthodoxorum ferè argumenta urget. De præsentibus, inquit, quæ per se maximè sub cognitionem cadunt, nihil est opus dicere. Ad præterita pergit, eaque Deo perspectissima probat. 1. Quod id postulet præmiorm ac pænarum persolutio, præsertim in ultimo illo judicio, secundùm uniuscuiusque facta instituenda. 2. Quia illi, ut respectu futurorum *Præscientia*, ita respectu præteritorum *Reminiscentia* tribuitur, ex *Psal. 105. 8. Recordatur in seculum fœderis sui.* Psal. 106. 45. *Recordantem pro eis fœderis sui.* Luc. 1. 72. *Ut memor esset fœderis sui sancti.*

LV. In probanda etiam *futurorum* cognitione, quam Deus habet, vestigiis Orthodoxorum quadantenus insistit, ita tamen, ut ea, quæ *certò*, ab iis quæ *verisimiliter* futura sunt, distinguat; illa ex mente Aristotelis ἐσόμενα, hæc verò μέλλοντα vocat; illa determinatè cognosci ait à Deo, hæc non item. Quanquam verò hæc distinctio *in sensu composito* planè falsa sit, ac fundamentum nullum habeat in re, probatio tamen Crellii ratione τῶν ἐσομένων, sive certò futurorum hactenus coincidit. Et rectè ait ex Tertul. *Præscientiam Dei tot habere testes, quot fecit Prophetas.* Quia non tantùm, *nota sunt Deo ab æterno omnia opera eius.* Act. 15. 18. Sed etiam nota sibi esse testatus est, variis Prophetarum, quibus eventus respondit, prædictionibus. Ita quidem ut hâc ipsâ prædictione, gentium Diis planè impossibili, à fictitiis istis numinibus velit discerni, suamque solam sibi divinitatem vindicari. Apud *Esaiam* cap. 41. 22. 23. ita fictitios verus Deus provocat. *Proponant & indicent nobis ea quæ, obventura sunt: Indicate quæ eventura sunt, ut cognoscamus vos esse Deos.*

LVI. De cognitione Dei ratione bonorum utrinque constat; quippe, cum omnium effector Deus sit, effecta sua ignorare non potest. Et de malis pænæ non discedunt à vero Sociniani cum pænarum inflictionem non tantùm in præsenti nobiscum credant, sed etiam in futuro judicio eandem futuram, quanquam diverso ab Orthodoxis sensu statuant. Pænas enim æternas non *positivè*, sed *negativè* interpretantur, per annihilationem scilicet eorum, qui durissima illa pati merebantur. Quomodo Deus mala cognoscat,

oppositè scilicet ad bonum, alibi dicendum erit.

Verba, cogitationes quoque humanas Deo esse perspectissimas utrinque asseritur. Unus in hanc rem sufficiat Spitrius sancti sermo *Psal. 139. 2. 3. Tu cognoscis cogitationem meam è longinquo. Quum nondum est sermo in lingua mea, en, ô Jehova nosti ipsum totum.* Cui addatur illud ℣. 12. *Tu enim possides renes meos.* Plura in hanc rem producere, de cognitione dictorum, factorum, internorum motuum, cogitationis ac voluntatis ex *Ier. 11. 20. Psal. 7. 10. Apoc. 2. & 3.* (ubi in singulis epistolis ad Episcopos Ecclesiarum Asiaticarum Christus Deus testatur, se ipsorum opera nosse.) tam ratione piorum *Psal. 33. 18. & 90. 8. Mat. 6. 32.* quam impiorum. *Job. 5. 13. 1. Cor. 3. 19.*

LVII. Ad ampliandum divinæ cognitionis Objectum, dicimus quoque sub eo comprehendi ea, quæ quidem nunquam futura sunt, talia tamen sunt, ut si velle Dei ad posse accedat, fieri facillimè queant, hoc est, Deus scit sibi ea esse possibiliâ, quia novit potentiæ suæ infinitatem, ideo etiam novit objecta ad quæ illa extendi potest: hinc illud *Psal. 147. 5. Intelligentia ejus est innumerabilis.*

LVIII. De futuris contingentibus, itemque malis culpæ, an ea Deus cognoscat, controvertitur inter nos & Adversarios. Orthodoxa sententia est: Nihil sciri à Deo ut contingens, quia nihil contingens est ratione Dei ut causæ primæ directricis, sed ratione causæ secundæ ut dependenter, liberè tamen, operatricis. Novit Deus contingentia qualia sunt, contingenter scilicet & indifferenter se habentia ad utrumque oppositorum ratione causæ secundæ, sic tamen, ut simul cognoscat certò, & quod futura sint per causas in sensu diviso liberas & contingentes, & quonam illæ causæ se sint determinaturæ. Etsi enim ea quæ contingentia futura dicuntur à causis secundis denominationem habeant, futuritionis tamen certitudo ex Dei præscientia & decreto vel effectivo, vel permissivo maximè pendet.

LIX. Nihil ergo ratione causæ primæ est contingens, quod objectum Scientiæ divinæ excedat, & quod non se habeat ut necessarium necessitate non quidem *coactionis*, sed *immutabilitatis*. 1. Scriptura loquitur: *Ecquo dicente exstitit aliquid, si Dominus non praeceperit?* Thren. 3. 37. 2. Hinc Deus futura contingentia prædixit, quale illud erat in fractione ossium Christi non patrandum. Si hoc cur non aliud, cur non plura, cur non infinita prædiceret, nosset? 3. Et quomodo non caderent contingentia sub *scientiam*, cum sub *providentiam* cadant? verbi gratia casus

sus passerculi in terram. *Mat. 10. 29.* Sortis jactio, (quæ *divisionis*, sed non *divinationis* causa licita est) *Prov. 16. ℣. 33.* Cogitationum & conatuum humanorum directio & determinatio. *Prov. 16. 9.* Exempla in hanc rem clariora sunt, quam ut quippiam contra ea adferri possit. Venditio *Josephi*, certè ea contingens erat cum suis circumstantiis. Liberè se ad omnia fratres Josephi determinabant. Consequenter, actio planè contingens, ratione causæ secundæ; & tamen rem totam divinæ providentiæ ac scientiæ subjicit Josephus. *Gen. 45. 5. Victus causa misit me Deus ante vos. ℣. 7. Misit itaque me Deus ante vos ℣. 8. Nunc itaque nequaquam vos estis, qui misistis me huc, sed Deus ipse.* Eadem veritas radiat in Exemplis *Bileami* conantis maledicere populo Dei; cui, dirigente sic Deo, benedixit. *Num. 23. 35.* & *23. 1.* *Labanis*, qui cum decrevisset acerrimis verbis Jacobum excipere, illud tamen præstare non potuit, Deo illum frænante. *Gen. 31. 28.* Casus quoque illius, *Exod. 21. 13.* quo, Deus eum, qui præter intentionem alicujus occiditur, dicitur *objecisse manui ejus.* Quæ in contrarium adferri solent in ipsa disquisitione diluemus.

LX. Modum quo Deus omnia scit his verbis innuit Catecheseos autor: *adeo perfectè novit.* Rectè. Novit omnia & pernovit intimè, exactissimè; quippe scrutator est cordium & renum. Hinc illud immane discrimen inter cognoscere divinum & humanum, de quo *1. Samuel. 16. 8. Non enim specto quod spectare solet homo; nam homo spectat quod est ob oculos, sed Jehova spectat, quod est in animo.* Et Job. 10. 4. *An oculi carnei sunt tibi? an ut videt mortalis vides.*

LXI. *Ut nihil illi sit absconditum.* Si nihil illi absconditum, ergo nec contingens. Quia contingens est aliquid: & ea, quæ se contradictoriè habent, saltem ratione alterius contradictorii verificantur. Verbi gratia. Cras serena erit tempestas; Cras non serena sive nubilosa erit tempestas. Alterutrum horum contingentium certò futurum est. Ergo aliquid. Quod etsi fugiat intellectum humanum, non tamen absconditum est à Deo. Et prout res se habet in physicè agentibus, ita & in moraliter; alterutrum enim oppositorum contingentium semper futurum est, adeoque comprehenditur sub τὸ *aliquid*, opposito τοῦ *nihil*, ac proinde non absconditum à Deo. Novit ergo Deus & contingentia futura *adeo perfectè*, ut nullum eorum illi sit absconditum.

LXII. Quæ tamen scientia Dei non infert ulli rei coactionem vel necessitatem intrinsecam. Quia scientia Dei practica, quæ decreto ejus nititur, præcisè causam secundam

dam

dam in talem partem determinat, in quam ipsa se liberè determinabit. Quod ideo monendum est, ut obviam eatur Sophismati Adversariorum, quo dicunt: Peccatorem extra culpam fore, cum ad hoc, ut peccaret, ab omni æternitate sit determinatè præscitus, adeoque determinatus. Judas, Pilatus, Herodes certè præscita à Deo scelera in Christo exercuere; à Prophetis quippe prædicta, ut Petro dicantur effecisse *quicquid manus & consilium Dei decreverant*. Act. 4. 28. Aut hi, ex Theologia Sociniana, extra omnem constituendi culpam; aut Deus dicendus est non præscivisse eorum molititiones, flagitia. Aut quod Orthodoxum est, Præscientiam peccati in Deo, non absolvere peccatorem à reatu. Quia præscientialis illa determinatio est permissiva tantùm, nihil coactionis inferens. Peccator enim semetipsum liberè, ultro, ex intrinseco voluntatis suæ motu, ad hoc peccatum disponit, ad quod, eo inscio, Deus eum præsciendo determinavit, non ut eum ad peccandum *cogeret*, sed ut eum liberè & sponte suâ volentem peccare, *permitteret*, atque id, quod manus & consilium suum decreverunt, ad manifestationem gloriæ suæ, exequi sineret.

LXIII. Figmentum Jesuiticum de Media scientia, cujus objectum contingentia statuunt, à Socinianis eorumque discipulis Arminianis, (demiror cur illud & Lutherani non adoptent) interpolatum, Scientiæ simplicis intelligentiæ & Visionis contra-distinctum feliciter protriverunt ex Nostratibus *Twissus*, spisso contra Mediam scientiam volumine. Cl. *Voetius* Dispp. select. 16. atque eodem manu ducente M. *Mathias Nethenus* ibid. Dispp. 15. 16. 17. 18. *Amesius*, libro contra Grevinchovium, & Animadversionibus de gratia *cap. 5.* *Maccovius* Loc. Commun. poster. edit pag. 158. & seqq. *Rhetorfortis* Exercitation. 1. cap. 5.

LXIV. Πρῶτον ψεῦδος, fortè non omnibus obvium, istius mediæ scientiæ, indicandum est. Inventa, interpolata est ab Adversariis, ne prævisionem omnium futurorum, etiam ratione causæ secundæ contingentium, ad scientiam Visionis referre cogerentur; quod sanè eorum opinionibus maximè præjudicaret. Oportet enim eos concedere Dei præscientiam decreto niti: & quę Deus pręvidet futura, eò pręvidere, quia decrevit. Unde ineptum esset dicere, Deum hunc vel illum elegisse ad vitam æternam, eò quod eum crediturum atque in fide perseveraturum prævideret. Namque, cur fidem prævideat in hoc & non in illo, si quæratur ex adversariis, dicant oportet, quia illi eam dare decrevit, huic non. Quærere si pergas,

gas, cur illi, non huic fidem dare decreverit, eò adigentur, ut fateri oporteat, quia ita placuit ipsi. Quo posito, omnes illæ commentitiæ distinctiunculæ Voluntatis Dei, antecedentis, consequentis, absolutæ, conditionatæ, & si quæ hujus commatis plures, quas, Adversarii in subsidium vocant, ut voluntatem Dei de omnibus ac singulis salvandis adstruant, sponte suâ corruunt. Quod si enim Deus omnes & singulos salvos voluisset, etiam omnibus ac singulis fidem dare, atque in ea perseverantiam finalem, decrevisset.

Quæst. 13. *Quid est scire Deum esse perfectè potentem?* Resp. *Quòd omnia, quæ vult, facere possit.*

LXV. Potentiam Dei nobiscum credere videntur Sociniani, ut nulla nobis videatur intercedere de ista potentia cum iis controversia; Veruntamen, rem si penitius rimeris, in explicatione ejus, hallucinantes deprehendes. Catechesis ait: Dei potentiam in eò consistere, quod omnia, quæ vult, facere possit. Quod de *Actuali* verissimum. *Absolutâ* enim, ut plura velle potest, ita & efficere. Quam distinctionem Potentiæ Dei admittit ipse Crellius Socinianorum Coryphæus. Alii eam terminis extraordinariæ & ordinariæ efferre malunt. Sed res eodem redit. Utrinque in confesso est, non aliam per actualem sive ordinariam, ab ea, quæ absoluta & exraordinaria est, intelligi potentiam, sed eandem, quæ propter diversos respectus, ratione nostri modi concipiendi, ita dispescitur. Ut absoluta dicatur quæ se extendit ad omnia quæ contradictionem, vel ex parte subjecti & objecti simul, vel ex parte subjecti tantùm non implicant: quâque Deus facere posset longè plura, quam fecit. Actualis sive ordinaria, quâ Deus potest facere, & facit, quæcunque vult & decrevit. Vocatur hæc Potentia Ordinata, quia Deus per eam facit, quæ facere ordinavit & decrevit.

LXVI. Et ut fidem faciant se synceros esse potentiæ divinæ assertores, contra Pontificios & Ubiquitistas ex natura Potentiæ Dei, ad possibilia se extendentis, disputant, à potentia Dei non argumentandum esse ad id quod contradictionem implicat, qualia sunt dogmata *Transsubstantiationis* & *Ubiquitatis*, ut ostendit ipse Crellius; Quæ cùm aliter defendi non possint Omnipotentia Dei utriq; dogmati erroris asylum sit oportet, atque ex

O ejus

ejus hypothesi, unum corpus multa, visibile invisibile, proximum & remotum, intra & extra cælum, majus & minus ore communicantis, quantum sine quantitate, sub specie sine specie, &c. Hæc talia Deus non potest, quique contradictionem, mendacium, impotentiam implicant: & istud non posse Dei, non est *non posse infirmitatis*, sed *non posse perfectionis*.

LXVII. Interim non credere Socinianos syncerè potentiam Dei, liquet ab hallucinatione multifaria, quam in explicatione ejus committunt. Primò enim per eam Dei potentiam, quam exercet ratione hominum, intelligunt Spiritum Dei, ut potentiam quandam à Deo emanativam, qualis est astrorum, ratione sublunarium; cum is spiritus sit ipse verus essentiâ Deus, ut paulò inferius contra hæreticos, probandum erit. Est enim Dei spiritus in Deo, *1. Cor. 2. 11.* Quia cùm scriptura convenit, unam personam esse in altera, *Joh. 14. 10.* dicit Christus Philippo: *Non credis me in Patre & Patrem in me esse.* Par ratio est de Spiritu sancto, tum ratione personalitatis, tum ratione essentiæ.

LXVIII. Cum enim in Deo sit, erit vel accidens, vel substantia, tertium non datur. Non prius, quia sic Deus ex subjecto & accidente compositus statueretur. Ergo substantia, ergo persona. Et frustra sunt Sociniani, spiritum Sanctum medium quid facientes inter potentiam Dei essentialem, & illius effectus (ex quorum lacunis sua hausit *Bidellus* Anglus, spiritum Dei non Deum, sed Ministrum atque œconomum asserens, quem solidè depexum, nuper dimisit Cl. Collega noster D. *Cloppenburgius*) cui per prosopopeiiam adscribuntur ea, quæ alioqui non nisi personæ sunt: nosque conatu planè irrito personalitem Spiritus sancti ex his talibus adstruere. Minimè gentium verò. Quia subjectum prosopopeiiarum in scriptura semper sunt substantiæ corporeæ, vitâ cæteroquin aut sensu destitutæ, nunquam meræ qualitates, cujusmodi Spiritus sanctus est Socinianis, ut accuratè observatum est à Cl. *Maresio*.

LXIX. Præterea eos non syncerè credere potentiam Dei ex eò liquet; quia dum pro infinitate essentiæ divinæ demonstranda argumentamur: Deus infinitus est potentiâ, ergo & essentiâ, antecedens negant, eò quod non possit impossibilia. Sed distinguuntur impossibilia *natura* & *naturâ*. Prioris generis etsi creaturæ non sint possibilia, Deo tamen possibilia esse, tum scriptura, tum ratio testatur. Scriptura quidem, dicens: *Apud homines hoc impossibile apud Deum autem omnia possibilia sunt* Math. 19. ✝. 26. Scilicet quæ hominibus aut ulli crea-

creaturæ præter hominem impossibilia. Ratio, quia alioqui nulla esset inter potentiam naturæ naturantis & naturatæ differentia, si illius vires, hujus potentiam infinitis parasangis non excederent.

LXX. Tertiò, & ex eo patet potentiam Dei, Socinianos non satis Orthodoxè credere, quod eam nullibi à quopiam ad excitationem impiorum à mortuis extendi videas. Equidem Crellius Sadducæis exprobrat, eos non credidisse resurrectionem mortuorum, quod potentiam Dei ignorarint. Sed ipsemes cum suis in eodem est, quod ajunt, prædicamento, ut qui Articulum Resurrectionis, ratione piorum, quibus corpora planè spiritualia affingit, pervertit; ratione impiorum negat, ut quorum pænas, æternas in totali eorum annihilatione haud obscurè cum suis innuit; nondum, quod sciam eo usque impudentiæ progressi, ut quid sententiæ de impiis foveant, rotundo ore profiteri audeant. Ad reliqua heterodoxa, quæ Crellius suo de Potentia Dei discursu, suorum nomine infarcit, vide sis stricturas Cl. *Maresii* in Hydra.

Quæst. 14. *Cur omnino necessarium est ad salutem, ista de Deo scire?*

Resp. *Ideo, quod sine his viæ salutis nequaquam adhærere possimus.*

Hactenus 1. Proposuit Catecheseos autor, ea quæ ad salutem scitu de Deo omnino sunt necessaria. 2. Explicavit. Jam 3. applicare ea, atque usum eorum ostendere pergit. Ita enim ait.

Quæst. 15. *Edoce me id ipsum de unoquoque in specie.*

Resp. *Primum quod attinet, quis non videt, si aliquis nesciat Deum esse, hoc est, aliquem, qui à seipso, super nos divinam habet potestatem, eum non posse viæ salutis adhærere? Nam si non credamus, Deum esse, etiam credere non possumus hanc viam nobis ab eo commonstratam: hinc etiam testatur Spiritus sanctus in Epistol. ad Hebr.* 11. *v.* 6. Qui acce-

dit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum.

Quæst. 16. *Quâ ratione probas mihi secundum?*

Resp. *Nisi crederemus, Deum unum tantùm esse, divisos nos esse oporteret animis, quoad viam istam, quippe incertum esset, quis eam ostendisset. Quâ de causa etiam Deus sæpissimè nos ejus admonet, in Scriptura Sacra, Deum unum esse, quemadmodum Moses de eo testatur, quod etiam à Christo repetitum* Math. 19. 17. Marc. 12. 29. Audi Israël, Deus noster, Dominus unus est. *Ita quoque Deus ipse,* Deut. 32. 39. Videte nunc me ipsum esse, & nullum esse Deum mecum. *Vide etiam de hoc,* 1. Corint. 8. 4. 1. Tim. 2. 5. Eph. 4. 6. Gal. 3. 20.

Quæst. 17. *Iam pergas fac dicere de tertio?*

Resp. *Nisi crederemus, Deum æternum esse, nequaquam sperare possemus id, ad quod nos via hæc ducit; nimirum, immortalitatem & æternitatem. Nam quomodo quis alteri daret hoc, quo ipsemet caret?*

Quæst. 18. *Dic mihi quoque de quarto.*

Resp. *Credere, Deum perfectè justum esse, ideo necessarium est ad salutem. Primò, ut certò persuasi simus, eum hoc, quod nobis promisit, quanquam eo indigni sumus, daturum, suisque promissis satisfacturum. Deinde, certi simus, in eo, dum in via salutis tam variæ tentationes nos adoriuntur, in Deo nobis eas immittente, nullam esse injustitiam.*

Quæst. 19. *Ostende mihi hoc ipsum etiam de quinto, nimirum*

mirum quod Deus sit perfectè sapiens.

Resp. *Hoc ideo necessarium esse, ne dubitemus omnino, quin cor nostrum, quo cognitu nihil difficilius, Deo semper perspectum sit, secundùm quod cor nostrum omnis obedientia nostra vel maximè æstimatur.*

Quæst. 20. *Ostende mihi idem de Sexto denique?*

Resp. *Ad salutem creditu necessarium esse, Dem perfectè essepotentem de eo nemo dubitare potest. Nam quis huic firmam adhibere posit fidem, Deum tanquam primum horum rerum auctorem, nobis vitam æternam dare posse, nisi credat, ejus potentiam faciendi quicquid vult, omnimodè esse infinitam. Ita etiam, quis tantas susciperet molestias, quales illi, qui Deo in hac via Christianæ religionis serviunt, suscipere coguntur, nisi ejus certus esset, omnia esse in manu Dei, taliaque sine voluntate ejus nobis non posse evenire, nihilque sit, vel in cælo, vel in terra, quod Dei potentiam impedire queat, quo minus id, quod nobis promisit, nosque ab eo expectamus, largiturus sit.*

LXXI. Usus isti practici non malè ex præstructis orthodoxè hypothesibus eliciuntur. Deus est. Ergo via salutis ab eo patefacta. Is enim qui non est, id præstare nequit. Quia non entis nullæ sunt affectiones. Deus unus est; ergo ille solus viam salutis patefecit. Æternus est, ergo æternitatem communicare potest. Justus est; ergo stabit promissis: nec quicquam injustitiæ, in nobis vel puniendis, vel castigandis, admittet. Sapiens est; Ergo novit cor nostrum. Potens est; Ergo præstare, quicquid promisit, potest, nihil impeditâ ejus potentia à quopiam.

LXXII. Longè plura, ad Institutionem, Redargutionem, Adhortationem, Consolationem ex his Orthodoxè explicatis elici possent; sed id jam instituti nostri non est. Lectionibus publicis id perficiendum Deo vires largiente, servamus

vamus quibus omne id, quod theoreticè à nobis explicatum fuerit, ostendemus, quâ ratione practicè quoque pro Concione ad populum tractari possit, selectis eo fine textibus sacris, quoad fieri poterit, commodissimis. Jam pergimus ad

Quæst. 21. *Etiam mihi dicas, quænam illa sunt, quæ Dei essentiam tangunt, atq; ad salutem valde conducunt & utilia sunt?*

Resp. *Inter alia hoc præcipuum est, ut sciamus in Dei essentia modò unam personam esse.*

Quæst. 22. *Proba mihi hoc?*

Resp. *Hoc eo probo, quoniam essentia divina tantùm unica est numero, ideo nullatenus plures in eo possunt esse personæ. Persona enim nihil aliud est, quam intelligens indivisibilis essentia.*

Quæst. 23. *Dic mihi, quænam est unica illa divina persona?*

Resp. *Est unus ille Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi.*

Quæst. 24. *Quo id probas?*

Resp. *Claris scriptruæ sacræ testimoniis, quæ sunt ubi Dominus Iesus ita ait:* Ioh. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut te *(Patrem)* cognoscant, qui solus es ille verus Deus. *Et Paulus* 1. Cor. 8. 6. *dicit:* Nobis tantùm unus est Deus, Pater ille, à quo omnia. *Idem Paulus alibi ad* Eph. 4. 6. *inquit:* Vnus est Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.

LXXIII. Quot quæstiones, tot sunt errores. Ac *quæst. 21.* duo palpabiles deprehenduntur. Alter in ipsa quæstione, quâ dogma de cognitione personarum divinarum, inter utilia tantùm, non autem absolutè necessaria salutis dogmata, censetur. Alter in responsione, quâ

quâ dicit autor: *in essentia divina unicam tantùm esse personam. Secundus* quæst. 22. quâ supponitur essentiam unam numero non posse communicari pluribus. *Tertius* error committitur quæst. 23. in specificatione unius tantùm personæ divinæ. *Quartus* quæst. 24. in specificationis istius, per scripturas præter mentem Spiritus S. allegatas, probatione. Singuli isti errores penitius sunt expendendi, atque refutandi. Ac primo quidem errori planè contradicimus. Dogma plurium personarum divinarum, ac Trinitatis, absolutè necessarium salvando, credimus, asserimus, probamus. Probationem hujus theseos prolixam instituit Cl. *Voetius* dispp. selectarum 28. ad quæ omnia Theologorum in hanc rem sparsa argumenta analogicè referri possunt. Ordinis gratiâ quædam ex illis producemus, ac dogma Trinitatis scitu & creditu absolutè esse necessarium ostendemus.

LXXIV. 1. Quia in scripturis utriusque testamenti est propositum, quanquam modus proponendi in N. T. clarior sit. 2. Quia necessarium est credere unum Deum. Atqui personæ Trinitatis sunt unus essentiâ Deus. 3. Quia sine hujus dogmatis cognitione, non potest cognosci prima salutis nostrę causa. Qui enim Christum non agnoscit ut Deum, & tamen eum servatorem suum credit, hominem salutis suæ æternæ authorem facit, atque sic ipsi Deo, quod Dei est, detrahit. Sic qui Spiritum S. non agnoscit ut Deum, is non agnoscit gratiæ salutaris principalem authorem, quam nobis conferre dicitur *2. Cor. 13. 13. 1. Cor. 12. 1. 2. 3.* Actiones enim suppositorum sunt, non verò accidentium. Et persona divina objectum est, ut cognitionis, ita cultus & gratitudinis; non verò accidens aliquod, sive creatum, sive increatum, quale ne fingi quidem potest absque contradictione in adjecto.

LXXV. 4. Quia Trinitatis dogma aliorum dogmatum basis est atque fundamentum. Hinc enim Missio Filii, adventus ejus in carnem, Satisfactio, Missio Spiritus sancti, ejusque sanctificatio, consolatio pendent. 5. Quia dogmatis hujus affirmatio, aut negatio facit, aut præfractè impios, aut Idololatras. Si enim nos colimus religiosè Filium Dei & Spiritum sanctum, qui naturâ Dii non sunt, Idololatræ sumus. Sin autem Sociniani Christum Filium Dei & Spiritum sanctum, tanquam unum essentiâ Deum non colant, Epicurei, imò Athei sunt.

LXXVI. 6. Quia hæc doctrina insignes habet Usus practicos, quos cum Deo, publicis prælectionibus deducemus, quosque passim apud practicos invenias. Adversarius infra quæst. 39. doctrinam hanc noxiam

noxiam ait. Sed ibi respondebimus.

LXXVII. Ad alterum errorem quæst. 21. dicimus: Falsum esse in essentia divina nonnisi unicam esse personam: I. Quia plures personæ in Deitate à scriptura exprimuntur *Gen. 1.26.* & *11.7.* quod honoris causâ non dici, patet ex *Genes. 3.22.* Similiter. *Esai. 42.1. Math. 3.16.* & *28.19. Joh. 1.33.* & *14.16.16.26.* & *15.26. 1.Cor. 12 3.4.5.6. 2.Cor. 13.13. Gal. 4.6.* Quibus in locis partim plures, partim tres distinctæ personæ numero numerato exprimuntur. II. Quia filius & Pater duo sunt *Ioh. 8.17.18.* & cum Spiritu Sancto tres. *1. Ioh. 5.7.* III. Quia in essentia divina est, Pater gignens, *Psal. 2.7.* collat. cum *Act. 4.25.26.27. Heb. 1.5,* & *5.5. Apoc. 2.26.27. Ioh. 5.26.* Filius genitus, ut patet ex locis modo allegatis: item sequentibus, quæ testantur Christum esse Dei filium, *Math. 3.17.* & *17.5. Ioh. 1.34. Act. 9.20.* Unigenitum, *Ioh. 1.14. 18.* & *3.19.* Proprium, *Rom. 8.32.* Effulgentiam gloriæ & characterem personæ Patris *Heb. 1.3.* adeoque imaginem Patris *Coll. 1.15.* ita, ut qui videt eum, videat Patrem *Ioh. 14 9.* Denique Spiritus S. procedens à Patre *Math. 10.20.* coll. cum *Ioh 15.26.* Item Filio *Rom. 8.9. Gal. 4.6.* utroque *1. Corinth. 2.12.* IV. Quia tres illæ personæ proprietatibus personalibus sunt à se invicem distinctæ, atque ita se habent ut una non sit altera, sed alia atque alia. Nam ita sibi contra distinguuntur, ut Pater Filii *Rom. 15.6. 2. Cor. 1.3.* Filius Patris, *1. Cor. 3. 23.* Spiritus S. Patris, *Math. 10 20.* & Filii *Gal. 4.6.* esse dicatur. Item Pater cum Filio *Ioh. 16.32.* in Filio, & Filius in Patre. *Ioh. 14.10.11.* Filius apud Patrem, *Ioh. 1.1.* Unus ab altero esse *Ioh. 15.16. 1. Cor. 2. 12.* Pater Filium mittere *Gal. 4.4.* dare spiritum *Ioh. 14.16.17.* mittere eum v. 26. *Gal 4.6.* Filius mittere Spiritum à Patre *Ioh. 15.26.* Pater per filium operari *Ioh. 1.3.* & *5.19. 1. Cor. 8.6. Coll. 1.16. Heb. 1.2.* V. Quia expressè scriptura dicit. Patrem esse alium à Patre & Filio, *Ioh. 14.16.17.* ob distinctionem personarum non essentiæ.

LXXVIII. Quod quæst. 26. errori incrustando prætexit: Essentiam unam numero, non posse communicari pluribus personis, eò quòd persona sit intelligens indivisibilis essentia, ex lacunis naturalis Philosophiæ haustum est, quam non dominari, nec præscribere decet Theologicæ veritati, sed ancillari. Sophisma vitiosum est. Si enim hypotheticè proponatur. Antecedens falsum est. Si categoricè, Major falsa est. Verbi gratia. Si Una numero essentia non potest pluribus communicari. Ergo in essentia divina non possunt esse plures personæ.

Resp.

Resp. Nego antecedens si de essentia infinita accipias. Categoricè sic: Una numero essentia non potest pluribus communicari. Essentia Patris est una numero. Ergo non potest pluribus communicari. *Resp.* Nego Majorem, adhibitâ distinctione essentiæ finitæ & infinitæ. Nam ratiocinatio ista procederet, in essentia singulari, finita, ubi nonnisi una persona esse potest. Omnis enim communicabilitas finitæ personæ uno illo existendi modo, quem in Petro, Paulo consequuta est, exhauritur. Aliter res habet in essentia divina, quæ præterquam quod infinitatem pro fundamento communicabilitatis habet, etiam cum persona, quæ in ea est, non est simpliciter idem. Persona quidem est essentia individua & incommunicabilis; quia persona Patris non est persona Filii, vel Spiritus sancti, & contra: Sed essentia divina, non est quælibet persona seorsim sumpta, sed omnes tres personæ simul sumptæ. Nequaquam igitur per tres illas personas, unica illa Dei essentia tollitur, sed tantùm Pater, Filius & Spiritus S. distinguuntnr.

LXXIX. Luceni hæc accipiunt, ab iis, quæ ex Cl. *Voetii* dispp. selectar. 13. thesi 6. transcribemus. Sic autem ille ad eandem objectionem Vorstii, contra Simplicitatem Dei, Socinianorum, Judæorum, qui hoc absurdo urgent Trinitatem: Personæ divinæ conferuntur dupliciter, aut cum essentia, aut inter se. Priori modo negamus personas divinas realiter distingui ab essentia: Sed dicimus eas realiter idem esse cum essentià, distingui tantùm ex natura rei eminenter. Quomodo ferè in rebus creatis distinguuntur, natura & suppositum; quæ quamvis realiter idem sunt; non tamen quicquid verè singulariter & affirmativè prædicatur de uno, verè negatur de altero; sed aliquod singulare, quod affirmatur de uno verè, negatur de altero. Sic *communicari* affirmatur de natura & negatur de supposito, & viceversa *incommunicabile* affirmatur de supposito, & negatur de natura. *Posteriori modo* personæ distinguuntur realiter, quia scriptura alium dicit Patrem, alium Filium, Spiritum sanctum *Ioh. 5. 32.* & *14. 16.* & quia relativè opponuntur: atqui opposita qua talià non possunt esse idem. Hæc ille, ut omnia, accuratissimè.

LXXX. Eadem *Walæus* ad simile sophisma reposuit, Operum tom. 1. p. 163. col. 1. *Essentia divivina est quidem re eadem cum personis, quia persona Essentiam habent communem: Sed non est eadem ratione cum personis.* Conveniunt inter se personæ S. S. Trinitatis. 1. Unitate essentiæ. 2. Omnimodâ æqualitate naturæ, cui inæqualitatas officii

P nihil

nihil officit. 3. Arctissimâ περιχωρήσει, ita ut maneat una in alia & cum alia. Differunt vero 1. Ordine personarum 2. Proprietatibus Characteristicis personalibus 3. Modo operandi. Pater enim agit à seipso, Filius à Patre, Spiritus S. ab utroque. Trinitas ergo personarum, non infert trinitatem essentiarum, idque ideo, quod nunquam repugnet, vel naturæ principia evertat, unius naturæ indivisæ communis, posse esse tres numero subsistentias incommunicabiles.

LXXXI. Omnes argutiæ Socinianæ contra veritatem Trinitatis in unitate, Unitatis in Trinitate; ex eo proficiscuntur, quod vel nesciant, vel nolint distinguere personas ab essentia, & hanc ab illis; cum tamen diversis conceptibus ista concipi debere certum sit. Quia essentia una est, personæ tres. Item quia essentia communis est, personæ non item. Deinde quòd existiment, rem numero unam communicabilem, indivisam tamen, non posse pluribus distinctis communicari, sine sui multiplicatione, hoc est, unius essentiæ non posse esse plures personas.

LXXXII. Nullius ergo momenti est frequentatum illud Sophisma: Ubi sunt tres personæ, quarum quælibet est summus Deus, ibi sunt tres Dii summi. Numerum enim multitudinis facit distinctio tantùm. At non distinguitur essentia, sed personæ tantùm in illa multiplicantur. Jam autem Deorum summorum pluralitas, essentiarum pluralitatem necessariò postularet: nec unum & tria sunt contraria, sed diversa, quæ cum opponantur sibi eodem respectu, accuratè inter se conveniunt. Essentia ergo divina una est numero & singularis ratione *multiplicationis*, quatenus non multiplicatur; non tamen singularis ratione *communicabilitatis*: Nec tamen ideo universalis est. Quia universale est unum multiplicabile: Deus autem multiplicari non potest, ideoque tres personæ ratione personalitatis *specificè*, ratione essentiæ *identicè* inter se conveniunt.

LXXXIII. Non quovis respectu igitur Deus est unus, sed tantùm essentiæ ratione, quoad personas verò trinus est: Nec Deus communiter essentialiter & absolutè est persona, sed personaliter & relativè; seu non simpliciter quà Deus ille unus est, persona est, sed quatenus incommunicabiliter est Deus ille unus, hoc est, quatenus certo modo essentia divina ipsi competit.

LXXXIV. Quod præterea perpetuò oggانniunt: Unum numero, fore plura numero, si sit pluribus distinctis commune. Item. Dogmate nostro everti principium illud:

illud: Quæ uni tertio sunt eadem, ea inter se sunt eadem. Item. Unius substantiæ intelligentis unam esse personam, nec plura posse esse supposita, nisi simul sint plures numero essentiæ; adeoque essentiam Dei, quæ infinita est, infinitas quoq; personas postulare. Nugæ sunt.

LXXXV. Respondemus enim ad *primum*. Non esse illud plura numero, quod pluribus sine sui multiplicatione communicatur: Nec omne definit esse singulare, quod pluribus communicatur; sed quod cum sui divisione & multiplicatione communicatur. Cum enim natura & persona, sive essentia & subsistentia differant, non est absurdum, unam numero essentiam habere plures subsistentias. Quæ enim talia sunt, eorum uno multiplicato, non multiplicatur alterum.

LXXXVI. Ad *secundum*. Quæ sunt eadem uni tertio &c. Hoc tantùm sensu conceditur: Quæ sunt eadem uni tertio *singulari*, *incommunicabili* & quovis modo. At essentia divina est quid singulare communicabile: & quamvis quælibet persona totam habeat essentiam, non tamen eam habet quovis modo, *adæquatè* scilicet & *reciprocè*, quatenus est pluribus adhuc communicabilis, sed *characteristicè*, quatenus ipsi soli, eodem modo, competit. Unitati enim essentiæ pluralitas essentiarum tantùm, non subsistentiarum in illa essentia, opponitur.

LXXXVII. Ad *tertium*. Postulare equidem essentiæ Dei infinitatem, infinitas personas, sed infinitas ratione *perfectionis*, non *numeri*. Quia infinita personarum multitudo numerica, everteret divinæ essentiæ & ipsarum personarum infinitam perfectionem.

LXXXVIII. Errorem tertium diximus esse quæst. 23. qua auctor Catecheseos dictat, *Unicam istam divinam personam esse Patrem Domini nostri Jesu Christi*, exclusis à vera & unica Deitate Filio Dei & Spiritu Sancto, qui cum Patre sunt unus & solus verus Deus. Actum ageremus, ac Iliada post Homerum scribere videremur, si operosam hîc moliremur istius erroris blasphemi refutationem. Præstitum id abundè, solidè à Cl. Collega nostro D. *Ioh. Cloppenburgio* in Antismalcio. *Bisterfeldio* contra Crellium. *Maresio* in Hydra Socinianismi. Attamen ea, quæ roborando errori Catecheseos autor *quæst. 24.* & *seqq.* allegat, series Catechetica postulat, ut ad libellam scripturæ rectæque rationis appendamus.

LXXXIX. Clarissima verò sibi somniat cæcus suppetere ad stabiliendum errorem testimonia divina. At certè dictum *Ioh. 17. 3.* primo loco allegatum. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Pater solum verum*

rum Deum & quem misisti Iesum Christum, tantùm abest ut serviat instituto hæretici, ut Orthodoxa sententia magnum robur ex eo habeat. 1. Quia hoc dictum, non determinat, an plures in uno isto Deo sint personæ, sed alios tantùm Deos excludit. 2. Non dicit Christus, quod vult Adversarius: Solum Patrem esse verum Deum; sed Patrem esse illùm Deum, qui solus est verus Deus. Patet id manifestè ex græco textu, in quo duæ illæ voces *solum* & *verum*, uno articulo connexæ, ad prædicatum referuntur, non ad subjectum; ad Deum, non ad Patrem, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. 3. Tametsi hoc daretur adversariis, solum Patrem dici hoc loco verum Deum, id tamen nec nostræ causæ præjudicaret, nec Adversariorum, quicquam promoveret. Quia illis incumbit probare particulam istam *Solum*, exclusivè usurpari, ad excludendum filium, non verò ad excludendum idola & falsos Deos, qui naturâ Dii non sunt.

XC. Hoc enim est quod Christus vult dicere: In hoc positam esse vitam æternam, ut, qui eam credere, sperare, sibique eam polliceri velint, detestentur omnes alios gentium Deos & idola, qui Dii falsi sunt, & convertantur ad te, qui contra distinctè ad hos, solus es verus Deus. Ergo vox illa *solus* excludit alios Deos diversos, non Christum, qui non est diversus à Patre, sed unum cum eo. *Ego & Pater unum sumus* Joh. 10. 30. 4. Contrarium potius liquet à dicto Christi. Nam cum addit: *Et quem misisti Iesum Christum*, conjungit se cum verò Deo, ut sensus sit, ut cognoscant & te, & quem misisti Jesum Christum, solum esse verum Deum.

XCI. Coincidit ergo nostra responsio ad hunc Socinianorum Achillem, cum ea, quam olim dederunt Patres. Sic enim *Augustinus* post multos *Lib. 6. de Trinit.* cap. 9. & *tract.* 105. in *Iohan.* textum construendum censet: *Ut cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum solum verum Deum*, ut sic copulativa &, & Patrem & Christum in una Deitate conjungat. Item: *Ordo verborum est, ut te, & quem misisti Iesum Christum cognoscant, solum verum Deum.*

XCII. Coincidit & cum ea quâ dicitur, particulam *Solus* non debere referri *ad subjectum*, quasi solus Pater dicatur verus Deus; sed ad *Prædicatum*, quod Pater sit solus ille verùs Deus, extra quem non est alius. *Exclusiva solus non determinat pronomen te, ut sit sensus, quod solus Pater sit Deus; sed determinat nomen Deùm; ut sit sensus, quod illa est sola Deitas vera, quæ est in Patre, à qua non excluditur filius.* Lyranus in h. l. Vide & Bezam in annot. hujus loci.

XCIII.

XCIII. Coincidit cum distinctione Scholasticorum, quâ distinguunt inter nomen *solus* usurpatum *substantivè* vel *adjectivè*. Hæc propositio, inquiunt, solus Pater est Deus, vera est, si solus excludat *aliud substantivè*, id est, rem alterius naturæ seu essentiæ, ut sensus sit: Pater est Deus, & nulla res alterius naturæ est Deus. Falsa verò est, si solus excludat *alium adjectivè*, quia non solus Pater, sed etiam Filius & Spiritus S. est Deus.

XCIV. Dicimus ergo iterum, simplicissimè responderi, particulam exclusivam *solus* non opponi reliquis personis, Filio scilicet & Spiritui sancto, sed creaturis & fictitiis gentilium numinibus. *Unus & solus Deus, de Deo in scripturâ non ad distinctionem Filii aut Spiritus Sancti dicuntur, sed adversus eos qui Dii non sunt, falsò autem appellantur.* Basilius lib.4. contra Eunom. *Particula solus non excludit eas personas, quæ sunt ejusdem cum Patre natura, sed res creatas.* August. lib.3. contra Maximin. cap. 13.

XCV. Quæ responsio confirmatur, tum *in genere* tum *in specie*. In genere ex illis scripturæ dictis, in quibus particula *solus* non ita ἁπλῶς & absolutè accipitur ut omnia omnino excludat, etiam ea, quæ personæ vel rei, cui additur, sunt certa ratione conjuncta, sed tantùm quædam. Deut. 1.36. *Solummodo Caleb filius Iephunna, videbit terram illam*, ubi tamen non excluditur Josua, ut patet ex ☩. 38. 1. Reg. 12. 20. *Nemo sequutus est domum Davidis prater tribum Iehuda solam*, ubi non excluditur Benjamin, quæ se tribui Juda conjunxerat, ut patet ex v. 21. Marc. 6. 47. *& ipse* (Christus) *erat solus in terra*, ubi discipuli tantùm excluduntur. Joh. 8. 9. *Et derelictus est solus Iesus & mulier stans in medio*, ubi non mulier, sed accusatores tantùm removentur.

XCVI. Sed hæc generalis probatio non satisfacit, nisi addatur specialis. Quia illud duntaxat per eam demonstratur, quod particula *solus*, possit ita accipi, ut non excludatur filius & Spirtus Sanctus. Addenda igitur probatio specialis, per quam demonstratur, particulam *solus*, hoc loco ita accipi debere ut non excludatur filius & Spiritus sanctus. Id autem probatur. 1. *Ex fidei annalogia*, Qui cum Patre est verus Deus, qui est unum cum Patre, qui non est extra Patrem, sed in Patre, qui non est à Patre alius essentiâ, qui eandem numero essentiam habet cum Patre, ille non excluditur à Deitate, quando Pater solus verus Deus dicitur. Jam verò Filius est verus Deus, ut probant omnia argumenta, quæ pro adstruenda Filii Deitate ex scripturis suo loco adducuntur. Est unum

cum Patre, *Ioh. 10. 30.* Non est extra Patrem sed in Patre *Ioh. 14. 10.* Non est à Patre alius essentiâ, sed tantùm personâ *Ioh. 5. 32.* Eandem numero essentiam cum Patre habet, &c. Ergò Filius non excluditur à Deitate, quando Pater solus dicitur verus Deus. Idem judicium de Spiritu sancto, de quo itidem omnia illa membra prædicari possunt.

XCVII. 2. *Ex scopi consideratione.* Christus post suam in cœlos ascensionem ablegaturus erat Apost. non tantùm ad Judæos, sed etiam gentes; quia potestatem acceperat omnis carnis. Utriq; destituti erant verâ Dei & Christi mediatoris cognitione; quia gentiles πολυθεΐαν sectabantur, Judæi missum ad se Messiam repudiabant. Ideo Christus summam Euangelii brevibus complexus, non solum unius veri Dei, sed etiam Mediatoris Christi cognitionem ad vitam æternam requiri asserit. Prius ergo membrum opponitur πολυθεΐᾳ gentilium, *1. Cor. 8. 5. 1. Thess. 1. 9.* Posterius cæcitati Judæorum Messiam protervè repudiantium. Quod si verò prius membrum opponitur Idolomaniæ gentilium, ergo quando Pater dicitur solus verus Deus, per illud nón excluditur Filius, sed fictitia Ethnicorum numina. Sic quando Thessalonicenses loco proximè citato dicuntur: *Conversi ad Deum à simulachris servire Deo vivo & vero*, tunc illud non opponitur Christo, ad quem per Apostolicam prædicationem erant conversi, sed ut ipse textus ostendit, idolis, quibus prius servierant.

XCVIII. 3. *Ex rationis evidentia.* Quorum una & eadem est spiritualis ac divina cognitio, eorum una eademque est natura divina. Jam verò in Christi cognitione pari & eadem omnino ratione vita æterna dicitur consistere, quâ in Patris cognitione eadem consistit, Ergo Christus est verus cum Patre Deus. Major probatur ex *1. Ioh. 5. 20.* Ubi Deitas filii ex eo probatur, quod in ipso sit vita æterna. Itemque ex eo, quod per sui cognitionem vitam æternam sit daturus, quod solius veri Dei est proprium. Minor elucet ex verbis Christi.

XCIX. 4 *Ex Mediatoris descriptione.* Mediator cujus cognitio cum Patre arctissimo nexu conjungitur, hoc loco sic describitur, quod sit à Patre *missus*, quod sit *Jesus*, quod sit *Christus*. Missus autem est Christus non tantùm ratione *officii*, sed etiam ratione *incarnationis* Gal. 4. 4. At incarnatio, est Dei in carne manifestatio *1. Tim. 3. 16. Iesus* Salvatorem significat. At verò salvare est opus solius Dei veri proprium. *Christus* notat tùm *ungentem* Deitatem, tùm *unctam* humanitatem.

tatem. Ergo quando Pater dicitur solus verus Deus hoc loco, per illud Filius à Deitate minimè excluditur.

C. 5. *Ex Patris definitione.* Pater hîc dicitur solus verus Deus. Pater verò in scriptura sic definitur: Quod sit prima persona divinitatis, quæ ab æterno ex sua essentia genuit filium imaginem suam, & cum Filio spirat Spiritum sanctum. Ergo negatâ Filii divinitate, negatur definitio Patris in scripturis tradita. Quia Pater æternus non est, qui non habet filium æternum. Tantùm igitur abest ut per particulam *solus* à Deitate excludatur filius, ut in ipsius Patris appellatione includatur, utpote unius & ejusdem Deitatis cum Patre particeps, propter æternam ex Patris essentia generationem.

CI. 6. *Ex diversa particulæ exclusivæ usurpatione.* Scriptura de Deitate loquitur bifariàm. *Primò* considerata *ad extra*, quando scilicet eam soli Deo tribuit, & fictitiorum Deorum multitudini opponit. *Secundò* considerata *ad intra*, quando tribus Deitatis personis eam communem esse asserit. Ubicunque scriptura dicit Deum esse unum, esse solum Deum, non esse alium præter ipsum, extra ipsum, ibi Deitas consideratur *ad extra* seu essentialiter, & excluduntur à Deitate omnes Creaturæ & omnia fictitia numina. Atq; ea est propria vis exclusivæ de Deo usurpatâ. Quando verò Deitas ad intra, hyostaticè & personaliter consideratur, tunc exclusiva disertè rejicitur *Ioh. 8. 16.* & *16. 32. Non sum solus, sed ego & qui misit me Pater.* Quia Pater non est eâ ratione solus Deus, ut Filius non sit unus cum ipso Deus, quia etiam filius est verus Deus *1. Ioh. 5. 20. & omnia habet quæcunque Pater habet* Joh. 16. 15. Ergo quando Pater hoc loco dicitur *solus verus Deus* tùm consideratur Deitas Patris κατ' ἔξω ad extra, & excluduntur fictitia numina, non autem Filius & Spiritus sanctus, qui sunt unum cum Patre.

CII. 7. *A pari* hæc responsio probatur, Si particula *Solus* de Patre usurpata, Filium & Spiritum S. à Deitatis excluderet consortio, utique eadem particula *Solus* de Filio & Spiritu sancto usurpata, Patrem ab eadem excluderet. At absurdum est consequens. Ergo & Antecedens. Ejusmodi loca in quibus exclusiva de Filio & de Spiritu S. usurpatur dantur in scripturis complura. Hæc ex multis affero. *Deut. 32. v. 12. Iehova* solus *duxit eum nec fuit cum eo Deus fortis alienigena.* Hunc locum de Filio accipiendum esse patet ex *Gen. 28. 13. Exod. 3. 8. Exod. 23. 20.* & *32. 34. 1. Cor. 10. 9.* At verò etiam Pater & Spiritus sanctus deduxerunt Israelitas per desertum,

fertum, ut constat ex *2. Sam. 7. 23. Esai. 69. 10.* Ergo illi per particulam *solus*, filio attributam, non excluduntur. Christus solus dicitur *Salvare, Salvator, Salus* Act. 4. 12. At verò etiam Patri & Spiritui S. opus salvandi competit. Ergo exclusiva de Christo usurpata, quod absque eo & præter eum non sit Salvator, non excludit à salvationis opere Patrem & Spiritum sanctum, sed falsos Deos gentilium, ut ex *Esa. 45. 15. 16. 17. 18.* liquet.

CIII. Math. 11. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater*, hoc est, solus Pater, *neque Patrem quisquam novit, nisi Filius*, hoc est, solus Filius; neque tamen excluditur Spiritus S. quippe, *qui scrutatur profunditates Dei.* 1. Cor. 2. 10. Sic 1. Cor. 2. 2. *Non statui quicquam scire inter vos, nisi Iesum Christum*, id est solum Christum, ubi tamen non excluditur cognitio Patris & Spiritus sancti. ℣. 11. cap. citati: *Nemo novit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei*, hoc est solus Spiritus; ubi tamen non excluditur Filius *Math. 11. 27. Epist. Iudæ* ℣. 4. Christus dicitur *solus herus, Deus, Dominus* & versu 25. *Solus sapiens, servator*; nec tamen vel Pater qui & ipse vocatur, *μόνος σοφὸς θεὸς, solus sapiens Deus* 1. Tim. 1. 17. vel Spiritus S. excluduntur. *Apoc. 19. 12.* Nomen Christi *nemo novit nisi ipse*; nec tamen significatur, vel Patrem, vel Spiritum S. illud ignorare.

CIV. Adde præcedentibus & hoc robur. Per exclusivam particulam *solus* Filium non excludi à Dei proprietatibus & actionibus. Ergo etiam per eam particulam non excluditur à natura sive essentia Patris. Consequentiæ ratio est, quia proprietates Dei, ut & actiones Dei sunt ipse Deus. Sanctitas enim Dei est ipse Deus sanctus; Creatio, decretum Dei, est ipse Deus decernens, creans. Antecedens probatur. Esai. 37. 16. *Iehova exercituum, Deus Israelis, insidens Cherubinis, tu es Deus ille solus, omnibus regnis terræ, tu fecisti cœlum & terram.* Hîc non excludi Filium sed fictitia tantùm numina, patet ex eo, quod omnia illa prædicata ei conveniant. Est enim *Deus Israel, sedens supra Cherubim* 2. Sam. 2. 6. Rom. 3. 25. Est *creator cœli & terræ.* Joh. 1. 3. Heb. 1. 2. Math. 11. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater*, hoc est, solus Pater. Atquis cogitare potest, Filium à sui ipsius cognitione excludi? Marc. 13. 32. *Nemo novit Diem ac horam illam, nec Angeli, nec Filius*, (quoad humanam naturam in statu exinanitionis) *nisi Pater*, hoc est solus Pater. At manifestum est, non excludi filium, quoad divinam naturam, & in statu exaltationis; cum enim sit constitutus judex, utique novit judicii diem. *1. Tim. 6. 15.* Pater est *solus Rex Regum & Dominus Dominantium*, ℣. 16. *qui solus*

habet immortalitatem; nec tamen excluditur Filius, qui & ipse est *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Apoc. 17. 14. Apoc. 19 16 *Ac vitam habet in seipso.* Joh 5. 26. Ut ergo, his dictis, non excluditur Filius, per particulam *solus*; ita particula *solus* nec *Ioh. 3. 17.* Filio vel Spiritui sancto, ad eos à Deitate excludendos est opposita.

CV. Nihil ergo præsidii in hoc loco *Ioh. 17. 3.* invenerunt hactenus Adversarii; cum & ipsi eorum antesignani tantùm non manus victas dederint, atque ea quæ prolixiùs ad hunc locum diximus, suis istis axiomatis, approbarint. Ita enim Socinus lib. de invocat. Jesu Christi, contra Franciscum Davidis pag. 12. *Exclusivam de Deo usurpatam non debere opponi Invocationi Christi, ut pote qui sit Patri subordinatus.* Idem in Miscellaneis tit. de Invocatione Christi pag. 273. in Epist. ad Radecc. pag. 149. *Nomen* SOLUS, *& particula, idem significantes, cum de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi sunt subordinati.* Et Schmaltzius contra nova monstra Arrianismi part. 1 cap. 2. p. 14. de dicto Math. 4. 13. *Deo Soli servies* scribit: *Non seipsum exclusit Christus, cùm hac verba ex lege citaret.* Ex his enim sic argumentamur: Si propterea, quòd juxta hypothesin Adversariorum, Filius sit Patri subordinatus, per particulam *Solus*, & alias similes, de invocatione Patris usurpatas, non excluditur ab invocatione Filius; multò magis propterea, quod juxta scripturæ doctrinam Filius sit Patri ὁμοούσιος sive consubstantialis, per particulam *Solus*, & alias similes, de vera Deitate non excluditur. Atque sic solidè satis locum hunc *Ioh. 17. 3.* à corruptela vindicatum esse persuasi sumus. Pergimus ad eum quem secundo loco producit Catecheseos autor.

CVI. Ita verò ille ex *1. Cor. 8. 6. Nobis tantùm unus est Deus à quo omnia.* Et ex Epist. ad Ephes. cap. 4. v. 6. *Unus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus nobis.* Error hic Socinianorum vulgaris est, ut personas, ab essentia non distinguant. Quare si dixero, ut brevis nec tamen obscurus sim, probare ista loca unitatem essentiæ, adeoque ea non obstare pluralitati personarum, equidem quid sint reposituri, præter rancidam illam crambem, unam numero essentiam non posse pluribus communicari personis, eò quòd persona nil aliud sit, nisi intelligens indivisibilis essentia, non video. Quod principium falsum, ad quæst. 22. jam est destructum. Sed quia vox *Patris* in textu habetur, quæ ut plurimum hypostaticè sumitur, specialior responsio flagitari videtur.

CVII. Dico ergò. 1. Dici in textibus istis, *unum esse Deum*. Rectè, qui scilicet falsis diis opponitur. Falsos Deos isti textus excludunt, nequaquam verò determinant, an plures sint in hac *Unitate* personæ. 2. Agitur istis locis de Deo Patre exclusivè & oppositè ad alios Deos, non de Patre oppositè ad Filium, & Spiritum sanctum. Imò verò additur & *unus Dominus Iesus Christus*. 3. Si per hoc, quod Pater dicitur *unus Deus*, Christus à Deitate excluditur; Ergo viceversâ per hoc, quod Christus verbis immediatè sequentibus dicitur, *Unus Dominus*, Pater excludetur à Dominio. At absurdum consequens. Ergo & antecedens. Dicuntur ergo ista de uno Deo, de uno Domino, oppositè ad Deos nuncupativos, catachresticos, peregrinos, non oppositè ad Christum, aut Spiritum sanctum. 1. *Cor.* 8. 6. Christo tribuitur id, quod *Eph.* 4. 6. Patri assertum it Apostolus, *per quem omnia*. Quorum autem eædem operationes, eorum eadem natura. 5. Ista dicuntur oppositè ad *dictos* Deos. At Christum tantummodo *dictum* Deum esse, nemo Socinianorum rotundo ore profiteri audebit. Quia verus Deus dicitur. 1. *Johan.* 5. 20. Christus ergo his dictis non excluditur. 6. Denique vox Patris his locis, non personam denotat, sed essentiam, adeoque essencialiter sumitur. *Deus Pater ex quo omnia & nos ad ipsum*. Nec præcisè persona Patris significatur, sed essentia Patri, Filio, Spiritui S. communis, falsis, fictis dictis Diis opposita, connotatur.

Quæst. 25. *Communiter tamen in Christianismo creditur, non tantùm Patrem, sed etiam Filium & Spiritum S. personas esse in eadem divina essentia?*

Resp. *Equidem verum esse, ita credi; sed errant in eo, atque abutuntur eâ fini quibusdam demonstrationibus, ex Sacra scriptura depromptis, quas dextrè non intelligunt.*

CVIII. Hâc quæstione author per modum Occupationis viam sibi sternit ad amolienda argumenta, quibus Orthodoxi Trinitatem personarum, in unitate essentiæ probare solent: ac inter præcipua primum proponit

Quæst. 26. *Quæ sunt illæ demonstrationes, quibus id*

id evictum eunt?

Resp. *Præcipua hæ sunt. Prima, dum dicunt, Scripturam sacram non tantùm Patrem, sed etiam Filium & Spiritum sanctum Dei nomine apellare: & quia eadem scriptura ostendit, unum tantùm esse Deum, hinc concludunt, hos tres esse unicum illum Deum.*

CIX. Agnoscimus argumentum. Nostrum est. Achilleum planè. Quantumvis enim Sociniani dogma Trinitatis non tantùm scopticè, sed & blasphemè traducant, ut Schmalcius in confut. thesium Frantzii illud nuncupet, *Crassum, otiosum ædificium, absurdissimam simul & falsissimam opinionem, aliis nugis similem.* Et mox: *Futura est existimatio de Trinitatis dogmate, qualis est hodiè inter Euangelicos de Missa Pontificia de purgatorio & aliis hujusmodi nugis. Unum hac omnia autorem habent scilicet Antichristum.* Et Johannes Sommerus lib. 1. *adulterinum Trinitatis commentum meras speculationes, nugas Platonicas.* Schimbergius in Refut. Carolini. *Manifestum* est, inquit, *Trinitatem & divinitatem Filii, non esse articulos fidei veros, quia sunt impossibilia mentis.* Ideo in rei veritate *sunt blasphema dogmata, & horrenda, eximo orco, per Filium perditionis, virtute Sathanæ, Ecclesiis gentium obtrusa, ut Deus se vindicaret ab omnibus iis, qui amorem veritatis non habuerunt.* Et mox: *Deus trinus est idolum illud Antichristi*, de quo 2. Thess. 2.

CX. Attamen quia non ratio, sed scriptura nobis in eo dux est, tale argumenrum pro Trinitate personarũ in unitate essentiæ ex scriptura formare solemus. Si tres sint, Pater scilicet, Filius & Spiritus sanctus, quibus veri Dei nomen, proprietates, operationes, cultus, tribuantur, & tamen nonnisi unum essentiâ Deum scriptura deprædicet ubique; sequitur, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, tres esse in unica Dei essentia personas. Alioqui enim impossibilis est, scripturarum de Uno Deo, loquẽtium, tribus tamen nomina solius veri Dei, proprietates, operationes, cultum tribuentium, conciliatio. Et licet Orthodoxos ignorantiæ postulet autor, eum tamen, in depravandis detorquendis scripturis perquam audacem, cum suis, talpâ cæciorem esse, ostendere pergimus. Quam triviliater se gerat in respondendo ad argumenta orthodoxe liquet à

Quæſt. 27. *Quomodo hæc demonſtratio ſolvenda?*

Reſp. *Primò tibi ratione Filii, tùm ratione Spiritus ſancti reſpondebo.*

Quæſt. 28. *Quid ergo reſpondes quoad Filium?*

Reſp. *Voculam,* Deus, *præcipuè duplicem in Sacra ſcriptura habere ſignificationem.* Prima *eſt, cum ſignificat eum, qui tum in cœlo, tum in terra, ita ſuper alios dominatur ac poteſtatem habet; omniumque rerum creator & principium eſt, ut neminem ſuperiorem, neminem præ ſe habeat, & à nullo alio dependeat.* Altera *ſignificatio eſt, cum ſignificat illum, qui ſublimem potentiam, ſive poteſtatem ab illo uno Deo habet, vel alias, aliquà aliâ ratione divinitatis, illius unicis Dei, eſt particeps. Nam ideo, unicus ille Deus, id eſt, Iehoua,* Deus Deorum *dicitur. Filius autem Dei, hàc ſecundà acceptione, in quibuſdam locis ſcripturæ, Deus nuncupatur.*

CXI. Extra omnem dubitationis aleam eſt, vocem Dei tum *propriè*, tum *impropriè* uſurpari in ſcriptura, eamque primariò ſoli Deo eſſe propriam, & ſupremum jus ac Dominum ejus, ſuper omnia, aſſerere. Secundariò verò & *metaphoricè* eam quoque attribui Angelis, Magiſtratui, *Catachreſticè* & *abuſivè*, Idolis, Diabolo & ipſi ventri humano. Sed quod ait Filium Dei ſecundâ ſignificatione ſcilicet metaphoricâ Deum eſſe, inficiamur, nec id ipſum nobis perſuadet, quantumvis conetur.

Quæſt. 29. *Quâ ratione probas Filium Dei hâc ſecundâ ſignificatione Deum nuncupari.*

Reſp. *Id probatur ex verbis ipſius Filii Dei* Ioh. 10. 36. *ubi inquit:* Si eos Deos appellavit, ad quos ſermo Dei,

factus

factus est, & non potest solvi scriptura. Quem Pater Sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum. *His verbis Christus Dominus clarissimè ostendit, nomen* Dei, *in Scriptura sacra, etiam iis appropriari, qui uno illo Deo, multò inferiores sunt. Ac præterea, quod nullam aliam ob causam, seipsum Filium Dei, adeoque etiam Deum appellârit, quàm quòd à Patre Sanctificatus & in mundum missus sit. Quod eum manifestè à Patre discernit, atque eum aliâ ratione Deum esse, quàm Patrem testatur. Quoniam Pater hâc ratione neque sanctificari, neque in mundum mitti potest.*

CXII. Lineâ inductâ verba ipsius Christi Smalcius denigrare studet. (ut ipse de nobis perperam loquitur.) Dicit enim & cum eo reliqui Sociniani: Christum his verbis rationem reddere suæ Deitatis, primariam ac verissimam, ob quam scilicet Deus diceretur, eamque sibi, non aliam Deitatem vendicare, quàm eam, quæ illi à Deo, ut homini, per sanctificationem, & missionem in mundum, concessa esset. Ut Christus ex mente Adversariorum Deus sit quia, *à Patre sanctificatus missus in mundum.* At Christus his verbis, *quem Pater sanctificavit & misit in mundum*, non tam rationem formalem Deitatis suæ exprimit, quàm negat se esse blasphemum, eò quòd se dixerit *Filium Dei*, unum cum Patre, argumento ducto à comparatis, hoc modo: Si Magistratus blasphemi non sunt, ad quos sermo Dei factus est, *Psal. 82. vs. 6.* hoc est, qui dicti tantùm ac pronunciati sunt Dii per verbum Dei, ob analogicas & communicatas æquivocè proprietates; multo minus ego blasphemus sum, qui non tantùm dictus sum Deus, ac talis à Patre meo per scripturam Veteris & novi Testamenti *Esai 9 vers. 6. Math. 3. 17.* appellatus, sed etiam specialiter ad hoc à Patre meo sum sanctificatus, unctus, destinatus, segregatus, eaque fini in mundum missus, ut Mediator sim, inter Deum & homines, quod quidem officium, officio Magistratus longè est, præstantius. Ergo vel ex

ex hypothesi vestra, etsi merus ac nudus sim homo, tamen blasphemiæ frustra à vobis postulor, quippe potiori jure Deitas mihi competit, quàm Magistratui; cùm illi autem blasphemi non sint, quia eos tales dixit scriptura, quæ solvi non potest, multominus ego, qui à Patre meo & pronunciatus sum Deus, & sanctificatus ac missus ad hoc, ut sim Deus & homo, Mediator inter Deum & homines.

CXIII. Et, si libeat Adversario contendere, dabimus, Christum etiam his verbis rationem Deitatis suæ expressisse: Non blasphemus sum, quia Deus sum revera; Deus autem sum, 1. Quia *sanctificatus*. *Sanctificatus*, non quòd unquam Sanctus non fuerim, sed quòd, cum ab æterno sanctus sim, ad munus mediatorium in tempore perficiendum sim ab æterno *segregatus*. Hæc enim est frequens verbi *sanctificare* significatio. *Sanctificatus* præterea, quoad humanam naturam, ab omni labe atque macula peccâti, quo sensu Angelus dicit Luc. 1.35. *Quod nascetur ex te Sanctum.* Et in Epist. ad Heb. 7.26. *Talis enim nos decebat Pontifex*, Sanctus, *ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus. Sanctificatus* denique, quia sanctus & constitutus sum, sacrificari & offerri, in oblationem pro salute mundi. Hoc modo loquitur lex de sanctificatione: *Sanctifica mihi omne primogenitum*, Exod. 13.2. Ubi in Hebræo est קַדֶּשׁ. Et Christus: *Pro eis sanctifico me ipsum.* Joh. 17.19. Hinc: Qui ita sanctificatus est, hoc est, ad munus mediatorium segregatus, cum antequam ad munus sanctificaretur, Sanctus esset, is est verus Deus. Nam Sanctus ante sanctificationem, hoc est, ante segregationem & destinationem divinam nemo esse potest, nisi Deus. Item. Qui sanctificatus est ad hoc, ut sit sacrificium pro peccatis, eum Deum esse oportet; quia valor sacrificii atque meriti meræ creaturæ nequaquam respondere posset infinitati demeriti peccatorum. Quod enim valor meriti Christi, infiniti sit valoris, hoc non à dignitate naturæ humanæ habet, sed ab excellentia divinæ, quæ infinita est. Adeoque sacrificio, in quod humana oblata est natura, infinitatem meriti, conciliat divina.

CXIV. 2. *Missus in mundum.* Hoc mittere in mundum non leviter quoque premit Adversarios, æternam Deitatem Christi Patri coessentialem negantes. Etenim de nemine dici potest, quod mittatur ab alio, nisi prius sit apud eum, qui ipsum mittit, antequam ab eo mittatur. Cum ergo dicat, se, in cujus persona divina & humana natura sunt unitæ, à Patre missum esse in mundum, vult Judæos inde colligere, quod ratione suæ divinitatis

tatis apud Patrem fuerit, antequam in mundum mitteretur. Cavillum ergo illud, quod ad ravim usque crepant adversarii. Missus inferior est mittente, eo ipso, in fumos abit. Siquidem etiam æqualis ab æquali mitti potest, ac ex communi consensu & decreto sese submittere, & inferius officium exequi; quæ tamen *missio & obedientia*, *non tollit æqualitatem essentiæ*, ut vulgata habet Theologorum regula. Petrus & Johannes missi fuerunt Hierosolymis Samariam ab aliis Apostolis, ut legitur *Act. 8. 14.* nec tamen isti inferiores fuerunt illis Apostolis, à quibus missi erant, sed existimati sunt esse columnæ *Gal. 2. v. 9.* Paulus etiam â reliquis Apostolis missus fuit ad Ecclesias *Actor. 15. 25.* Nec tamen missus mittentibus fuit inferior. *1. Cor. 15. v. 10. Amplius quàm illi omnes laboravi.* 2. Cor. 11. 23. *Ministri Christi sunt? Superior sum ego.* 2. Cor. 12. 11. *Nulla enim in re inferior fui summis Apostolis.*

CXV. Veruntamen unicum ac solum formale, ejusdem Deitatis suæ cum Patre, non exposuit Christus, illis verbis, *quem Pater sanctificavit & misit in mundum.* Præcesserunt siquidem varia Deitatis Christi non impropriè dictę argumenta quale illud est. v. 18. Duo notamus impræsentiarum. *Et ego vitam æternam do eis* v. 28. *Ego & Pater unum sumus* v. 30. Sequitur aliud v. 37. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi,* scilicet asseveranti me esse Deum. *Sin verò illa facio, etiamsi mihi non creditis, operibus tamen credite, ut cognoscatis Patrem in me esse, & me in eo.*

CXVI. Tria his dictis allegatis invicta à Christo Deitatis suæ producuntur argumenta. *Primum; Et ego vitam æternam do eis.* At vitam æternam dare nemo potest, qui Deus non sit, *Rom. 6. 23. Donum autem* DEI *est vita æterna.* Et Christus ipse *est vita æterna* 1. Joh. 5. 20. Scilicet 1. *essentialiter*, quia est æternus Deus, 2. *efficienter*, quia æternam vitam dat ratione divinæ naturæ. 3. *Meritoriè* ratione humanæ naturæ. Et nisi Christus vitam æternam ipse possedisset, nequaquam dicere potuisset, *& ego do eis vitam æternam.* Nam *quomodo quis alteri dare potest, quo ipsemet caret!* est ratiocinatio Smalcii quæst. 17. hujus Capitis.

CXVII. Secundum: *Ego & Pater unum sumus.* Non *consensu* & *voluntatè* tantùm, prout olim Arriani, & post eos Sociniani verba hæc interpretati sunt. Sed *naturâ* & *essentiâ.* Ut Augustinus rectè dixerit: *Unum sumus:* Utrumque audi, & *unum* & *sumus*, & liberaberis tàm à Scylla, quam â Cahrybdi. *Unum* te liberat ab Arrio, qui negat æternam divinitatem Christi: *Sumus* te liberat à Sabellio, qui negat distinctionem personarum in divinitate.

Pro-

Probaturus enim Christus non magis quempiam posse oves suas rapere è manibus suis, quam è manibus Patris, argumentum desumsit ab essentiæ unitate. *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* Nec enim fieri potest, ut minoris sit *potentiæ*, qui ejusdem est *natura* & *essentia*. Et quidem Christum, de unitate potentiæ loquutuum concedit Smalcius contra Smiglecium Respons. de Novis Monstris pag. 51. *Concedimus*, inquit, *verba Christi, de unitate potentiæ accipi posse.* At: Si Christus unum est cum Patre *potentiâ*, unum quoque est *essentiâ* & *naturâ*. Quia essentia & potentia Dei in Deo non differunt. 2. Deus potentiam suam, quia infinita est, finitæ creaturæ, infinitæ potentiæ minus capaci, communicare nequit. Cum autem humana Christi natura finitæ sit essentiæ, potentiæ infinitæ non est capax. Adeoque relinquitur, Christum loquutum de potentia tali, quæ infinitæ possit communicari personæ, qualis est natura Christi Divina.

CXVIII. Et verò quænam fuisset illa demonstratio, Oves Christi non magis posse eripi èmanibus Christi, quàm Patris in illis verbis, *Ego & Pater unum sumus*; Ergo nemo poterit rapere oves meas, è manibus meis, quod si hîc Christus unitatem *voluntatis* ac *consensus* tantùm cum Patre innuat? Nemo rapiet quia idem volo, quod Pater vult. At Pater ita vult, ut etiam possit potentiâ sua conantium conatus eripiendi irritos reddere. Quid si hîc quispiam Christo responsaret: *Velle equidem tibi adest Christe, sed ut quod bonum est efficias, non assequeris. Rom. 7. 18.* Enervatur argumentum summæ consolationis, quod alioqui pro perseverantia suâ in gratia electionis, fidelis, ex hac Christi argumentatione, promere posset. Pro eo enim, quod ex orthodoxa verborum Christi interpretatione se solari potest, de fidei suæ perseverantia, & salutis certitudine, ducto argumento, ab unitate potentiæ Christi cum Patre, quæ unitatem essentiæ præsupponit, dubius relinquetur, an Christus id, quod vult cum Patre, ipsemet præstare possit; an tanta ejus sit potentia, quanta est voluntatis propensio.

CXIX. Ergo Unitatem essentiæ suæ, cum Patre Christus innuit, dicens: *Ego & Pater unum sumus.* Unum enim propriè est, quod indivisum est in essentia; adeo ut unum propriè dici nequeant, nisi qui indivisam obtinent essentiam. Aliter autem quàm propriè verba accipi, nec textus jubet, nec alioquin imperat necessitas. Et Judæi verba Christi de unitate essentiæ intelligebant. Ideo enim irâ excanduerunt, quoniam senserunt, non posse dici, *Ego & Pater unum sumus*, nisi ubi

ubi Patris & Filii æqualitas esset.

CXIX. Nec enim postulassent Christum blasphemiæ, nisi Deum *naturâ* sese professum sensissent. Unde inquiunt *homo es, & Deum te facis*. Opponentes ita *humanam naturã*, quam conspicabantur, *divina natura*, quam Christus profitebatur. Scilicet quia rationi impossibile videbatur, *hominem verum esse*, & tamen *naturâ Deum*. Christus verò tantùm abest, ut nunc inficietur, quòd se professus sit naturâ verùm Deum, ut argumentis etiam confirmet, quòd non tantùm verè sese *dixerit* Deum, à minori ad majus. vers. 34. 35. 36. Sed & quòd verum Deum sese *reapse demonstrârit*, qui in Patre & in quo Pater operibus verè divinis, versib. 37. 38.

CXX. Ex quibus, priusquam veram Deitatem Christi adstruamus, ecquid contra Orthodoxam, hanc fidei & textui analogam interpretationem, pro suâ heterodoxa adferant Adversarii, videamus. Sic autem illi: Quomodo fideles sunt unum inter se & cum Christo, ita etiam Pater & Christus unum sunt. At fideles unum sunt inter se & cum Christo voluntate tantùm non essentiâ. Ergo talis etiam est unitas Patris cum Christo. Majori eorum favere videntur ipsiusmet Christi verba Johan. 17. 11. *Pater Sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum prout & nos.* Et v. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Et v. 22. Sed negatur Minor. Fideles scilicet cum Christo unum esse voluntate tantùm. Sunt quippe unum etiam naturâ humanâ, quam habent communem. Heb. 2. 14. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis; ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem:* Et v. 16. 17. *Semen Abrahæ assumsit, unde debuit fratribus per omnia similis fieri.* Hinc in confessione fidei edita in Synodo Chalcedonensi dicitur: *Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, coëssentialis Patri secundùm divinitatem, & coessentialis nobis secundùm humanitatem.*

CXXI. Quod replicant Adversarii, *Christum non orare ut fideles unum sint essentiâ, sed voluntate, Ergo etiam Pater & Filius unum tantùm sunt voluntate*, frivolum est. Replicatio enim ista fallit, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Christus rogat ut fideles unum sint voluntate. Ergo unum sunt tantùm voluntate. Etsi enim Christus oret, ut fideles sint unum, hoc est, concordes voluntatibus, sicut ipse & Pater unum sunt; hinc tamen non sequitur nullam esse aliam conjunctionem & unitatem inter fideles, præter eam quæ est consensus ac voluntatis. Sunt enim præter unitatem *moralem* animorum, voluntatum, consensus, amicitiæ, of-

ficiorum, beneficiorum, &c. omnes homines unum. 1. *Naturaliter*, participantes ex æquo de eadem natura humana 2. *Corporaliter.* Qui *unum* fiunt conjugio: *& erunt duo in carnem* UNAM. *Gen. 2. 24.* 3. *Spiritualiter* ac supernaturaliter unum sunt cum Christo, per Spiritum S. & fidem, facti unum corpus mysticum, cujus Christus caput est, & per Christum unum fiunt cum Patre, ab ipso in Christo adoptati in Filios.

CXXII. Quemadmodum ergo unitas consensus & voluntatis, quam Christus precibus suis fidelibus impetratum ivit, non tollit unitatem in reliquis, quos recensuimus unitatis modis. Sic hic, posito, non concesso, Christum his verbis *Ego & Pater unum sumus*, unitatem consensus innuere, eo ipso, unitas essentiæ non tolleretur. Sunt enim hæc compatibilia. Imò voluntatis nullus est effectus, nisi potentia illi sit conjuncta. Adeoque & hâc Adversariorum glossa super his Christi verbis admissa, adhuc eos tenemus constrictos. Qui enim unum est voluntate *identicâ* cum Patre, (identicâ voluntate dico, quia Christum non loqui de voluntate Dei scripta, à textus circumstantia certum est.) idem est unum potentia cum eo; quia voluntas & potentia in Deo non differunt. Ac proinde qui unum est cum Patre potentia, unum est essentia. Et sic verba Christi *Ego & Pater unum sumus*, si non πρώτως & immediatè, saltem δευτέρως & consequenter unitatem essentiæ Filii Dei cum Patre important. Quanquam unitatem essentiæ præprimis à Christo indigitari, ab argumentis superius allatis persuasi simus.

CXXIII. Tertium Deitatis suę independentis Argumentum, sensu primæ significationis vocis *Dei*, verba Christi *Ego & Pater unum sumus* versu 37. 38. sequitur. Quo Christus identitatem naturæ ab identitate operum cum operibus Patris, Consequentiâ planè necessariâ infert. Quia eadem numero & specie opera nonnisi ab eadem specie proficisci possunt potentia. Identitas autem Potentiæ, identitatem essentiæ seu naturę præsupponit. Ad id, quod in contrarium adfertur ab Adversariis ex Joh. 5. 19. *Filius non potest à se facere quicquam, nisi viderit Patrem operantem*, ac proinde non esse ejusdem cum Patre potentiæ, & sic nec essentiæ, *Respondemus:* Illud non posse operari Filii, non proficisci ex *defectu potentiæ*, sed ex *indissolubilitate naturæ* ejusdem, atque ex ordine operandi, qui est inter Patrem & Filium perpetuo. Alioqui se æquali cum Patre gaudere potentia in operando ipsemet profitetur, versu eodem, *quæcunque enim ille facit, etiam Filius pariter facit.*

CXXIV. Hactenus ergo non obtinuit Adversarius quod voluit, nempe,

nempe, Christum ob nullam aliam causam Deum se asseruisse, nisi quod *à Patre Sanctificatus, & in mundum missus sit.* Prægnantiores causas, à datione vitæ æternæ, ab unitate essentiæ & voluntatis cum Patre, ab operationum identitate ex antecedentibus & consequentibus istorum verborum produximus. Vindicias loci istius Responsio *Polani* non minus perspicua, quàm solida, *Syntagm. Theol. lib. 3. cap. 10.* ad hunc locum claudet. Sic autem ille: Non enim Christus se pro Deo haberi vult, ut Magistratus Politici Dii nuncupantur *Psal. 82.* Nam non argumentatur à pari, sed â minori ad majus hoc sensu: Si non committitur blasphemia, cum Magistratus Politici nuncupantur Dii. Multò minus ego blasphemus sum, quod me dixi filium esse Dei. Ac rationem hanc addit, *quia Pater me sanctificavit & misit in mundum*, id est, Ego is sum quem solum Pater constituit Christum illum ac mediatorem, & caput Ecclesiæ, qui non tantùm omnibus Spiritus sancti donis perfectissimè ornatus sum, sed ipsa plenitudo Deitatis in me habitat, sic ut omnes electos advitam æternam, â me sanctificari oporteat. Ego is sum, qui apud Patrem ab æterno eram, & missus sum ab eo, ut assumpta carne, genus humanum, â peccato & morte æterna, & tyrannide Diaboli redimerem. Qua propter verissimè & absque blasphemiâ profiteor, me proprium & omnipotentem Filium Dei, verumque naturâ Deum, ac Patri æqualem esse.

CXXV. Formali ratione, ob quam Christus nuncupatur Deus, dictatâ, quia à *Patre sanctificatus & in mundum missus*, Sic rationari pergit Smalcius. *Quod eum manifestè à Patre distinguit, eumque alio modo, quam Patrem, Deum esse ostendit. Quoniam Pater hoc modo nec sanctificari, nec in mundum mitti potest.* Sed rationatio isthæc rationis ratiocinantis tantùm est, quæ cum in divinis cæca planè sit, quid mirum, si entia rationis tam enormia creet? Hâc scilicet missione & sanctificatione Pater à Filio distinguitur. Ergo alio modo Deus; quia Pater non potest mitti, sanctificari. Plus est in conclusione quam est in præmissis. Hoc enim tantùm sequitur: Ergo Filius est alius à Patre; quia hâc personali proprietate à Patre distinguitur, quæ non est necesse ut de Patre prædicetur. Quia personalis est. Quantumvis enim omnia quæ sunt essentiæ divinæ, de singulis rectè prædicentur & verificentur personis; non tamen quicquid unius personæ est proprium, identicè de altera prædicatur. Quemadmodum ergo non sequitur; De Filio non potest dici, quod gignat Filium, quod de Patre dicitur; Ergo Pater non

non est Deus essentiâ, sed hoc tantùm sequitur: Ergo Pater non est Filius; ita hîc: De Patre non potest prædicari, quod sit sanctificatus, quod sit missus in mundum. Ergo Filius est alius essentiâ à Patre Deus: Hoc enim tantùm sequitur: Ergo Filius est alius à Patre, personâ scilicet quod quia pro nobis est, facilè damus.

Quæst. 30. *Iam quomodo respondes de Spiritu sancto?*

Resp. *Hoc modo: Quòd Spiritus sanctus nuspiam in Sacra scriptura per expressum Deus appelletur. Quòd verò illi quibusdam locis, ea, quæ Deum propriè concernunt, adscribuntur, ejus causa non est, ac si persona esset in illa Deitate; sed alia, quâ de suo audies loco.*

CXXVI. Impudentissima est Smalcii contestatio, quâ Spiritum sanctum uspiam in codice sacro Dei nomine insigniri negat. Is enim qui in Prophetis est loquutus, nomine *Jehova*, quod solius Dei proprium est, appellatur. At Spiritus sanctus loquutus est in Prophetis. Ergo Spiritus S. dicitur Deus. Major probatur Num. 14. 35. *Ego Jehova loquutus sum.* Luc. 1. 70. *Prout loquutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum*, scilicet Dominus Deus Israëlis de quo ℣. 68. Minor habetur 2. Sam. 23. 2. *Spiritus Iehova loquutus est in me*, quis autem ille spiritus sit porro explicatur in Casu recto, ℣. 3. *Dixit Deus Israelis, mihi loquuta est rupes Israelis, qui Dominatur hominibus.* Confer etiam *Esai. 6. vers. 9.* cum *Actor. 28. vers. 25. 26.*

CXXVII. Expressè præterea Spiritus sanctus Deus nuncupatur Act. 5. 34. *Anania cur implevit Sathanas cor tuum ut mentireris Spiritui sancto* &c. *Non mentitus es hominibus, sed Deo.* Inficiantur equidem Adversarii, & eorum nomine *Iohannes Didellus Anglus*, (quem solidè refutavit Cl. Collega noster *D. Cloppenburgius*) isthoc loco spiritum S. neque expressè, neque per bonam consequentiam Deum nominari. Sed res clarior est quam ut negari possit, idque ex immediata Dei & hominum oppositione. Ita enim Petrus οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ. Ananias igitur nulli alii rei, nisi vel Deo, vel hominibus mentiri potuit; alioqui Apostolica oppositio immediata non esset. Atqui expressè negat Petrus, Ananiam vel sibi vel suis collegis tanquam ho-

hominibus solùm mentitum esse, sed & sibi & Deo, cui Deo? Spiritui sancto. Exclusis itaque omnibus, quibus mentiri poterat Ananias præter solum Deum & homines, cum nihilominus spiritui S. mentititus dicatur, sequitur Spiritum sanctum hoc loco dici Deum.

CXXVIII. At, *Excipiunt* Adversarii Spiritum sanctum hoc loco non dici Deum; sed per Metonymiam adjuncti denotati homines Spiritu sancto plenos. Quibus equidem quis mentiri possit, ita ut nec illi quibus quis mentitur, neq; spiritus, qui est in ipsis, sint Deus. Cujus metonymiæ *primò* petimus enstasin, eam producant Adversarii, quâ homines, qui habent Spiritum sanctum, in casu recto, extra complexionem dicantur totidem verbis *Spiritus sanctus*. *Secundò:* Hâc hypothesi Adversariorum de metonymia præsuppositâ, non dicendum fuisset Petro, mentitus es *Spiritui sancto* in singulari sed *Spiritibus sanctis* in plurali, quia de Collegio Apostolorum loquitur Apostolus, in quo plures erant cum Petro. *Tertiò*, respuit hanc glossam immediata Dei & hominum, in verbis Petri, oppositio, qualis & illa est, *Marc.* 13.11. *Non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus sanctus.* Ut hâc loquendi formula non negat Apostolus sibi quoque & suis mentitum esse Ananiam, sed non solùm sibi cum suis, verum etiam præter quàm sibi, Spiritui sancto, modo loquendi scripturæ elliptico, verbi gratia *1. Sam. 8.7. Non te spreverunt solùm, sed etiam me*, hoc est, non tantùm te, sed etiam me; vel non tàm te, quam me spreverunt. Sic ergo & hîc. Non mentitus es hominibus, sed Deo, hoc est, non tantùm nobis hominibus mentitus es, sed etiam Deo; vel, non tàm nobis quàm Spirit. S. mentitus es, qui est Deus. *Quartò*. Ex hypothesi Adversariorum, si Petrus per Spiritum sanctum metonymicè intellexit ✝ſ. 3. Apostolos Spiritu sancto præditos, dicendum fuisset Apostolo, eadem metonymiâ ✝ſ. 4. *non mentitus es Spiritui sancto, sed Deo.*

CXXIX. *Denique*, posito, non concesso, esse ✝ſ. 3. eam quam volunt Adversarii Adjuncti metonymiam, Apostoli hoc loco considerandi sunt ut Ministri, ut legati Dei, quorum personas per adversativam, *sed*, Deo immediatè opponit Petrus. Adhuc stringit argumentum. Nam cum Petrus dicit: *Cur implevit Sathanas, cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto.* Aut personas Spiritu sancto præditas Apostolorum intellexit in concreto; aut donum illud Spiritus sancti, quo pollebant Apostoli in abstracto, & in sensu, ut ita loquar, diviso, ut accidens aliquod absolutè consideratum; aut Spiritus sancti personam in Apostolis efficacem. Non *primum*; Quia personæ

Spiritu sancto praeditae, per vocem *hominibus* versu quarto, Deo contra distinguuntur. Non *secundum*. Quia, ut nemo unquam mentitur alicui accidenti abstractè sine subjecto rationali considerato; ita modus iste loquendi; quo non ens tale innuitur planè insolens est, & inusitatus imò nullus: verba enim rem sequuntur, sicut umbra corpus. Ergo *Tertium* relinquitur, nimirum per Spiritum sanctum vs. 3. intelligi tertiam in unitate essentiae Divinae personam.

CXXX. Secundam *exceptionem* Adversarii quaerunt in constructione grammatica textus graeci. Dicunt, aliam esse verbi ψεύδεσθαι significationem si cum Accusativo casu construatur, aliam si cum Dativo. Cum enim construitur, inquiunt, cum Accusativo, idem significat, quod προσποιέισθαι simulare, fingere, *mentiri alicujus personam*. Cum verò cum Dativo casu constructum reperitur, *mentiri alicui* significat. Jam verò inquiunt, non casu Dativo usus est Petrus versu tertio, sed Accusativo ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Mentitus es Spiritum sanctum*. Ut sensus sit, prae te tulisti ac si Spiritum sanctum haberes, simulasti te habere, ejusque motu te impulsum ad hoc scilicet & pietatis, & charitatis opus; adeoque etiam illa v. 4. οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. *Non mentitus es hominibus, sed Deo*, non posse de persona Spiritus sancti intelligi.

CXXXI. Sed effugio hoc non effugiunt. Res eodem redit sive cum Accusativo, sive cum Dativo verbum *mentiendi* construas. Si cum Accusativo, ut sensus sit, mentitus es, simulasti Spiritum S. periphrasis tamen verborum Petri versu 4. *Non mentitus es Deo, sed hominibus*, haec erit: *Non personam hominis mentitus es, sed ipsius Dei*. Quod confirmatur ex v. 9. ejusdem capitis ubi τὸ ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, explicatur, per πειράσαι τὸ πνεῦμα κυρίου. Postquam enim v. 3. Ananiam accusasset, quod mentitus fuerit Spiritum sanctum, ejusdem criminis ream postulat Uxorem ipsius, dicens: *cur convenit inter vos ut tentaretis Spiritum Domini*. At quem tentarant, eidem etiam mentitus erat Ananias. At non homines Spiritu sancto praeditos tentarant; hi enim Deo contradistinguuntur; Ergo Spiritum sanctum tertiam in unica Dei essentia personam, quae hoc loco Deus appellatur.

CXXXII. Deus etiam nuncupatur Spiritus sanctus. *1. Cor. 3. 16. 17. An nescitis vos templum Dei esse, & Spiritum Dei habitare in vobis? Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus: nam templum Dei sanctum est quod estis vos*. Et 1. Cor. 6. 19. *An ignoratis corpus vestrum templum esse Spiritus sancti, qui est in vobis?* Ex his

his locis duplex est pro Deitate Spiritus sancti argumentum. 1. Qui est & habitat in omnibus fidelibus per totum mundum quaque versùm dispersis, is immensus, & quia immensus, Deus est. At Spiritus. S. Ergo. Majoris ratio evidens est. Quia immensitas solius Dei proprium est incommunicabile. Minor è textu liquet. Etsi enim verba Apostoli quoad *inscriptionem* Corinthios spectabant, attamen quoad *usum communem* toti Catholicæ Ecclesiæ applicari debent.

CXXXIII. 2. Cujus templum sumus, is est Deus. At Spiritus sancti templum sumus. Ergo. Major verissima. Quia, si illum credimus Deum esse cui templum ædificamus, multo magis eum Deum esse credimus cujus templum sumus. Antecedentis ratio est. Quia cui templum extruimus, illi cultum divinum exhibemus; templa enim cultus gratiâ exstruuntur. Atqui cultus divinus non debetur nisi soli Deo *Math. 4. 10.* Hinc & ipsi Sociniani nobiscum Pontificios idololatriæ accusant, quòd sanctis templa ædificent. Consequentiæ ratio est. Quia magis est esse actu, quam destinari. Jam autem, non tantùm destinati sunt fideles, nec corpora eorum eo fine exstructa sunt, ut sint templum honori ipsius dicatum, sed etiam sunt actu templa honori, cultui, usui Spiritus sancti dicata; Ergo Spiritus S. est Deus, & his locis Deus dicitur.

CXXXIV. Iterum rimas, quibus elabantur, sed frustra quærunt, dicentes: 1. Non sequi Spiritum sanctum esse Deum, tametsi dicamur templa ejus, tametsi habitet in nobis. Imo verò sequitur. Quia, ut dictum in omnibus fidelibus per universum mundum dispersis habitat, quod solius Dei est: Nec habitat quocunque & quovis modo, sed habitat, ut Deus, ut Dominus, cujus honori templa ista universa & singula sunt dicata; Ergo per consequentiam necessariam infertur, Spiritum S. esse Deum. 2. Ajunt: Non agi his locis de Spiritus sancti persona sed Patris; quia Pater & *Spiritus* dicitur *Ioh. 4. 24.* & *Sanctus Ioh. 17. 11.* Affectatæ hæ sunt ineptiæ. Fallaciam Compositionis & divisionis quis hîc non videt? Verum est, Patrem esse & *Spiritum*, & *Sanctum*; sed nuspiam scriptura Patrem vocat conjunctim *Spiritum sanctum*: Quod indicio est, hâc nomenclaturâ studiò uti scripturam, ad discernendam à reliquis personis in essentia divina Spiritus sancti personam.

Quæst. 31. *Quæ est secunda demonstratio, quâ has personas*

personas in unica Deitate demonstrare annituntur?

Resp. *Secundam demonstrationem ex iis accipiunt locis, in quibus Patris, Filii & Spiritus sancti simul fit mentio.*

CXXXV. Non hic est medius terminus syllogismi, quo pluralitem personarum in una & simplici essentia Dei adstruimus. Qui simul ponuntur, ac eodem scripturæ tmemate, periodo eadem collocantur, illi sunt unus & æternus Deus. Falsitas enim istius Majoris palpabilis esset. Sed. Quorum simul fit mentio, ut eodem ordine, eodem dignitatis gradu, collocantur: de quibus eadem eodem modo prædicantur, illi sunt unus & æternus Deus. Minore hoc sensu subsumta, evasioni Adversariorum locus nullus est. Ita ut hic simplicioribus persuadere conatus sit, Orthodoxos ita stupidos esse, qui ex nuda illa ac simplici *simultanea* Patris, Filii & Spiritus S. in eodem scripturæ loco, positione, trinitatem personarum in essentiæ divinæ unitate, asserunt. Sed, aliud à proxima locorum ipsorum inspectione, liquebit.

Quæst. 32. *Quænam sunt illa loca?*

Resp. Primus *est, quo Dominus Iesus mandat baptizare in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti.* Math. 28. v. 19. Alter 1. *Cor.* 12. 4. 5. 6. Distinctiones donorum sunt, sed idem *(est)* Spiritus: & distinctiones ministeriorum, sed idem *(est)* Dominus: Et distinctiones actionum sunt, sed idem *(est)* Deus, agens omnia in omnibus. *Et paulo post* vers. 11. *inquit* sed omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa sicut vult. Tertius *locus est* 1. *Ioh.* 5. 7. Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.

CXXXVI. Ita est, hæc sunt scripturæ loca ex quibus pluralitatem personarum adstruere nobis solenne est. Ex *primo* hoc modo:

In cujus nomen baptizamur, hoc est, ad cujus honorem, cultum, fidem, obedientiam, æqualiter, cum Patre per baptismum obligamur, is est unus & verus cum Patre Deus. Atqui per baptismum ad honorem, cultum, fidem, obedientiam, Filio & Spiritui sancto æqualiter obligamur. Ergo, Filius & Spiritus sanctus sunt unus cum Patre Deus. Ex *secundo*: Qui distinctiones donorum ministeriorum, operationum, pro lubitu suo, ut Deus & Dominus distribuit, is est unus cum Patre Deus. Atqui Spiritus S. distinctiones donorum, ministeriorum, operationum, pro lubitu, ut Deus & Dominus distribuit. Ergo Spiritus S. est unus cum Patre Deus. Ex *tertio* pariter. Ubi tres producuntur qui *in cœlis* testificantur, Pater, Sermo, & Spiritus, deque iis prædicatur, quod unum sint, ibi Deus unus essentiâ, trinus personis innuitur. Atqui hoc loco tres producuntur, qui *in cœlis* testificantur Pater, Sermo & Spiritus, deque iis prædicatur, quod unum sint. Ergo hoc loco, Deus essentiâ unus, trinus verò personis innuitur. Sed ait ille:

Quæst. 33. *Quid mihi his de locis judicandum?*

Resp. *Hoc in genere repono, hæc loca hoc tantùm probare Patrem, Filium & Spiritum S.* esse: *quod nos non solùm fatemur, sed etiam constanter asseveramus, ut, qui hoc non credat, Christianus esse nequeat. Verùm, non probant, de quo nobis controversia intercedit, nimirum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, tres esse personas, in una Dei essentia.*

CXXXVII. Ignorationem scilicet Elenchi Orthodoxis impingit in allegatione harum scripturarum, qui ex hoc malo ipsemet perpetuò laborat. Videamus an hoc tantùm probent loca ista, Filium, Spiritum sanctum *esse*; non verò simul Filium & Spiritum sanctum, esse in unitate essentiæ, præter Patrem, personas. Resumamus argumenta. *Primum*, tale erit: Quo loco Filio & Spiritui sancto æqualis cum Patre honor, fides, obedientia adstruitur, eo loco non tantùm probatur Filius & Spiritus *esse*, sed etiam probatur *esse* personale eorundem, Deitatis ejusdem, ac proinde unus idemque cum Patre, non *personâ*, sed *essentiâ* Deus. Atqui *Math. 28. 19.* Filio & Spiritui S.

æqualis cum Patre cultus, fides, obedientia asseritur. Ergo hoc loco non tantùm Filii & spiritus S. esse, sed etiam personalitas eorundem in eadem cum Patre essentia probatur. Major extra controversiam est. Quia æqualis cultus, fides, obedientia, æqualitatē, ut essentiæ, ita personarum infert. Cultus enim divinus æqualis, non nisi qui Deo Patri æqualis est, deferri potest. Minor in textu est. Conclusionem ergo Adversarius, si ita libet, neget & risum trivialibus debebit.

CXXXVIII. *Secundum.* Quo loco distinctionis donorum, ministeriorum, operationum distributio, Spiritui sancto, eaque ad arbitrium ejus vindicatur, eo loco Spiritus S. non tantùm *esse*, sed etiam *personale esse* probatur. Atqui hoc loco Spiritui sancto distinctio donorum, ministeriorum ad arbitrium ejus vindicatur. Ergo hoc loco non tantum *esse* ejus simpliciter, sed etiam *esse personale* probatur. Majori iterum contradici nequit. Quippe distribuere dona Spiritualia pro arbitrio, *sicut vult*, hoc est pro arbitrio, prout ea vel magis vel minus conducere videt, id non tantùm esse accidentis alicujus, sed substantiæ intelligentis, sed personæ divinæ est argumentum. Minor è collatione textus radiat. Conclusio ergo invictæ est veritatis.

CXXXIX. *Tertium.* Ubi trium est mentio, quibus eadem tribuitur operatio intellectualis, ibi trium istorum non tantum *esse* sed & *personale esse* probatur. Atqui hîc trium est mentio, quibus eadem tribuitur intellectualis operatio. Ergo non tantum *esse* eorum simpliciter sed & personale esse probatur. Atq; ex his argumentationibus liquet, planè falsum esse id quod Smalcius confidenter satis asserit, hæc loca quidem probare, Filium & *Spiritum S. esse*; sed non probare id, de quo est controversia nimirum Patrem Filium & Spiritum S. *esse tres personas*, in una Dei essentia. Quod si enim Filio & Spiritui sancto ex cultu, obsequio, fide, operationibus adseratur divina personalitas, eâdem operâ eorum cum Patre adstruetur unitas. Quia unus tantùm est essentiâ Deus. Sed age quid ad loca allegata excipiat Adversarius, & quomodo ictum argumentorum ex iis formatorum declinare satagat, attendamus.

Quæst. 34. *Attamen videtur, ex eo, quoniam hi tres his locis in rebus divinis coordinantur, tres personas in una Deitate posse demonstrari?*

Resp.

Resp. *Nullo pacto. Quod enim primum attinet locum, quantumvis in baptismo Pater, Filius & Spiritus S. coordinentur, ex eo tamen non potest inferri, Patrem, Filium & Spiritum sanctum tres in una Deitate esse personas. Nam hoc in S. scriptura novum non est, in talibus rebus, quæ non minus sunt divinæ, quam baptismus, tales personas & res Deo adjungi, quæ nullo modo ad essentiam ejus pertinent. Quemadmodum ejus rei exemplum habes primò de personis* 1.Reg.12.20. Timuit populus valde Iehovã & Samuelem. *Et apud Mosen;* Exod. 14.31. *Ubi juxta veritatem hebraicam legitur:* Timuerunt populus ipse Iehovam, crediderúntque in Iehova & in Mose servo ejus. *Deinde de rebus, quæ Deo in rebus divinis etiam adjunguntur, legimus* Act.20.32. Commendo vos Deo & sermoni gratiæ ipsius. *& Eph.* 6.10. Corroboremini in Domino & robore virium ipsius.

CXL. Paulò ante dictum est, medium terminum quo æqualem Patris Filii & Spiritus S. Deitatem probamus, non simpliciter in eo situm esse, quod Pater filius & Spiritus S. juxta se ponantur. Sed quod ita juxta se ponantur, ut illâ juxtapositione ad parem & æqualem Patri, Filio & Spiritui S. cultum, obedientiam, fidem præstandam homines obligentur. Quo præsupposito, nullus est in allegatione locorum, quæ enstaseos loco producit, ut probet, ex conjunctione Patris Filii & Spiritus S. non posse inferri eorundem in Deitate æqualitatem, cum & aliæ personæ & res Deo conjungantur, quorum tamen Deitas exinde non potest evinci.

CXLI. Optimè. Quia scilicet non pari dignitatis gradu collocantur cum Deo, nec istâ locatione ad æqualem cultum, fidem, obedientiam præstandam utrisque quisquam obligatur. Imò verò horum talium, etsi quandoque eodem tmemate cum Deo ponantur, inferioritas infra Deum aliunde è scriptura est manifestissima. Hinc quandoque in scriptura ea quæ Principalis sunt causæ, instrumentali etiam

adſcribuntur; annè verò hæc talis adſcriptio eodem planè eſt modo, ordine & gradu? nequaquam verò; ſed *miniſterialiter* tantùm. Quod ſi enim attributio iſta foret identica, ejuſdem ordinis, gradus & modi, gloria ſoli Deo competens, alteri daretur, contra præſcriptionem *Eſa.42.8.* Peccata remittere ſolius Dei eſt, & tamen etiam de Miniſtris Dei dicitur, quorum remiſeritis *peccata.* Quid? an per prædicationem iſtam Deus & miniſtri æquiparantur? Minimè. Diſcrimen manifeſtum eſt. Deus *authoritativè* remittit; Miniſtri *declarativè* tantùm.

CXLII. Sic res habet in locis allegatis. Diſcrimen adeo palpapile eſt, ut mirari ſubeat, quomodo toto genere diverſa loca, pro ejuſdem generis, Adverſarius obtrudere non erubuerit. Dum enim dicitur *1. Reg. 12, 20. Timuit populus Iehovam & Samuelem*, quis *timendi* vocâbulum, non alio atque alio reſpectu, ratione Jehovæ & Samuelis ſumendum animadvertit? An timor Dei & hominum ejuſdem ſunt ſpeciei? vide *Math. 10. 28. Non timete vobis ab iis, qui trucidant corpus, ſed timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere.* Eſt ergo aliquis timor etiam hominibus debitus, verbi gratia, Magiſtratibus, de quo *Rom. 13. 7. Cui timor, illi timorem.* Eſt & timor ſoli Deo debitus. *Malach. 1. 6. Si Dominus ſum, ubi timor mei?* Qui quidem timor Dei cum cultu coincidit; quod enim Eſaias *timorem* vocat, id Matthæus cultum nominat, ut ex collatione locorum liquet. *Eſtque* reverentia ſ. timor *eorum erga me, quem precepto hominum edocti ſunt.* Eſa.29. 13. *Sed fruſtra me* colunt, *docentes Doctrinam, quæ ſunt mandata hominum.* Cum ergo timor qui cultum Dei denotat, planè alius ſit ab eo, quem hominibus in dignitate tum Politica, tum Eccleſiaſtica conſtitutis deferimus, quis non videt, *1. Reg. 12. 20.* timorem Jehovæ & Samuelis expreſsè diſcriminari? etſi uterque timor, per compendium, unâ voce exprimatur. Timuit ſcilicet populus Dominum, timore, qui ut ſpecies cultus divini ſoli Deo proprius eſt. Timuit populus etiam Samuelem, eo nimirum timore, qui illi ut Prophetæ Dei, ut Judici & Magiſtratui Politico, infra Deum, debebatur. Oſtendat Adverſarius Deum velle, timeri Magiſtratum eo timore, quo ipſe timeri vult, & aliquid obtinebit. Quanquam eo ipſo anniteretur probare aliquid, quod eſt contra conteſtationem Dei, quâ ſcilicet gloriam ſuam alteri ſe non daturum profitetur *Eſa. 42. 8.* Cujus diverſi timoris, nec vola, nec veſtigium in inſtitutione baptiſmi, ubi omnes æqualiter tum ad Patris, tum Filii, tum Spiritus S. timo-

timorem initiantur. Ergo enstasis in contrarium allata, non est ejusdem generis; Cujus tamen esse debet, si quippiam eâ voluit evictum.

CXLIII. Porro & alterius loci *Exod. 14. 31.* allegatione, ut à scopo, ita à vero aberrat. Idem enim in eo, quod in præcedenti observatur discrimen. Aliud erat τὸ credere Israëlitarum, quatenus pro objecto habebat Deum, aliud quatenus in Mose terminabatur. Populus credebat in Deum, ut fiduciam in eo ponens. At non eo modo in Mosen credebat; quia fiducia non est in homine collocanda; *Jer. 17. 5.* Licet ergo utrumque credere & ratione Dei & Mosis uno tantùm *credendi* efferatur vocabulo; non tamen unius generis credere & fidem innuit; sed ratione Dei *divinam*, quæ pars est cultus Dei, ratione Mosis *historicam*, quâ illi, ut fido in domo Dei Ministro, fidem sermoni & relatis ejus adhibebant. Hinc Lxx. reddiderunt, credebant *Mosi*, pro *in Mosen*.

CXLIV. Tertio loco, quo Paulus Ecclesiam Deo & sermoni ejus custodiendam commendat, nihil evincit contra nos. Eo enim innuit, se ex animo vovere, ut per Deum & per verbum conserventur in agnita veritate, utque in ea contra varios errores, quos ferè præ-videbat præservarentur; accrementum verò fidei & pietatis indies sumerent. Jam, quis non novit, nos aliter à Deo conservari in veritate, præservari ab erroribus, promoveri ad fidei & pietatis accrementum, aliam verò esse verbi in hoc casu efficientiam & operationem? Dei scilicet immediatam, independentem, primariam; verbi verò ipsius, secundariam, dependentem & instrumentalem tantùm. Ergo & hæc enstasis heterogenea est.

CXLV. Præcedentibus similis est, quam verbis Pauli ex *Eph. 6. 10.* nobis propinat *Corboramini in Domino & robore virium ipsius.* Vult Apostolus his verbis, ut intrepidè pergant in cursu pietatis ac fidei: nec ullis tentationum terriculamentis, à recto veritatis & pietatis tramitè abripiantur. Sed unde nobis tantæ vires, animus tam imperterritus, veri bonique tenax, regerere potuissent. *In Domino* inquit, *corroboramini, & robore virtutis ejus.* q. d. à Domino erit auxilium vestrum, *robur virium ipsius*, Domini fortitudo, vestra erit. Adeo, ut his verbis *robur virium Domini*, non distinguatur à Domino, sed ipsius Dei fortitudo, notetur; dicitur enim *Deus fortis*, qui & quia fideles corroborat. Unde, hîc locus nihil quicquam roboris suppeditat Adversario ad infirmandam eam pro

quâ pugnamus veritatem; ut nec ullus præcedentium. Ostendere enim debebat, ea quæ iis Deo à latere quasi ponuntur, eodem modo & gradu capacia esse eorum, quæ his locis Deo attribuuntur. Cujus impossibilitatem, quantum satis est demonstravimus. Tres autem illi in Baptismo conjuncti, ita comparati sunt, ut non tantùm eadem collocentur serie, sed etiam ad æqualem cultum præstandum omnes in universum obligemur.

CXLVI. Expressè enim tres nominantur Pater Filius & Spiritus S. Atqui non *Dii*; quia unus tantummodo Deus. Non *propria* divina; horum enim non tria sed plura sunt. Non *creatura*; quia nulla earum, ratione Sacramenti Deo Patri æquiparari potest, aut in eodem simul ordine poni, sicuti hoc loco Pater, Filius & Spiritus S. juxta ponuntur. Ergo illi tres personæ sint necesse est, ita ut Filius & Spiritus S. æquè sint Deus uti Pater. Sic enim argumentamur. In cujus nomen Baptizamur ille est verus Deus. In Christi & Spiritus S. nomen una cum Patre baptizamur. Ergo Christus ac Spiritus S. sunt verus cum Patre Deus. Ratio Majoris hæc est. Quia in cujus nomen Baptizamur in ejus familiam hâc solenni actione recipimur, ejusdem privilegiis donamur, & ita tanquam filii adoptamur. Unde Apostolus ex eo etiam demonstrat nos esse filios Dei, quia in Christum baptizati sumus *Gal. 3. 26. 27.*

CXLVII. Deinde in cujus nomen baptizamur ad ejus quoque obsequium & cultũ tam externum quàm internum obstringimur, ita ut ejus imperio simus addicti, & ab ejusdem mandatis ac nutu pendeamus *Math. 28. 20. 1. Cor. 1. 13.* Jam verò Deus solus est, in cujus quasi familiam, hoc est Ecclesiam transferimur tanquam filii adoptivi *Eph. 1. 5.* Eidemque soli obsequium & cultum debitum exhibere tenemur *Math. 4. 10.* Hæc si conferantur cum iis, quæ supra allegatis ab Adversario locis, personis ac rebus quæ cum Deo coordinantur, attribuuntur, patebit ea non posse enstaseos loco adferri.

Quæst. 35. *Veruntamen ipsi statuunt eum oportere prorsus esse Deum, in cujus nomen baptizamur?*

Resp. *Errant vehementer. Nam legimus in scripturis,* 1. Cor. 10. 2. *Israelitas baptizatos fuisse in Mosen, & quosdam discipulos in baptisma Iohannis* Act. 19. 3. *Licet nec*

Mo-

Moses Deus sit, nec baptisma Iohannis persona, nedum Deus.

Quæst. 36. *Verum longè aliud videtur, in nomen alicujus aliud vero in aliquem baptizari?*

Resp. *Nequaquam. Etenim ex vi idiotismi hebraici, idem sæpe, in nomen alicujus facere quod in aliquem facere, significare notum est; ut ea in re ipsa cernere est. Etenim quod in quibusdam locis legitur, fuisse baptizatos in nomine Christi* Act. 2. 38. *Hoc idem legimus in aliis scriptum simpliciter, fuisse in Christum baptizatos.* Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.

CXLVIII. Pro vera & propriè dicta Deitate Filii Dei sic à formula baptismi argumentamur. In cujus nomen æque ac Patris baptizamur, eum prorsus unum cum Patre Deum esse oportet. In nomine Filii & Spiritus S. æquè ac Patris baptizamur. Ergo Filius & Spiritus sanctus prorsus unus cum Patre Deus sint oportet. Quid Adversarius? Errare nos vehementer ait, scilicet in collectione Majoris ista: In cujus nomen æquè ac Patris baptizamur, eum prorsus unum cum Patre Deum esse oportet. Sed ait tantùm. Major siquidem certissima: Et quadruplex æqualis Deitatis Filii & Spiritus sancti cum Patre in ista Majore est consequentia. Quid enim est in nomen alicujus baptizari? Est initiari in Ecclesiam sacramento eo, cujus is autor est, in cujus nomen baptizamur. Atqui Sacramenti autor, institutor præter Deum nemo esse potest. Quia ut cultum Dei instituere, ita etiam media cultus, Dei est solius. Jam verò in nomen Filii & Spiritûs sancti æquè jubemur baptizare & baptizari; Ergo hoc ipso Filius & Spiritus sanctus authores baptismi esse perhibentur, & consequenter Deus. Hæc prima est consequentiæ ratio Majoris.

CXLIX. *Altera* ex natura baptismi ac formali ejus petitur. Quid enim est baptismus? *Stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo*, vel apud Deum. *1. Pet. 3. 21.* Hinc tale argumentum: Cui per baptismum vel in baptismo stipulamur bonam conscientiam is verus Deus est, Patri æqualis. Atqui Filio & Spiritui sancto stipulamur bonam conscientiam. Ergo Filius & Spiritus sanctus sunt verus & æqualis cum Patre Deus.

CL. *Tertia* est. Qui cum Patre

trem æqualiter conferunt rem baptiſmi ſignificatam, hoc eſt, qui nos regenerant, æqualis ſunt cum Patre Deus. Quia rem baptiſmi ſignificatam nemo præter verum Deum conferre poteſt; quia nemo hominem præter Deum regenerare poteſt. *Deut. 30. 6. Ezech. 11. 19.* At Filius & Spiritus S. æqualiter rem baptiſmi ſignificatam, hoc eſt regenerationem, conferunt. De Filio certum. Quia Regeneratio eſt actio Dei, quâ gignimur filii Dei, ut per fidem in Chriſtum conſequamur hæreditatem vitæ æternæ. Atqui Chriſtus eſt qui nobis ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, impertit, qui dedit hoc jus, ut filii Dei fieremus. *Joh. 1. 12.* Et cujus virtute per Euangelium, Patres ſpirituales gignere dicuntur filios. *1. Cor. 4. 15. Gal. 4. 19.* Quod ſi Miniſtri verbi Patres ſpirituales dici poſſunt, cum tantùm ſint inſtrumenta moralia, multo magis Chriſtus, qui ſponſus eſt Eccleſiæ. Cujus ſpirituale conjugium non eſt ἄτεκνον & ſine prole, cum *Eſa. 53. 10.* ſemen ſuum viſurus dicatur. Et ut Eccleſia *Gal. 4. 26.* Mater fidelium dicitur; ita Filius Dei potiori jure dicitur eorum Pater. Ideo ſe *Patrem* vocatum iri prædixit *Jer. 3. 14.* Ergo Chriſtus regenerat: & quia regenerat Deus eſt. Spiritus S. etiam regenerationis autor eſt. Producimus in hanc rem ipſius Veritatis verba. Joh. 3. 5. 6. *Amen, Amen dico vobis, niſi quis regenitus fuerit ex aqua & SPIRITU, non poteſt introire in regnum Dei. Quod genitum eſt ex carne, caro eſt, & quod genitum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.* Ex quibus verbis non ita nudè argumentamur ut Crellius alicubi ſomniat. Ex quo quis natus dicitur, is Pater ejus eſt, is Deus eſt. Sed hoc eſt demonſtrationis noſtræ robur. Ex quo ſic renaſcimur, ut is regenerationis noſtræ ſit autor, is Pater noſter eſt, is Deus noſter eſt. Atqui ex Spiritu S. ſic renaſcimur. Ergo Spiritus ſanctus Deus & Pater noſter eſt. Proinde evaneſcunt in auras Crellianæ inſtantiæ; nos renaſci ex aqua & ex verbo Dei, Chriſtum natum eſſe ex ſemine Davidis, nec tamen aquam & verbum Patrem noſtrum, ſemen Davidis patrem Chriſti niſi abſurdè nuncupari.

CLI. Nam ex Spiritu S. non dicimur renaſci *materialiter* quemadmodum conſtat Chriſtum dici genitum è ſemine Davidis: nec *inſtrumentaliter*, quem admodum renaſcimur per verbum vel aquam, vel ex aqua & verbo. Sed *principaliter*, quod Spiritus S. ipſe nos regeneret per verbum & aquam, adeoque verè autor ſit noſtræ regenerationis. Ut ut enim conjungantur citato loco *ſpiritus & aqua*, non tamen eadem ratione ad regenerationem concurrunt.

Ad

Ad regenerationem *ordinariè* conjunctim requiruntur, sed diversus est causandi modus. Unde postmodum *spiritus*, utpote *causa principis* tantùm mentio fit, omissâ *aqua* ceu *organica causa*.

CLII. Porro Spiritum S. regenerationis principalem authorem esse testantur verba Apostoli 1. *Cor.* 6. 11. *Abluti estis, sanctificati estis in nomine Iesu Christi & per Spirit. Dei.* Quod enim Corinthii fideles hîc abluti dicuntur in nomine Jesu Christi, per Spiritum Dei, eo ipso in memoriam eis revocatur baptismus, quo ex æquo in nomine Patris, Filii & Spiritus S. erant baptizati, adeoque ex æquo ab his tribus abluti, sanctificati.

CLIII. His subjungimus quæ habentur 1. *Cor.* 12. 13. *Omnes nos baptizati sumus per unum Spiritum in unum corpus*, quem Spiritum paulò ante dixerat omnia in Ecclesia, & dona singulis distribuere, prout vult. Arguo. Perquem ut Autorem donorum spiritualium ἐνεργημάτων omnium in Ecclesia baptizati dicimur omnes in unum corpus, is regenerationis nostræ autor est, quia baptizari in unum corpus nihil aliud est, quàm regenerari & fieri membrum Ecclesiæ ad unum corpus mysticum constituendum. At per Spiritum S. Ergo.

CLIV. Ex his demum intelligi potest, quid velit Apostolus cum Tit. 3, 5. baptismum vocat *lavacrum regenerationis Spiritus sancti.* Scilicet, quod Spiritus S. nos per lavacrum baptismi regeneret & renovet, adeoquè princeps causa sit nostræ regenerationis. Et sic etiam ex hoc medio, suo stat talo nostra Major, in cujus nomen baptizamur, is est verus & unus cum Patre Deus.

CLV. *Quarta* denique consequentiæ ratio prioribus non infirmior, hæc est. Quia baptismus nos adstringit & obligat ad fiduciam cordis in Deo ponendam; ad eum religiosè, devotè semper colendum, adorandum; ad obsequium illi præstandum. Atqui dum in nomine Patris Filii & Spiritus S baptizamur, ex æquo tribus istis ad hæc obligamur. Ergo ex æquo sunt Deus.

CLVI. Catechesis tamen consequentiam istam invictis his argumentis necessariis innixam oppugnat, negat; eò quòd Israelitæ dicantur fuisse *baptizati in Mosen*, & quidam *in Baptisma Johannis*; nec tamen vel Mosen ob id Deum fuisse, nec baptisma Johannis personam; ac proinde nos vehementer errare ait, dum ex eo, quod in nomen Filii & Spiritus S. jubemur baptizari, inferimus Filium & Siritum S. esse æquales cum Patre, unius essentiæ Deum. Verùm non nos,

T sed

sed Adversarios scripturam torquentes, longùm & multùm errare, jam jam liquebit.

CLVII. Dicimus enim cum Doctoribus Orthodoxis, priori loco *1. Cor. 10. 2.* Esse Hebraismum & poni εἰς pro διὰ uti *Act. 7. 53.* εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, quo loco εἰς pro διὰ positum liquet ex collatione *Gal. 3. 19.* Ubi Paulus idem referens, dicit δι' ἀγγέλων, quod *Act. 7. 53.* dictum erat, factum esse εἰς διαταγὰς ἀγγέλων. Adeo ut hoc loco baptizari in Mosen, εἰς τ̃ μωσῆν, idem sit dicere, ac per Mosen, sive à Mose, operâ ac ministerio Mosis, cujus ductu per mare rubrum sunt progressi. Hinc à Doctis benè observatum, phrasin hanc, *baptizati sunt in Mosen*, versam esse à Syro interprete בְּיַד מוֹשֶׁא *bejad Mosche* in manu Mosis; quid verò istud sit, cum aliquid in manu alicujus fieri dicitur, explicandum est ex phrasi parallela, sc. *Malach. 1. 1.* Ubi dicitur: מַשָּׂא דְבַר־יְהוָה אֶל־יִשְׂרָאֵל בְּיַד מַלְאָכִי *Prophetia onerosa verbi Iehova ad Israelem in manu Malachia*, Ubi dubio procul τὸ *in manu Malachia*, explicandum, *per Malachiam*, ut rectè transtulit Tremellius. Similis est Hebraismus cum populus dicitur *credidisse in Mosen Exod. 14. 31.* pro in Deum, per Mosen.

CLVIII. 2. Aliud esse *in Mosen baptizari*, aliud *in nomen Mosis baptizari*; Prius asserit Apostolus, eos scilicet *in Mosen*, non *in nomine Mosis*, baptizatos. Quod si verò in Mosen, & in nomine Mosis baptizari unum idemque sunt, tum malè Paulus à Corinthiis quærit *1. Cor. 1. 13. Num in nomine Pauli baptizati estis?* Omninò enim regerere potuissent, quid absurdi? Quia Paulus non minus Minister Dei, qui quosdam baptizaverat, fuit, quàm Moses, qui populum per mare rubrum duxerat. Non negasset inquam Corinthios in nomen Pauli baptizatos, si Israelitæ in Mosen baptizati essent, quomodo nos in nomen Patris Filii & Spiritus S. baptizamur.

CLIX. 3. Distinguere hîc omnino oportet, inter baptismum Novi testamenti *propriè* sic dictum, & inter eum qui *typicè* & metaphoricè tantummodo talis fuit. Israelitæ dicuntur baptizati in Mosen *impropriè*; non enim tingebantur aquâ, nec aquæ immergebantur, vel eâ adspergebantur, invocato Mosis nomine; quippe ipsis per medium maris tanquam super arida procedentibus, aquæ à dextris & sinistris tanquam murus erant. Sed *analogicè* tantùm transitio ista sub nube, per mare, baptismus dicitur; quia obumbratio nubis rorulentæ, ingressiò in mare, & egressio ex eo vocantur baptisma, tum quod nubes

nubes & mare similitudinem quandam cum aqua nostra in baptismo habeant, tum etiam quod idem liberationis ac regenerationis beneficium, cum nostro baptismo, quadantenus, designent. At Christus nos jubet baptizari in nomen Patris filii & Spiritus S. *propriè*. Adeo ut enstasis ista petita sit ex alio genere, metaphorici scilicet baptismi, cum nobis sermo sit de propriè dicto.

CLX. Illi verò, quod secundo loco dicit, quosdam fuisse baptizatos *in baptisma Iohannis* Act. 19. 3. idem repono. 1. Non dici, vel *in nomen Iohannis*, vel *in nomen baptismatis Iohannis*, sed simpliciter *in baptisma Iohannis*. Quæ quidem phrases significatione & sensu multùm differunt. In nomen Patris Filii & Spiritus S. baptizari, est baptizari eo baptismo, cujus Pater Filius & Spiritus sanctus sunt autor; stipulari bonam conscientiam, Patri, Filio, & Spiritui S. in quorum nomen quis baptizatur; est agnoscere Patrem Filium & Spiritum S. ex æquo regerationis authorem; ex æquo se adstringere cultui Patris Filii & Spiritus S. religioso. Jam, si idem sit baptizari *in nomen baptismatis Iohannis*, quod baptizari *in baptisma Iohannis*; quæ absurda hinc fluant, non difficile erit videre illi, qui quatuor ista, 3 baptizari in nomen Patris Filii & Spiritus S. explicationis gratiâ allata, isti modo loquendi Paulino applicuerit.

CLXI. Est ergo *in baptisma Iohannis baptizari*, idem quod baptizari à Johanne in doctrinam Johannis, baptismo aquæ, quo Johannes discipulos suos tingere solebat. *Ministerium* Johannis hîc indicatur, non *Magisterium*. Quod nihil facit ad enervationem argumenti nostri, ex verbis Christi desumpto, quibus Christus jubet in nomen Patris filii & Spiritus sancti baptizare. Quæ verba omnimodam Dei Patris Filii & Spiritus S. ostendunt æqualitatem. Non enim jubemur baptizari in nomen *Patris* solius, per filium ceu factum Deum, & per Spiritum S. ceu essentiale Dei attributum, divinâ personalitate destitutum; sed in nomen Dei Patris, & Filii & Spiritus sancti.

CLXII. Nondum acquiescit Catecheseos autor contra stimulum veritatis calcitrare. Nobis enim dicentibus: Aliud esse baptizari in aliquem, aliud in alicujus nomen, reponit: Ea esse inter se eadem; cum illud quod *Act. 2. 38.* dicitur, fuisse in nomine Christi baptizatos, alibi explicetur vel efferatur, per, fuisse in Christum baptizatos. *Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.* Sed *Respondeo*. Committere Adversarium his locis ignorationem elenchi: nec ea quicquam facere ad in-

firmandum robur argumenti nostri. Quia omnibus his *Act. 2. Rom. 6. Gal. 3.* historicè tantùm refertur aliquos baptizatos, causaque præcipiens innuitur, non forma essentialis baptismi, prout *Math.* 28. urgetur. Istæ ergo loquutiones, baptizati in nomine Christi, baptizati in Christum, non coincidunt cum iis verbis quibus Christus *Matth. 28.* baptismum in nomine Patris Filii & Spiritus S. fieri præcipit. *His* autor baptismi Pater Filius & Spir. S. ex æquo statuuntur; Patri Filio & Spiritui sancto ex æquo fit bonæ conscientiæ stipulatio; ex æquo Pater, Filius, & Spiritus S. autores regenerationis asseruntur; ex æquo baptizati ad cultum divinum Patris Filii & Spiritus S. obligantur. *Illis* baptismus tantùm administratus refertur; refertur tamen ita perfectus & administratus, prout erat institutus, in nomine scilicet Patris, Filii & Spiritus S. Quia in nomen alicujus baptizari, quod *Act. 2.* dicitur, inter alia est admandatum ejus baptizari, in cujus nomen baptizari dicimur. In Christum verò baptizari est in ipsius doctrinam baptizari. At quod erat mandatum, quæ doctrina Christi, de administrando baptismo? ut fieret in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Ergo cum alii, dicuntur baptizati ad mandatum Christi, alii in doctrinam Christi, secundùm formulam à Christo præscriptam, in nomine scilicet Patris Filii & Spiritus sancti baptizati esse, censendi sunt. Atque sic invictum hactenus stat argumentum nostrum: In cujus nomen æquè ac Patris baptizamur, is est unus & verus cum Patre essentiâ Deus. Atqui in nomen Filii & Spiritus S. æquè ac Patris baptizamur. Ergo Filius & Spiritus S sunt unus & verus cum Patre essentiâ propriè dictus Deus.

Quæst. 37. *Ad secundum testimonium quid respondes?*

Resp. *Id, quod etiamsi divinæ operationes attribuantur Deo & illi Domino, ac Spiritui sancto; hinc tamen effici non potest, hos tres unius esse essentiæ: Imò hinc contrarium colligitur non obscurè, eos nempe unius essentiæ esse non posse, cum apertissimè hîc à Deo Dominus ille & Spiritus distinguantur, quem alium non esse nisi Patrem Domini Iesu evidenter superius docuimus. Quia verò hîc cum Deo, Domini & Spiri-*

tus sancti fit mentio, ideo fit, quòd Dominus sit ille, per quem Deus omnia ista operatur: & Spir. itidem sancti, quod de ejusmodi rebus hîc agatur, quæ ad solos credentes pertinent, quas Deus non aliâ virtute suâ, quàm per Spiritum S. operetur, & efficiat.

CLXIII. Hæc scilicet est exegesis atque Socinianus super Apostoli verba commentarius 1. *Cor.* 12. 4, 5, 6. *Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus & distinctiones actionum sunt, sed idem est Deus, agens omnia in omnibus.* Et ✝︎. 11. *Sed omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis, sicut vult.* Argumentum ex his Apostoli verbis tale emergit; Quibus cum Patre æquales tribuuntur divinæ operationes personales, ii cum Patre sunt æqualis Deus. Atqui Filio & Spiritui S. Ergo. Ratio Majoris est, quia operationes Patri æquales nemo edere potest, nisi sit æqualis cum Patre Deus. Ad æquales enim operationes divinas, æqualis requiritur divina potentia, authoritas; quæ potentia ac authoritas divina, in actionibus divinis Patri æqualibus non nisi de iis prædicari possunt, qui sunt æqualis cum Patre Deitatis; nisi quis delirare velit, essentialia Dei attributa identicè ac univocè alicui præter Deum communicari. Relinquitur ergo, cum Christo Domino, & Spiritui sancto, æquales cùm Patre operationes tribuuntur, Christum & Spiritum sanctum esse Patri æqualem Deum.

CLXIV. Minor in textu habetur. Quoad *Patrem,* ipsis Adversariis confitentibus ✝︎. 6. *Idem Deus agens omnia in omnibus.* Et *Filium* cui distinctio ministeriorum vindicatur ✝︎. 5. Illa scilicet Eph. 4. vers. 11. *Is dedit alios Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Confer cum istis Act. 2. 33. *Effudit hoc quod vos nunc cernitis & videtis.* Denique quoad Spiritum S. versu 11. *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens illa privatim singulis sicut vult.* Quibus verbis tum *Deitas* tum *personalitas* Spiritus S. expressè docetur. *Deitas* quidem, dum dicitur author & efficiens causa omnium donorum spiritualium, quæ *Iacobi* 1. 17. à Patre luminum dicuntur descendere, hoc est, neminem nisi Deum authorem habere, *apud quem non est trãsmutatatio, aut conversionis obumbratio. Personalitas* autem, dum dicitur *distribuens illa sicut vult*, quæ verba sanè de Spiritu sancto ut virtute Dei nu-

da, ut accidente nequaquam accipi possunt. Nam præterquam quòd hâc ratione fingitur Deus compositus esse, ex subjecto & accidente; aliquid in Deo esse, quod Deus non sit; actio personalis, personæ liberè agentis, tribuitur accidenti, vel ministro & oeconomo Dei. Cum tamen nec accidens, quâ tale, operationes personales edere possit: nec minister vel Oeconomus, de bonis & donis Heri sui pro libitu, sicut vult, dispensare.

CLXX. Verùm altiùs paulò repetamus Catecheseos super h. l. exegesin, adeoquè responsionem ad argumentùm nostrum. Dicit: *Etiamsi divina operationes attribuantur Deo, & illi Domino & Spiritui sancto; hinc tamen non posse effici hos tres esse unius essentia; Imò contrarium colligi* ait, *eò quod Dominus ille & Spiritus S. alius sit à Deo, quem alium non esse, nisi Patrem Domini Iesu, superius se edocuisse*, gloriatur. Accipimus quod largitur, tres esse hoc loco, quibus operationes divinæ tribuuntur. Atq; inferimus, operationes divinas quâ tales, non posse nisi Deo tribui. (nisi quis ambiguitate vocis *divina* ludere velit. Ego operationes intelligo, quas non nisi solus Deus operari potest, & nemini infra Deum, eò sensu, quo Deo, tribui possunt. Tales autem sunt operationes istæ, de quibus Apostolus capite & versibus allegatis agit. Quia, qui non est divinæ potentiæ, non potest edere divinam operationem, eo quo dixi sensu. Et contra: Qui divinam edit operationem talem, Deus est; quia habet potentiam divinam; potentiam autem divinam habere nequit, nisi habeat & essentiam. Potentia enim divina, ab essentia divina non distinguitur. At si essentiam habet, aut eandem habet, aut diversam. Non diversam: quia cum essentia infinita sit, tot essent infinita, quot essentiæ. At infinitum plus uno esse nequit. Relinquitur ergo, Filio & Spiritui S. cum ipsis divinæ tribuuntur operationes, eadem operâ asseri essentiam divinam, & sic unam. Ergo necessariò hinc efficitur, hos tres, nempe *Deum*, per quem *Pater* intelligitur, *Dominum* per quem *Christus*, *spiritum*, per quem Spiritus S. denotatur, esse tres unius essentiæ personas.

CLXXI. *Imò contrarium hinc colligitur non obscurè* inquit *Adversarius, cum apertissimè hîc à Deo ille Dominus & Spiritus S. distinguatur.* An hinc concluditur Filium cum Patre & Spir. S. non esse unius essentiæ, quod illi à Patre distinguantur? Minimè. Libenter hoc damus, Patrem Filium & Spiritum Sanctum, esse alium atque alium, hoc est, distinctas personas; quia Pater non est Filius, nec Filius Pater, nec aliquis horum Spiritus S. Verun-

runtamen, licet hi tres, quatenus perſonæ ſunt, ſibi contradiſtinguantur, Pater Filio, Filius Patri; non tamen ſequitur, eos etiam contradiſtingui eſſentiâ. Solvat nodum ſi poſſit Adverſarius. Tres ſunt quibus divinæ operationes tribuuntur. Ergo tres ſunt qui ſunt Deus. Si tres ſunt qui ſunt Deus, dicat, an ſinguli Deus ſint eſſentialiter, an verò perſonaliter, hoc eſt, an ſinguli eorum, quibus operationes tribuuntur divinæ, ſingularem habeant eſſentiam. Non dicet, niſi eſſentias, niſi infinita, uno plura, adſtruere velit. Ergo ſequitur, hos tres habere eſſentiam *unam* ſed communem.

CLXXII. Eſſentiam divinam, Patris unius perſonâ exhauriri, hoc eſt, non niſi unam eſſe, ut eſſentiam divinam, ita perſonam, quæ eſt perſona Patris, gloriatur Adverſarius, ſe ſupra evidenter docuiſſe. Quo ſucceſſu & felicitate id præſtitum, judicium penes lectorem, ubi noſtra cum Adverſarii contulerit, eſto. Nullus dubito eum magis audacem conatu, quàm robore magnum, judicatum iri, ſimilemque pigmeis, Deum de cælo deturbare fruſtra conantibus. Crepuit illud tormentum, quod Racoviæ ante annos non ita multos, tali argumentorum pulvere oneratum, ad Trinitatem impugnandam, & de ſolio detrudendam fundebatur. Sanè id magnum juſtitiæ Dei vindicatricis, ad ſacroſanctæ Trinitatis veritatem demonſtrandam, fuit argumentum. Utinam verò frequenter hoc modo eorum ſuccedant conatus, manuſque Dei vindicatrix eos palpare faciat veritatem dogmatis, contra quod tantâ cum rabie inſaniunt!

CLXXIII. Dictabat conſcientia non fuiſſe ſatisfactum ſimplici negatione conſequentiæ. Prævidit enim nos inſurrecturos atque rationem exacturos, cur ſcilicet hîc Filio & Spiritui ſancto æquales tribuantur cum Patre operationes, ſi non ſint æqualis cum Patre Deus, Reſpondet ergo. *Quia verò hîc cum Deo, Domini & Spiritus S. fit mentio, ideo fit, quod Dominus ſit ille, per quem Deus omnia iſta operatur: & Spiritus itidem ſancti, quod de ejuſmodi rebus hîc agatur, quæ ad ſolos credentes pertinent, quas Deus non aliâ virtute ſuâ, quàm per Spiritum ſanctum operetur & efficiat.*

CLXXIV. Rationem ergo iſtius conjunctionis & Domini, i.e. Chriſti & Spiritus ſancti, cum Patre reddit duplicem. Utraquè futilis. *Prior*, Chriſtum Dominum ideo Deo adjungi, quòd Deus per eum iſta omnia operetur; *τὸ per eum* enim, ſi *inſtrumentaliter* & ſecundariò accipiatur hoc loco, planè falſum eſt. Quia iſtius ſenſus neque vola neque veſtigium, eſt in hoc textu, neque uſpiam in

in scriptura, Deum Christo tanquam instrumento usum esse vel ante incarnationem, vel post ascensionem in cælum. Quanquam largiamur, Patrem tanquam fontem operationum divinarum operari per Filium; non tamen inde sequitur, ergo per Filium, ut causam mediam, ut instrumentum, ut se inferiorem. Sed per filium ut per propriam suam essentialem sapientiam; ita ut per *τὸ per filium*, filius non designetur instrumentum Patris, sed ordo tantùm operationum divinarum à Patre incipiens insinuetur, atque individuus utriusque in operando nexus demonstretur. Præterea, *per*, (quanquam isti *per* hîc locus nullus sit, quia in textu non est) non semper denotat causam minus principalem, instrumentalem. Unicam fero enstasin Rom. 11. 36. *Nam ex eo, & PER eum, & in ipsum sunt omnia, ipsi sit gloria in secula, Amen.* Adeo, ut si hoc *per*, etiam in textu, quem vindicamus, expressum esset, quod non est, Adversario postulatum, ob allatam modo rationem, non daremus.

CLXX. Ratio conjunctionis Spiritus S. cum Patre in operationibus divinis, ejusdem quam de Christo dedit, est commatis. Tribuuntur scilicet Spiritui S. operationes divinæ, ex sententia Adversarii, quia Deus ea, quæ ad solos electos pertinent non aliâ virtute suâ quam per Spiritum sanctum efficit. Ergo Spiritum virtutem Dei agnoscit. Quæro, qualis virtus? accidentalis & nuda merè? Asseris? Ergo 1. Deus ex subjecto & accidente est compositus. 2. Nudæ virtuti tribuetur nomen Dei, Jehovæ, in casu recto extra complexionem. 3. Nuda virtus dicetur esse noster *Consolator*, à Patre alius *Joh. 14.* Quanquam etiam virga & pedum Dei nos consolari dicantur *Psal. 23. 4.* non tamen dicuntur consolator ipse, à Patre & Filio alius. 4. Nuda virtus erit tertius testificans in cælo à Patre & Filio realiter distinctus. 5. In nomen nudæ virtutis baptizabimur. 6. Nudæ virtuti tribuentur operationes personales intelligentes voluntariæ; *Distribuit enim dona sicut vult.* Est ergo Spiritus S. Virtus Dei personalis.

CLXXI. Et, si Spiritus S. ideo persona non est à Patre distincta, quia virtus Dei est, nec Christus persona est, quia etiam virtus Dei dicitur 1. *Cor.* 1. 24. *Christum Dei potentiam ac sapientiam.* Atqui potentia & sapientia sunt virtutes. Ergo Christus ex mente Sociniana non erit persona; quod tamen non negant Adversarii, etsi Christum Deum propriè dictum negent.

CLXXII. Quod ex *Luc. 24. 29.* allegare solent. *Ecce ego mitto promissum Patris mei super vos, vos autem*

autem residete Hierosolymis usque quo induamini virtute ex alto, magis contra eos, quàm pro iis facit. Hîc enim Spiritus S. per expressum virtus Dei non dicitur, sed potius luculenter à virtute illa distinguitur. Apostoli enim Spiritum sanct. dicuntur accepisse, qui iis promissus erat, ut sensus sit, eos supervenientis Spiritus virtutem accepturos, quâ ex alto erant induendi.

Quæst. 38. Ad tertium *quid respondes?*

Resp. *Primum cum notum sit in græcis exemplaribus vetustioribus, ac in Syriaco, denique in Latinis versionibus antiquioribus, ea verba non haberi, quemadmodum præcipui è nostris Adversariis id ostendunt, ex iis nihil certi effici potest. Deinde, etiamsi in scripturis haberentur, ex eis tamen concludi non posset, tres personas esse in una divinitate. Nam is locus nulla alia de re agit, quàm de testimonio ejusmodi, Iesum nempe esse Dei filium. Hoc autem perhiberi posse etiam ab iis qui personæ non sunt, sequentia verba apud Iohannem.* 1.Ioh. 5. 8. *indicant:* Tres sunt qui testantur supra terram, Spiritus aqua & sanguis. *Quia verò ait, unum esse, eos unum testimonio, non autem essentià dici, in sequenti versiculo eadem prorsus verba addita, indicio sunt.*

CLXXIII. Locus omni exceptione major est & sudes in oculis Adversariorum 1.*Joh.* 5. 7. *Tres sunt, qui testificantur in cælo, Pater, sermo, & Spir. S.* & hi tres unum sunt, quo trinitatem personarum in una Dei essentia probamus. Adversarii duplicem excitârunt nebulam quâ meridianum solem obtenebrent. Utramque discutiemus. Primò dicunt. *Versum hunc non legi in vetustioribus, græcis exemplaribus, nec in Syriaco, nec denique in versionibus latinis.* Idque probat Catechesis authoritate Nostrorum, quos Adversarios vocat, qui hunc locum in quibusdam exemplaribus non extare confitentur. Sed *primò* in genere falsarium deprehendo: cur non addidit Adversarius, eos tamen ipsos, quos in subsidium causæ despera-

feratæ vocat, etiam alia vetustiorum citare exemplaria, in quibus locus iste per expressum legitur? forte ne scrupulum suis relinqueret, ea scilicet exemplaria, quæ locum habent, iis, quæ non habent, correctiora esse.

CLXXIV. *Deinde*, etsi quidam Orthodoxorum historicè narrent locum hunc in quibusdam codicibus non legi, nemo tamen eorum ejusdem est cum Adversario sententiæ. *Tertiò.* Rationem debebat addidisse, cur authoribus plus fidei adhibeat, referentibus, hunc locum in quibusdam codicibus non legi, quàm legi in aliis, demonstrantibus. Imò cur adstipuletur paucioribus negantibus, non assentiatur pluribus asserentibus?

CLXXV. Robertus Stephanus enim testatur, in *septem* codicibus græcis illum versiculum fuisse desideratum, in *novem* autem ut pote *antiquioribus* fuisse repertum. Proinde etiam legitur in editione Roberti Stephani anno 1546. & 1550, Heginius s. Higinus Pater antiquissimus, qui vixit circa annum Christi 143. epist. decretali ad omnes Christi fideles de fide Trinitatis ex hoc dicto Trinitatem asseruit. Cyprianus, qui vixit seculo secundo, in tractatu. 3. de Simpl. Prælator. idem præstitit. Cum his etiam Athanasio, seculi tertii Patre, lib. 1. dial. ad Theophilum convenit. Subscribit Socrates lib. 7. Hist. Eccl. c. 32. Fulgentius in Respons. ad objecta Arianorum in Hæresiolog. pag. 47. Et Bernhardus in Sermonibus de tribus in cælo & interra testibus, & in parvis sermonib. serm. 16. Athanasius. *Tom. 1. p. 109.* illa S. Johannis verba, uni ex discipulis Arii opponens, ita eum convicit, ut dixerit. *Ego gratias ago sanctæ Trinitati, adoroque Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.*

CLXXVI. Cur ergo, inquies, hic locus non legitur in aliis quibusdam codicibus? Socinus comment. super hoc loco ait: Eos, qui docent tres esse personas in una divina essentia, verba ista intulisse in textum, ejusque rei primum authorem fuisse Hieronymum. Ego verò cum Francisco Junio statuo confidentiùs, locum istum olim ab Arianis erasum. Nam, inquit ille, eum alioquin contra Arium disputatione in Nicæna Synodo habita sub finem non adduxisset Athanasius. Addo, Arium autoritatem istius loci non rejecisse, quam profectò non admisisset, si in Epistola Johannis non extitisset. Ut postea demum ab Arianis, quum plus possent sub Constantio & Valente, in exemplaribus multis deletus fuerit Atque in hac sententia confirmor, tum quod locum multis ab Hieronymo retro annis à Patribus antiquioribus ut Higi-

Higino, Cypriano, Athanasio legam citatum. Cyprianus Carthagini martyrii coronâ coronatus Anno 260. 18. Calend. Octobr. habet hunc versum in tractat de Unitate Ecclesiæ, sect. 5. ubi ait, *Et iterum de Patre & Filio & Spiritu S. scriptum est: & hi tres unum sunt.* Tum quod Socrates Historiâ Eccles. Tripartitâ lib. 12. cap. 4. quædam hujus Epistolæ exemplaria ab hæreticis corrupta testatur.

CLXXVII. Verba citato libro atque capite sic habent: *Qui*, (Nestorius) *dum naturaliter eloquens fuisset, se putabat doctum, & libris antiquorum dedignabatur incumbere, omnibusque se putabat meliorem esse, ignorans, quòd in Catholica Iohannis epistola, in antiquis exemplaribus habeatur:* Omnis Spiritus qui solvit Jesum, à Deo non est. *Hunc enim sensum ex veteribus exemplaribus abstulerunt, qui separare volunt ab hominis dispensatione divinitatem. Quapropter veteres interpretes hoc ipsum designaverunt, quòd aliqui adulterarint hanc epistolam, solvere hominem à Deo volentes. Est enim humanitas copulata divinitati, & jam non sunt duo sed unum.*

CLXXVIII. Itaque nullus dubito, quin idem contigerit isti versiculo, *tres sunt qui testificantur in cœlo*, quod illi, *Omnis Spiritus qui solvit Iesum à Deo non est.* Deque eo non parùm sibi gratulari Adversarios, quòd ab Arianis, Photinianis id factum sit antiquitus, quod errori suo hodierno, tam præjudiciosum experiuntur. Quantumvis, etsi in nullo exemplarium veterum extaret, nec unquam extitisset, nondum præscriptum esset contra nos. Tres enim personæ Deitatis versibus 5, 6, 9, 10, 11, 12, 13, 20. necessariâ consequentiâ adstruuntur.

CLXXIX. Patris personalitas indubiæ est veritatis etiam apud Adversarios. Unum argumentum pro Deitate Filii urgebo, ex vs. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Iesum esse filium Dei.* Qualem filium? adoptivum, creatum? at fides in talem posita non vincit mundum. Ergo qui credit Jesum esse filium Dei, puta ab æterno ex substantia Patris genitum & sic Deo Patri ὁμοούσιον. Unde Johannes hujus epist. cap. 2. 23. dixerat: *Quisquis negat filium, nec Patrem habet.* At Christus si non esset Filius Dei, Patri consubstantialis, coessentialis, ab æterno ex ipsius essentia genitus, adeoque essentiâ cum eo unus, tum negatio filii non ilico secum in ferret negationem vel ablationem essentiæ Patris. Nam etsi quis negaret Angelos, qui sunt filii Dei per creationem, homines fideles, qui sunt filii Dei per gratiam & adoptionem; non tamen eo ipso Patris existentiam negaret. Quia inter essentiam Patris & angelorum atque hominum non tan-

ta est necessitudo, ut negatâ existentiâ angelorum & hominum negetur ipse Deus; extitit enim Deus ante essentiam utrorumque: Hîc verò tanta est inter Filii & Patris existentiam necessitas, ut Filii essentia negatâ, negetur Patris essentia; Filii essentia posita, Patris quoque essentia ponatur. Ergo hic Filius coessentialis Patri, unus cum eo, non personâ, sed essentiâ, Deus intelligendus.

CLXXX. Verùm quia hanc nebulam facile à nobis discussam iri prævidit, aliam excitavit Catecheseos autor, dicens. *Deinde etiamsi in scripturis haberentur* (scilicet illa verba versus septimi) *ex eis tamen concludi non posset, tres personas esse in una divinitate.* Imò verò concluditur firmissimè, hoc modo: Si tres sunt propriè dicti, viventes, intelligentes, volentes, per se subsistentes ac à se invicem verè distincti in cælo testantes, Pater, ὁ λόγος, & Spiritus S. Ergo tres sunt personæ in una essentia divina. Atqui verum est prius. E. Prioris ratio est. Omnis testis propriè dictus, intelligens, volens, ac per se subsistens est persona. Atqui non tantùm Pater, sed & Filius, & Spiritus sanctus, sunt testis propriè dictus, intelligens, &c. Ergo. Major extra controversiam est. Minor probatur. Quale est testimonium Patris tale est & Filii & Spritus sancti. Atqui testimonium Patris est propriè dictum intelligens & proinde personale. Ergo tale quoque est testimonium Spiritus S. Ratio Majoris est, quia Patri, Filius & Spiritus S. in testimonio cælesti conjunguntur, & testimonio quod interra est contradistinguuntur. Adeo ut quemadmodum testes illi tres terrestres ejusdem sunt naturæ, gradus dignitatis; ita etiam cælestes illi sunt ejusdem naturæ, gradus, dignitatis.

CLXXXI. Et, si hi tres testes non sunt personales testes, quod innuere videtur adversarius verbis sequentibus, dum dicit: *etiam ab iis testimonium perhiberi posse, qui persona non sunt*, tum certè nec Pater persona erit, nec filius; At Pater est naturâ Deus, non diffitentibus Adversariis, & quidem Deitatis persona. Filius etiam est naturâ Deus ut paulò post probaturi sumus, alius à Patre, non *essentiâ*; sed *personâ*. quia est Filius Dei proprius unigenitus. Spiritus S. est *virtus Dei* concedentibus Socinianis; verùm non *personalis* sed *accidentalis* tantùm ajunt.

CLXXXII. Non esse autem Spiritum sanctum tantùm virtutem accidentalem, ac proinde ejus testimonium hoc loco non esse tantùm accidentale, sed personale, evincimus hoc modo. 1. Quia ut testis primus à secundo, ita tertius ab utro-

utroque est distinctus. At primus à secundo, secundus à primò distinctus est personaliter. Ergo & tertius à secundo & primò non tantùm virtualiter accidentaliter, sed & virtualiter personaliter est distinctus. 2. Quomodo Pater & Filius testatur taliter testatur & Spiritus S. At Pater & Filius personaliter testantur. Ergo & Spiritus sanctus. Aut testimonii istius è textu indicetur diversitas. 3. Quia expresse *tres* dicuntur esse in cælo testes. At si Spiritus S. non est persona, sed virtus Patris duntaxat, tum tres non erunt testes, sed duo tantùm. Nam persona quæ testatur, & virtus per quam testatur eadem persona, unum tantùm efficiunt testem. Adeo ut quemadmodum absurdum est dicere, Patrem & virtutem ejus duos mundi creatores; ita inconveniens Patrem & virtutem ejus, duos dicere testes. Essentia enim Patris, à virtutibus suis non distinguitur ut primum & tertium, cum sint simpliciter unum. 4. Si hîc non intelligantur tres personæ unius essentiæ divinæ testantes, tum falsum dixit Johannes, dum tres tantùm indigitat testes cælestes, cum multo plures Christo testimonium perhibeant in cælo, de nube testium loquitur Epist ad *Hebr. 12. 1.*

CLXXXIII. Quid ille ad hæc? *Nam is locus nullâ alia de re agit, quàm de testimonio ejusmodi, Iesum nempe esse Dei filium. Hoc autem perhiberi posse etiam ab iis, qui persona non sunt, sequentia verba apud Iohannem versu 8.* indicant, *Tres sunt qui testantur supra terram, Spiritus aqua & sanguis. Resp.* 1. Agitur de testimonio cælesti trino, proinde personali, divino, Jesum scilicet esse filium Dei. Patris enim testimonium personale est, ut & Filii; rationem dent Adversarii cur non & Spiritus S. tale sit. Quod enim Spiritum S. testari ajunt, ut virtutem Patris essentialem, aperta vis est textui illata, qui tres testificantes in cælo statuit. At si Spiritus sanctus ut virtus tantùm Patris testatur, tum nequaquam tres esse possunt, sed duo, cum Pater & Spiritus Patris unum sit, ut paulo ante dictum. 2. Non quæritur an testimonium ab iis perhiberi *possit*, qui persona non sunt; sed hoc est quod quæritur, an hîc in cælesti testimonio aliquis sit, qui persona non sit, quod negatur ob rationes allatas. Et res ipsa loquitur.

CLXXXIV. Nam Patris testimonium personale est, quo dicit *Hic est filius meus dilectus.* Math. 3. Testimonium sermonis hoc est Christi etiam personale est. Testatus enim est Christus de se tam *authoritativè*, profitendo se esse verùm illum mundi promissum Messiam, quàm *ratiocinativè*, provocando ad

miracula sua, ad opera sua. *Joh.* 8. 14. *Etiamsi ego testor de me ipso, firmum est testimonium.* vers. 18. *Ego is sum, qui testor de me ipso, & testatur de me, qui misit me Pater.* & *Joh.* 10. 25. *Dixi vobis; nec creditis, opera quæ ego facio, testantur de me.* Testatus quoque est Spirit. S. de Christo, cum super ipsum in specie columbæ apparuit *Math.* 3. cum *Math.* 17. in transfiguratione Christi in forma nubis lucidæ conspiceretur; cum super discipulos in igneis linguis se manifestaret, ipsosque ita accenderet, ut Christum publicè prædicarent esse Messiam.

CLXXXV. Non negamus ergo, etiam ea posse testari, quæ persona non sunt, sed negamus æquale Patris testimonio, aliquod perhiberi posse, ab eo, qui non sit æqualis Patri. Horum autem testimoniorum omnimoda est æqualitas; aut diversitas & inferioritas aliqua testificandi, è textu probari debet. Adeoque frustra allegat versum 8. quo dicitur, *tres esse supra terram testificantes Spiritum aquam & sanguinem*; cum non negemus, hæc talia testari posse, sed posse testari testimonium cæleste testimonio personali Patris æquale.

CLXXXVI. Concludit quæstionem dicens: *Quia verò ait unum esse*, eos *unum* testimonio, *non* essentiâ, *dici, in sequenti versiculo, verba prorsus eadem addita*, indicio sunt. *Resp.* 1. Subordinata vel coordinata non pugnare. Possunt ii quorum uniforme, idem, consentaneum, est de re aliqua testimonium, etiam esse unum essentia. Unitas consensus in testimonio, non tollit unitatem essentiæ; sed hæc, scilicet unitas essentiæ, unitatem voluntatis fundat; voluntatis autem unitas unitatem testimonii.

CLXXXVII. Nec evertere hoc potest sequentium testium comparatio, nempe Spiritus, aquæ, & sanguinis, quorum non est eadem essentia, & tamen in unum consentiunt. Nam ideo usus est Johannes phrasibus diversis, de testibus tribus in terra, nempe de Spiritu aqua & sanguine dicens: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν & *hi tres in unum sunt.* At de testibus in cælo, videlicet de Patre Filio & Spir. S. dicens καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, hoc est, *& hi tres unum sunt*, ut intelligeremus inde, non tantùm consensus unitatem, sed & essentiæ, ut observatum, Polano, Feurbornio, Balduino, Keckermanno, Walæo.

CLXXXVIII. Et quanquam non inficiemur, etiam hoc versu 8. in quibusdam codicibus græcis legi ἕν εἰσι, pauciora tamen illa sunt, neque unquam ut authentica recepta; cum plura & antiquiora, & authentica magis εἰς τὸ ἕν εἰσιν habeant. Ut audaciâ Arianorum

tum

tum τὸ εἰς τὸ versu 8. tum integrum versum septimum erasum existimem. Quia ut superioribus rationibus & has addam: Si textus diligenter inspiciatur ejusque cum sequenti versu 8. connexio, hunc etiam versum septimum esse necessarium, res ipsa evincet. Nam alias hiulca manet oratio, quum versu 8. addatur: καὶ ET *tres sunt qui testantur in terra.* Quorsum copula ET, si de testibus in cælo nihil fuerat dictum antea? Et quorsum subjiceret Johannes versu 9. ejusdem quinti cap. *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei est majus, quia hoc est testimonium, quod Deus testatus est de filio suo.* Sanè si λόγος hîc tantùm est homo, quomodo ejus testimonium non est hominis? quomodo terrestri testimonio humano contradistinguitur? Commentarium literalem super ista verba instituere instituti nostri non est. Inquirenti in eum publicè respondebimus.

Quæst. 39. *E superiore oratione unam esse in Deitate personam perspicio: jam igitur cognoscere velim, quî hujus rei notitia ad salutem est admodum utilis?*

Resp. *Id facilè cognosces, si, quàm sit adversæ partis perniciosa opinio, deprehenderis.* Primò, *unius Dei fidem facilè convellere atque labefactare potest; idque, dum unum modò Deum fatetur, modò tres personas, quarum unaquæque Deus sit, prædicat?* Secundò, *Gloriam unius Dei, qui tantùm Pater Christi est, obscurat; dum eam ad alium qui Pater non sit transfert.* Tertiò, *viam salutis facilè potest pariter subvertere, dum inter primam & secundam salutis causam discrimen tollit: & quis sit primus salutis nostræ autor, & quemadmodum eandem Deus per Christum & Spiritum S. operetur, rectè agnoscere non permittit. Denique alienis à religione Christiana magno est ad eam amplectandam impedimento, dum ea quæ veritati divinæ, & rationi sanæ adversa sunt, tradit; quibus omnibus*

nibus incommodis, vacat ea sententia, quæ unam tantùm personam in divinis asserit.

CLXXXIX. Usum istius doctrinæ, quâ una tantùm persona in una Dei essentia statuitur, hâc quæstione demonstrare conatur; idque ab opposita perniciositate, doctrinæ ejus, quæ in una Dei essentia tres personas corde credit, ore ad salutem profitetur. Quâ ratione verò ostendis bone vir, doctrinam hanc perniciosam? *Primò*, ais, *Unius Dei fidem, labefactare potest, idque dum unum modò Deum fatetur, modò tres personas, quarum unaquæque Deus sit, prædicat.* At opponis, quæ opponenda non sunt. Unitas trinitatem non tollit. Deus enim secundùm aliud unus, secundùm aliud trinus dicitur. *Unus* secundùm *essentiam*, *trinus* secundùm *personas*. Supponit ergo doctrina nostra tanquam immotum principium, unum esse essentiâ Deum, dum autem tres in ista essentia ex scripturæ numero & numerante & numerato docet personas, nequaquam fidem de unitate Dei convellit vel labefactat. Quia has tres personas non docet esse tres Deos, sed unum illum Jehovam Israelis. Quamvis enim hi tres personis sint distincti, essentiâ tamen unum sunt.

CLXXXX. In hanc verò sententiam, ut crederet Adversarius doctrinam Orthodoxam, fidem de unitate Dei labefactare, adduxit eum illud Principium falsum, personam scilicet esse unam essentiam indivisam numero; quòd quidem verum est de essentia humana finita, non verò divina infinita. Hæc enim quamvis unâ sit numero, pluribus tamen, quia infinita est, est communicabilis, illa non item. Cum ergo docemus, Infinitæ istius essentiæ, numero unicæ, tres esse personas, quarum una quæque, non singularem suam essentiam, sed eandem habet, tantùm abest, ut fidem de unitate Dei labefactemus ut è contrario eam stabiliamus. Quia unum statuimus Deum respectu essentiæ, trinum, non respectu essentiæ, (hîc omnis ansa labefactandi exspirat) sed respectu personarum, quæ ita in scripturis à se distinguuntur, ut unum essentiâ esse doceantur. Ergo non sequitur: Qui unum Deum docet essentiâ, trinum personis, is fidem de unitate Dei labefactat. Sequeretur, si doceremus, Deum hunc, qui essentia unus est, trinum essentiâ esse. At verò trinitas personarum trinitatem essentiarum minimè infert, ut suprà demonstratum.

CLXXXXI. Secundò, inquit,

quit, *Gloriam unius Dei, qui tantùm Pater Christi est, obscurat, dum eum ad alium qui Pater non sit, transfert.* Solum Patrem esse divinam personam, Adversario in præcedentibus ereptum. Filius & Spiritus sanctus sunt ille unus Deus, qui etiam Pater est. Sed Filius non est Pater, nec Spiritus sanctus est Pater, etsi Filio & Spiritui sancto essentia sit cum Patre communis. Quare, cum illis gloria Dei unius defertur, non putandum est, eam gloriam in alium transferri, cum eo ipso, quia defertur Filio & Spiritui S. uni illi essentià Deo defertur, qui quatenus prima est divinitatis persona, Pater est Domini nostri Jesu Christi.

CLXXXXII. Non enim essentia Dei absolutè & essentialiter sumpta, est Pater Christi, sed essentia Dei hypostaticè ad personam Patris relata. Quod si essentia Dei essentialiter sumpta, & ut ita dicam, ad personam Patris non limitata, Pater Christi statueretur, tum Christus foret alius essentià Deus à Patre, & hoc modo fides unitatis Dei labefactaretur. At verò cum essentia Dei relatè ad personam Patris limitatur, eaque similem per omnia essentià filium in essentia generare ex verbo Dei docetur, præscriptum est & contra labefactationem fidei unitatis, & contra id, quo dicitur, gloriam Dei, in alium transferri; Cum enim Filius & Spiritus S. sint ejusdem naturæ cum Patre, quis est ille alius, ad quem gloria illa transfertur? transferretur fateor gloria Dei in alium, si transferretur ad aliquem, qui essentiâ Deus non est. Etsi verò Pater, Filius, & Spiritus S sint alius atque alius personâ, (quia Pater non est Filius, nec Filius Spiritus S &c.) non tamen sunt alius atque alius essentiâ. Adeo ut gloria Patris Filii & Spiritus S. sit gloria illa unius Dei, quæ istis ex æquo competit, eoque jure passim in scriptura tribus istis personis æqualiter tribuitur. Vide sis modò baptismum, quo ex æquo Patrem Filium & Spiritum S. ut autorem ut collatorem interni baptismi colimus. Fortè Smalcius in ipsa institutione baptismi, scripturam gloriam unius Dei in alium transferre dicet.

CLXXXXIII. Quid quòd expresè doceat scriptura, *Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem,* & *qui non honorat Filium* (scilicet prout Patrem vel eodem honore quo Patrem) *non honorat Patrem.* Tantùm ergo abest, ut scriptura hanc consequentiam admittat Qui eadem gloria afficit Filium, quâ Patrem, is gloriam Dei obscurat, dum eam ad alium qui Pater non est, transfert; ut contrarium ab his verbis liqueat, quibus & Christus alius à Patre statuitur, quia Filius non est Pater Christi, esset enim sui

ipsius Pater: & eodem etiam honore quo pater afficiendus, docetur. Glorificatur ergo Deus Pater suâ gloriâ à nobis, etsi Filius, secundùm scripturam, eadem gloriâ afficiatur. Quia Filius non est extra essentiam Patris, sed in ea, nec ab eo distinctus, nisi quod ipse Pater non sit. Adversarii verò criminis istius rei sunt, ut qui Christum naturâ Deum esse negant, & tamen eum, quem non credunt esse Deum, divinâ gloriâ afficiunt. Videant ergo, quomodo gloriam unius Dei, non transferant ad eum, qui Deus non sit.

CLXXXXIV. *Tertiò* ait: *Nostram doctrinam viam salutis facilè posse subvertere, dum inter primam & secundam salutis causam discrimen tollit; & quis sit primus salutis nostra autor, & quemadmodum eandem Deus per Christum & Spiritum S. operetur rectè agnoscere non permittit.* Calumnia hæc est, præterea nihil. Non enim latere potest Adversarium, quàm apprimè Orthodoxi inter causas efficientes salutis, primarias, secundarias, medias, instrumentales, distinguant. Causa efficiens salutis prima est sacro sancta trinitas, Pater Filius & Spiritus S. ex æquo, ut per inductionem facile probari posset. Quantumvis enim Pater dicitur *per* Filium & *per* Spiritum S. hoc vel illud efficere; non tamen eo ipso Filius & Spiritus S. statuuntur esse causæ mediæ, instrumentales, secundæ, salutis nostræ; quia illud, quod hoc vel illo loco Pater dicitur efficere *per* Spiritum, *per* Filium, id Filius & Spiritus S. alibi absolutè, per semet ipsos dicuntur efficere.

CLXXXXV. Illud *per* tantùm ordinem operandi, non modum causandi alium indicat. In solo justificationis operè id planum est. Deus Pater iustificat imputando, Filius merendo atque merito vim infinitam à natura divina largiendo, Spiritus S. obsignando, certiorando. Omnia ista divina sunt opera, quibus alter alteri non subordinatur ut inferior, ut secundus, sed coordinatur ut æqualis & primus.

CLXXXXVI. Quantumvis enim Christus mediator inter media primum sit; tamen id non sine distinctione naturarum sumendum; est enim mediator secundum divinam *efficienter*, secundum humanam *meritoriè*: ac ratione posterioris, causa secunda dici potest in abstracto, quoad naturam, non in concreto quoad personam. Quia quatenus persona est, est Deus redimens Ecclesiam suam *efficienter*, scilicet quoad divinam naturam, *sanguine suo* meritoriè, quoad humanam. Quam efficientiam redemptionis dum Christo denegant Sociniani, eo ipso salutis viam subvertunt. Nisi enim Christus mediator

diator Deus infinitus fuisset, nequaquam satisfactio ipsius sufficiens λύτρον pro tot infinitis numero peccatis esse potuisset. Meritum enim quod propriè humanæ conveniebat naturæ, à divina valorem infinitum accepit.

CLXXXXVII. Porro ut Deum Patrem Filium & Spiritum S. primam salutis nostræ causam docemus, mediatorem quà hominem inter secundas primam; ita secundas secundo loco statuimus prædicationem verbi, administrationem sacramentorum. Quæ quidem suâ natura tales non sunt, sed à Deo hâc fini ordinatæ, ut Euangelium sit potentia ad salutem, ut sacramenta sint sacra signa ac sigilla, per quæ nobis Deus promissiones in verbo factas obsignet, atque sic certitudinem fidei salvificæ in nobis generet, alat, augeat, conservet. Vanum ergo est, quod dicit Catecheseos autor, per nos, doctrinam salutis subverti, cum per nos, isto discrimine causarum salutem operantium præsupposito stabiliatur; nec quicquam causis secundis, quod primæ debetur, deferatur.

CLXXXXVIII. Sed more eorum agit, qui cum ipsimet alicujus sceleris rei sunt, ut suspicionem ejus à se amoliantur, alios ejusdem criminis reos postulare solent. Si unquam hæresis aliqua doctrinam salutis subvertit, Sociniana est; & tamen eandem maculam Orthodoxæ religioni adspergere allaborat. Quæ nam est unica religionis, fidei, salutis, consolationis nostræ basis, nisi meritum Christi, ejusque satisfactio, tam activa quàm passiva? Certè fundamentum aliud poni nequit, nisi illud quod profitetur Apostolus *1. Cor. 2. 2.* se nolle quicquam scire inter Corinthios præter Christum, eumque crucifixum. Et tamen jurati isti hostes crucis Christi, nil agunt dogmate suo, nisi ut Ecclesiam hâc consolatione privent atque fraudent. Quod si enim Christus Deus non est verus, essentiâ infinitus, quomodo λύτρον ac pretium redemptionis, quod vicè nostri persolvit, sufficiens esse potest? Unum enim finitum numero, pro multis peccatis & quoad numerum, & quoad objectum, contra quod commissa sunt, in finitis, satisfacere nequit. Sed fortasse me principium petere dicet Adversarius, dum Christum vice nostri ista præstitisse scribo, cum tantùm bono nostro, hoc est ad exemplum nostri, tanquam exemplaris salvator ista peregisse censendus sit. Quod dogma omnium perniciosissimum, quomodo doctrinam salutis subvertat, suo loco, cum Deo demonstrabo.

CLXXXXIX. Denique, hæc scilicet de Trinitate doctrina) inquit, Adversarius, *alienus à religione Christiana, magno est ad eam am-*

plectandam impedimento, dum eaqua veritati divinæ & rationi sanæ adversa sunt tradit. Theologos nostros hactenus quippiam in hoc argumento docuisse, quod veritati divinæ adversetur, pernegamus: nec unquam de eo convicti sumus. Et quantumvis ex scriptura docuerint de hoc mysterio talia, quæ rationem, præsertim carnalem & malè sanam transcendunt; tamen rationi sanæ quippiam adversum statutum, inficiamur. Maleferiata ista ratio, etiam ad rationis lumen talpas istos cæcutire facit.

CC. Deinde, posito, ista esse adversa rationi, si cum scripturis conveniant, in obsequium cogenda est ratio, nec illi contra principium fidei ratiocinari fas est. Christus ipse Judæis, offendiculum fuit, Græcis stultitia. *1. Cor. 1. 23.* an propterea Christus à quopiam fidelium neglectim habitus, desertus? an eo cessavit esse quod erat ipse Christus? Durus erat ille sermo Christi de edenda carne sua, an propterea non verus? Ipse Christus casui multorum expositus erat, & in signum, cui contradiceretur, erectus *Luc. 2. 34.* Quid si & ipsius Christi doctrina sit lapis offensionis, iis, quos Deus viis rationis suæ animalis, quæ non percipit, quæ sunt Spiritus Dei, incedere sinit, atque adeo justo judicio occæcat?

CCI. Denique, non video doctrinâ istâ, quam istis incommodis vacare gloriatur, usque adeo multos infatuatos. Quanquam enim hæreses in Ecclesiâ esse oporteat; ut, qui probi sunt, manifesti fiant, & Deus hæresi istâ Ecclesiam justo suo judicio exerceri velit; attamen Deo gratia, maxima pars Christianorum ab hoc dogmate, scilicet plausibili & rationi usque quaque convenienti, in præceps non abripitur, quantumvis id, quod rationi consentaneum esse persuasa est, vel maximè adoptet. Adeoque frustra annisus est autor Catecheseos, doctrinam Orthodoxam nigro absurdorum notare calculo.

CCII. Tantum autem abest ut istis incommodis sententia Orthodoxa de unitate essentiæ, & trinitate personarum in ea, jure gravari possit, ut insignes habeat usus. *Primò* enim hoc dogmate Christiani distinguuntur à Judæis, Mahumedistis, qui etiam unum Deum se credere profitentur. Jam, quòd si dogmatis de trinitate nullus sit usus, sequetur, penes Judæos Mahumedanos veram praxin istius Articuli esse posse, adeoque non tantoperè laborandum, ut ad veriorem Dei cognitionem perveniant. *Secundò* per hanc personarum distinctionem de præcipuis beneficiis Dei in Ecclesiam collatis in formamur, cum attendimus, quâ ratione Pater, Filius & Spiritus sanctus, circa opus creationis, redemptionis operati sunt. Pater Filium mittit, Filius

Filius humanam naturam assumit; Spiritus Sanctus, cujus operâ ea in utero Mariæ effecta est, in cordibus nostris promissiones Dei obsignat. *Tertiò*; Trinitas personarum in essentiæ unitate, tanquam exemplar conjunctionis & consensus perfectissimi, arctissimi, nobis intuendum, imitandum proponitur. *Joh. 17. 10. 11. 21, 22, 23.* Coll. cum *Joh. 10. 30.* Quibus locis non tantùm conjunctio & consensus voluntatis, sed etiam ineffabilis illa unitas essentiæ individuæ, quæ fundamentum est unitatis in volitione & consensu innuitur; ut enim Voluntas personam præsupponit; ita *una voluntas* & consensus in tribus personis, *unitatem essentiæ* præsupponit. *Quartò*; Meditatio mysterii istius secundùm scripturas, suavissimâ consolatione corda fidelium perfundit, dum ab unione Patris & Filii, ad communionem, mansionem, inhabitationem, arctissimam præsentiam Patris per Filium in nobis, argumentatur *Joh. 14. 23.* Coll. cum *Joh. 20. 31.* & *17. 10. 22.* & rursum ascendunt ab in habitatione, quam in se sentiunt *Rom. 5. 5.* ad unionem Patris cum Filio, in quam ultimò fides salutaris resolvitur. Sanè mutua hæc possessio & περιχώρησις, & in habitatio Dei in nobis nobis, nostri in Deo, verè tabernaculum Dei cum hominibus, meliùs concipi, firmiùs apprehendi, suaviùs sentiri posset, si tanquam exemplum, motiva, στήριγμα, ἑδραίωμα infirmis & fluctuantibus nostris conscientiis admoveatur, unio personarum Deitatis, amor Patris erga Filium. Ut unicuique fidelium ex eo dicere fas sit: Ego Domine Jesu Patris tui sum, quia tuus sum, & tu es Patris. Pater me diligit, quia tu me diligis & Pater Filium. Pater in me manet & quis me separabit ab ejus dilectione in Christo? *Rom. 8.* Porro, qui usus singulares ex eo, quòd Christus sit verus Deus itemque Spiritus S. tum ad adhortationem nostri, tum ad consolationem nostri redundent. Vide sis Practicos nostros, & præcipuè Cl. Vœtium Disp. select. 28. Ut mera sit calumnia, doctrinam istam, quæ tres statuit in Deo personas, unius essentiæ esse perniciosam, cum ea, quam Adversa pars ipsa tenet sit perniciosissima. Ut quæ Deum non cognoscit talem, qualem se cognoscendum exhibuit, ac proinde non eo etiam, quo Deus vult modo coli, colit; quæ fiduciam non in Deo, sed in creatura collocandam docet. Cum enim Christus secundùm eos, Deus tantùm factus sit, eum tamen religiosè coli velint, quis non videt, idololatriam præcipi hoc ipso dogmate, fiduciam collocandam in quopiam præter Deum, credendum in aliquem qui Deus non sit?

Cap. II.

De voluntate Dei.

QVæst. 1. *Ex posuisti mihi, quæ pertinent ad essentiam Dei, quæ spectant ad ejus voluntatem expone?*

Resp. *Ea quæ ad voluntatem Dei pertinent, quædam sunt ejusmodi, quorum omnes in universum homines participes existunt, & extitere semper, quædam verò ad eos præcipuè spectant, qui vitam æternam consecuturi sunt.*

Quæst. 2. *Quæ vero ea sunt quorum in universum homines omnes participes semper extitere?*

Resp. *Sunt numero tria: Primum, creatio cæli & terræ, & omnium quæ iis sunt comprehensa; Deinde, cura & providentia de singulis hominibus.* 1. Tim. 4. 10. Math. 10. 30. *Postremò remuneratio eorum, qui ipsum quærunt, hoc est, eidem parent.* Heb. 11. 6.

Quæst. 3. *Cur verò necesse est ut de Deo credatur, quòd cælum & terram condiderit?*

Resp. *Duæ potissimum causæ ejus rei deprehendi possunt; Una quod Deus velit, ut id credamus. Qua propter in scripturis, & ipse Deus, & ejus ministri, tam sæpè & perspicuè nos ejus rei admonent, ut inter alià testimonia habes* Esa. 44. 24. Gen. 1. 1. Psal. 33. 6, 7, 8, 9. Act. 4. 24. & 14. 15. & 17. 24. *Altera causa est cur id credendum sit de Deo, quòd cælum & terram creärit; quod nisi certò id nobis persuasum esset, nullam causam haberemus credendi, Deum singulorum hominum*

curam

curam habere; atque eâ ratione animum ad illi obediendum nunquam induceremus.

Quæst. 4. *Ex hàc tua responsione perspicio, nihil esse, cur rogem, quamobrem Deus singulorum hominum curam habeat, & obtemperantes sibi remuneretur; quare expone mihi, quænam sunt, quæ ad voluntatem Dei pertinent, quæ ad eos propriè spectant, qui vitam æternam consequentur.*

Resp. *Sunt ea quæ Deus per Iesum Christum nobis patefecit.*

I. Quod distinctionem illam generalium & specialium credendorum de voluntate Dei attinet, dico: veram eam esse, si Theologiam naturalem spectes, ex qua tria illa quadantenus sciri possunt, de rerum creatione, de providentia, de boni remuneratione; Distinctè verò omnes in universum homines istorum ex voluntate Dei revelata participes fuisse, falsum est. *Quia indicat verba sua Iacobo, statuta sua & jura Israeli. Non fecit ita ulli genti* Psal. 147 19, 20.

II. Credenda autem ista sunt de Deo, tum quòd ea credi velit Deus, tum ut à creatione ad Providentiam argumentaremur, ut non malè observat autor Catecheseos. Addo, ista tria cognitu summè esse necessaria, ad cognoscendam veram Filii Dei & Spiritus S. Deitatem; quippe quibus creatio, providentia, retributio, effectus soli Deo proprii, tribuuntur ii Deus sunt.

III. Ac Christum omnium rerum creatorem esse testatur scriptura *Ioh. 1. 3. & 10. 1. Cor. 8. 6. Coloss. 1. 16. Heb. 1. 1, 2. 10, Apoc. 3. 14.* Conservatorem *Col. 1. 17. Heb. 1. 3.* Retributorem, *Apoc. 22. 12.* Ecce venio citò, & merces mea mecum. Spiritum S quoque creatorem esse liquet Psal. 33. 6. *Verbo Iehovæ cæli facti sunt, & Spiritu oris ejus, totus exercitus eorum.* Conservatorem *Genes. 1. 2.* Ubi per Spiritum Dei moventem se super aquas non intelligitur *Angelus*, ut voluit Cajetanus Cardinalis, quia moles primigenia, à Deo ipso sustentata, tali motore non indigebat. Neque *Elementum ignis*, ut placuit Francisco Valesio; quia ille totius naturæ, non tam conservator, quàm destructor est. Non *Aer*, quia & ille ante expansum, secundâ demum die creatum, nondum

dum extitit. Non *ventus*; quia hic nil aliud est nisi aer motus, sicut ergo aer tum nondum fuit, ita nec ventus. Nec denique peculiaris *Dei virtus vel efficacia*; nam illa non per nomen *Spiritus*, sed per verbum *incubabat* significatur. Intelligitur ergo hoc loco Spiritus S. omnia suapte virtute & efficaciâ creans & conservans. *Remuneratorem* 1. *Cor.* 12. 11.

IV. Necessaria ergo est doctrina Creationis, Providentiæ, Retributionis, non tantùm omnibus in genere, sed etiam singulis in specie, ut Christum & Spiritum sanctum ex ea tanquam verum Deum agnoscant, providentiâ, retributione Filii & Spiritus sancti se solentur, atque eos ut verum Deum, ament, colant, obsequium illis præstent.

V. Et hoc κρίσιν nostram meretur, quod dicit *quæst.* 4. *Sunt ea, quæ Deus per Iesum Christum nobis patefecit.* Præsupponere eum esse quædam, quæ per Christum patefacta non sunt. Cum Christi propheticum munus, non tantùm in Novo, sed etiam in Veteri testamento fuerit exercitum, & ejus Spiritu acti fuerint sancti Dei homines, in iis quæ loquuti sunt, ac scripserunt.

De Cognitione Domini Christi

Ac Primo

De ipsius Essentia.

Cap. I.

De Persona Christi.

QVæst. 1, *Quoniam ea per Iesum Christum patefacta esse dixisti, quæ ad voluntatem Dei spectant, & ad eos propriè pertinent, qui vitam illam immortalem consecuturi sunt, rogatum te velim, ut mihi ea de Iesu Christo exponas,*

ponas, quæ me scire oportet?

Resp. *Benè. Sciendum itaque tibi est, quædam ad Essentiam (* personam, *habet germ. Catech.) Iesu Christi, quædam ad illius munus referri, quæ te scire oportet.*

Quæst. 2. *Quænam ea sunt, quæ ad personam ipsius referuntur?*

Resp. *Id solùm, quod naturâ sit homo verus, quemadmodum eâ de re crebrò scripturæ sacræ testantur. Inter alias* 1. *Tim.* 2. 5. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. & 1. *Cor.* 15. 21. Quia enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum. *Qualem Deus olim per Prophetas promiserat, & qualem etiam esse testatur fidei Symbolum, quod vulgo Apostolicum vocant, quod nobiscum universi Christiani amplectuntur.*

I. Christum verum esse hominem multis argumentis à nostris demonstratur, tum ex Veteri, tum ex novo testamento. *Gen.* 3. *Semen mulieris* &c. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Esa 7. 14. *Puer natus est nobis.* Esa. 9. 6. Hinc *fructus ventris* Mariæ vocatur *Luc.* 1. 42. & *Luc.* 1. 35. Angelus ait, *quod ex te nascetur.* Rom. 9. 5. *Qui est ex Patribus secundùm carnem*, hinc illa Christi genealogia. *Math.* 1. & *Hebr.* 2. 14. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem.*

II. Veruntamen id tantùm de Christo scire nos debere inficiamur. Loca ab authore allegata id minimè probant. Testantur ea Christum esse hominem, præsupponunt eum verum hominem; sed eum *tantùm* esse hominem verum, idque de eo *tantùm* sciri debere quoad ejus personam, minimè testantur. Non *primus* quo Christus dicitur *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

III. 1. Quia eo ipso quod mediator dicitur, non dicitur *tantùm* esse verus homo. Mediator enim esse non potuit, qui non simul esset verus Deus; quia pura & nuda creatura non fuisset solvendo, pro de-

merito peccati infinito. Mediator debuit esse *Propheta*, *Sacerdos*, atque *Rex* eorum, quorum est mediator. Quatenus *Propheta*, non tantùm externè, sed etiam internè debuit docere. Hinc illud: *illuminat omnem hominem venientem in mundum* Joh. 1. 9. At hoc ipsum præstare non potuit nisi Deus fuisset. Dei enim est dare oculos advidendum, cor ad intelligendum. Quatenus *Sacerdos* debuit offerre pro iis, quorum erat mediator, simulque pro iis intercedere. At neque oblationis meritum infinitum esse potuit, neque intercessionis valor infinitus, nisi subjectum offerens, intercedens, fuisset infinitum, hoc est Deus. Quatenus *Rex*, opera diaboli destruere, suosque subditos ita tueri debuit, ut virtute ejus ad vitam æternam, quam acquisiverat, custodirentur, quo minus è manibus ejus, quæpiam ovium raperetur. Ad quod divina requiritur potentia *Ioh. 10. 29. 30.* Ergo & essentiâ.

IV. 2. Quia τὸ *Homo* hoc loco non *abstractum* est, naturam specificè humanam denotans, sed *concretum*, denotans personam, ex utraque natura *quasi* constantem, humana scilicet & divina. Aliter hoc loco à Theologis accipitur abstractum & concretum, atqui à Logicis, quorum abstractio vel à *connotatione subjecti* est, vel ab *inferioribus*. Nam per *concretum* hic intelligitur *persona*, per *abstractum* natura. Persona denominatur ab alterutra natura in concreto; ut *homo Christus*, non significat humanitatem tantùm, sed totam personam, humanam scilicet & divinam naturam. *Christus Deus* non significat Deitatem tantùm, sed Christum Deum & hominem. Abstracta efferuntur vel *absolutè*, ut humanitas Christi, divinitas Christi; vel *limitatè*, verbi gratia Christus homo quatenus homo, quatenus Deus, quâ Deus, quâ homo, quale illud est. *Rom. 9. 5. Ex quibus Christus est quoad carnem.* quis hic non videt, abstractum, humanam scilicet Christi naturam indigitari? Item *Act. 20. 28. Ecclesiam Dei, quam ille proprio sanguine acquisivit*, quo loco etsi de persona dicatur, quòd Ecclesiam sanguine redemerit, tamen secundùm quam naturam id intelligendum sit, ex voce *sanguinis* liquet. Olim Alexander Magnus Aulicos suos, assentationis ex eo convicit, quòd eum Deum dicerent, cum ex se vulnerato sanguis manaret.

V. Ergo illud 1. Tim. 2. 5. *Homo Christus Iesus*, concretum est hoc loco, & utraque natura intelligitur; etsi ab alterutra fiat denominatio, quæ non præscribit, quo minus altera quoque natura intelligatur, nisi expressâ vel implicita limitatione ad

ne ad

ne ad alterutram determinetur. Quod cum hîc non fiat, per *Hominem Christum Iesum* non tantùm humanam, sed etiam divinam naturam in concreto intelligi oportet; cum, ut supra dictum, secundùm utramque sit mediator.

VI. Eodem modo vindicatur & alter locus 1. *Cor.* 15. 21. *Quia per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum.* Dicitur hîc Christus homo, an tantùm verus homo *exclusivè*, ut nihil sit nisi verus homo? Subjectum determinat Apostolus, per quod resurrectio mortuorum fidelibus obtinget, per Christum *hominem* nempe. Rectè. Quia ut Christus secundùm divinam naturam mori non potuit, ita nec resurgere. Etsi verò resurrectio mortuorom sit ἀποτέλεσμα utriusque naturæ, tamen denominatio personæ hic fit ab ea natura, quæ merendo, nobis jus resurrectionis acquisivit. Et quia ut diximus ad locum præcedentem, vox hominis concreta est, notat utramque naturam; & per modum loquendi, qui ex communicatione idiomatum oritur, tribuitur uni naturæ, quod utriusque est effectum, totique competit personæ, quæ ab hac natura tantùm denominatur, non alteram excludit, aut negat.

VII. Porro, quod dicit: *Christum naturâ esse verum hominem, qualem Deus olim per Prophetas promiserat*, id partim verum est, partim falsum. Verum, Deum per Prophetas promisisse Christum futurum verum hominem, hinc *Semen mulieris*, *Surculus ex radice Isai*, *Puer natus* &c. passim dicitur. Deum autem per Prophetas promisisse talem Christum, qui *tantùm* futurus erat verus homo, præterea nihil, id falsum est. Quia Messias *Esa.*9. 6, 7. dicitur futurus, *Deus fortis*, *Pater æternitatis, Princeps Pacis*, *cujus principatus amplitudini & paci nullus erit finis* &c.

VIII. Denique fidei Symbolum, quod Apostolicum vocant, Christum etiam verum hominem esse testatur, ait. Quis negat? Est verus homo; quia quoad humanam naturam natus ex Maria virgine, ex ipsius substantia factus, *factus ex muliere*, Gal. 4. 4. *fructus ventris Mariæ* Luc. 1. 42. Et quantumvis eum verum hominem verbis confiteantur Sociniani, hypotheses tamen eorum ostendunt, non convenire fidem cordis, cum professione oris. Nam *primò*, de conceptione Christi in utero Mariæ Mennonizant, & consequenter nobis in omnibus similem esse, excepto peccato, negant. Nam si in omnibus essentialibus nobis Christus similis est, etiam in conceptione similis sit oportet. At nos carnem ex substantia parentum acipi-

cipimus. Ergo & Christus secundùm humanam naturam, taliter conceptus fuit; aut Apostolo dicendum fuisset, eum nobis per omnia similem fuisse, excepto peccato & conceptione. Nihil autem excipit in Christo, quod nobis simile non sit præter quam peccatum. Qui autem negat Christum nobis per omnia similem fuisse, is negat Christum verum hominem.

IX. Secundò, Christus verus homo, quâ homo, non tantùm *olim* fuit, sed *etiamnum* EST *ex Patribus secundùm carnem*. Rom 9.5. At Socinianorum Christus jam non est ex Patribus. Nam carnem quam olim ex Maria habuit, abolitam esse docent. Vide Smalcium in Refut Smiglecii cap. 17. *Negamus*, inquit, *Christum modo carnem habere, idque nec à scriptura affirmari, nec ex ea concludi posse, persuasum habemus.* Qui autem non credit Christum etiamnum carnem habere, is non credit eum esse verum hominem.

X. Quod si Symbolo Apostolico subscribant Sociniani, cum omnibus Christianis, eccur non eodem etiam modo subscribunt? Omnes Christiani in Symbolo Apostolico Christum non tantùm verum hominem confitentur, sed etiam verum Deum, quia eum statuunt una cum Patre objectum fidei suæ salvificæ & cultus religiosi: *Credo* in *Deum Patrem*, *Credo* in *Jesum Christum.* Objectum autem fidei salvificæ, & cultus religiosi, minimè aliquis esse potest, qui non sit verus naturâ Deus.

Quæst. 3. *Ergo Dominus Iesus est purus homo?*

Resp. *Nullo pacto. Etenim est conceptus è Spiritu S. natus ex Maria virgine, eoque ab ipsa conceptione & ortu filius Dei est, ut ea de re* Luc. 1. 35. *legimus, ubi Angelus Mariam ita alloquitur:* Spiritus sanctus superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit te, ideoque & quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Ut alias causas non afferam, quas postmodum in Iesu Christi persona deprehendes, quæ evidentissimè ostendunt, Dominum Iesum pro puro homine reputari nullo modo posse.*

Di-

XI. Dixit superiore quæstione, Christum esse verum hominem, in quo tantùm abest ut Adversario contradicamus, ut ostenderimus nos rectius veritatem humanæ Christi naturæ credere. Præsente quæstione quo errorem suum incrustet, neque omnino contemptim de Christo loqui videatur, dicit, eum, etsi *verus homo* sit, non tamen esse *purum hominem*. Idque *quia Filius Dei est ab ipsa conceptione & ortu*. At explicandum erat Adversario quid τὸ esse filium Dei à conceptione, supra purum hominem inferat: & quidnam sit illud, quod eum supra purum & nudum hominem evehat. An illud consistat in ipsius substantia Christi, an verò in accidentibus? Et, si in substantia, an eo non sit purus homo, quod propius ad naturam angelicam accedat ac nos, vel ad divinam? At testatur Spiritus Sanctus expresse *Heb.* 2. 16. *Eum non Angelos assumpsisse, sed semen Abrahæ*, hoc est, non Angelicam, sed humanam naturam.

XII. Et cum natura humana non sit vel pura vel mixta, excellentior vel minus excellentior; (Nam Deus fecit ex *uno* sanguine totam hominum gentem. *Act.* 17. 26.) Ergo etiam Christus, quoad humanam naturam, non potest non dici, *purus homo*, ut *qui per omnia fratribus similis est*. Heb. 2. nisi demonstret, dari aliquam mixtam hominum naturam, & communi nostra præstantiorem.

XIII. Præterea si Christus ex eo purus homo non est, quia ab ipsa conceptione & ortu filius Dei est, etiam fideles & electi non erunt puri homines, quia & illi filii Dei sunt, ab æterno, ante conceptionem in utero, destinati. At, *inquies*, Christus non ejus generis est Filius Dei, cujus fideles sunt adoptivi: Qualis ergo? Aut adoptivus aut naturalis, tertii generis filii Dei non dantur. Et, si non adoptivus; Ergo naturalis. Si naturalis; ergo ejusdem cum Patre naturæ. Ergo quia Pater divinæ naturæ, etiam Filius divinæ naturæ sit oportet, aut filius naturalis non est. Si adoptivus; Ergo quoad humanam naturam purus homo, nisi iterum adoptionis modum aliquem, super eum quo electi adoptantur excellentiorem comminiscatur.

XIV. Fortè dicet, quod dicere velle videtur, adoptionis modum Christi, nostro esse excellentiorem, ob conceptionis Christi, supra nostram, eminentiam. Ille enim ex Spiritu S. conceptus, hoc est, efficiente conceptionem ipsius in utero Mariæ; nos ex libidine viri & carnis concepti sumus *Joh.* 1. 13. atque propter hanc conceptionem dici filiùm Dei. *Resp.* Nihil tale.

Christum secundùm humanam naturam, ob mirabilem conceptionem ex Spiritu Sancto, dici Filium Dei nego. Rem ex Clarissimo Praeceptore meo Maccovio sic explico, atque probo.

XV. Ad *Rom.* 1. 3, 4. Ubi de Filio ita loquitur. *Qui factus est ex semine David secundùm carnem, declaratus Filius Dei potenter, secundùm Spiritum sanctificationis.* Quo loco docere vult Paulus, secundùm quam naturam Christus sit Filius Dei; nempe non secundùm carnem, sic enim est ex semine David, & filius hominis, non Dei; sed secundùm Spiritum sanctificationis, secundùm quem declaratus est Filius Dei potenter. Ipsa oppositio indicat, non secundùm utramque rationem Christum esse Filium Dei, sed secundùm unam tantum; alioqui, si ex utraque ratione esset Filius Dei, dixisset Paulus, tam secundùm carnem, quàm secundum spiritum esse Filium Dei: neque aliud quid dixisset esse secundùm carnem, aliud esse secundùm Spiritum. Et sicut scripturis repugnat Christum secundùm carnem dicere Deum, Rom. 9. 5. cum caro & Deus sint opposita; ita repugnat secundùm carnem dici Dei Filium; quâ enim ratione quis Filius Dei dicitur, Deus quoque dici potest. Ita ut in scriptura ista duo sint synonyma, & pro uno eodemque sumantur, ut Psal. 82. 6. *Ego dico, Dii estis, & filii excelsi vos omnes.* Et Christus, cum illi *Joh.* 10. 33. exprobarent Judaei, quòd se faceret Deum, pro eo, quòd dicere debuisset, *Deus sum*, substituit illud, *Filius Dei sum.* Adeo, ut Deum esse, & Filium Dei, scilicet naturalem, esse, aequipolleant.

XVI. Urgent Adversarii in contrarium verba Angeli, ut liquet è Catechesi: *Spiritus S. superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit te, ideoque & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* Luc. 1. 35. Vis argumenti praecipuè est in particula, *ideoque*, quam hîc volunt esse causalem, propter quam scilicet Christus vocandus sit filius Dei, nimirum propter miraculosam conceptionem ex Spiritu sancto. Verùm, id nullo modo ex hac particula inferri potest. Quae etsi quandoque causalis sit, & index causae, ob quam hoc vel illud fiat; tamen id non semper verum est; quia saepe est consequentiae & *illationis* indigitamentum, ut liquet à particulis synonymis, *quare, quamobrem, quocirca.* Esse autem hoc loco, particulam istam, tantummodo *illativam*, textus circumstantiae ostendunt.

XVII. *Primò.* Illa verba, *vocabitur Filius Dei.* Si ob modum conceptionis Christus dicitur ab Angelo Filius Dei, tum necesse fuit, ut vel

vel Christus se ipsum ea de causa Filium Dei vocarit, vel ab aliis eam ob causam Filius Dei vocatus sit, si verificari debuit Angeli prædictio. Atqui Christus nec se ipsum ex ea causa Filium Dei unquam vocavit, nec à quopiam vocatus est. Ergo modus iste conceptionis, non est causa, cur Christus vocari debuit Filius Dei.

XVIII. Ajunt contra Minorem: Etsi non legatur Christus ob eam causam appellatus Filius Dei, nontamen sequitur, appellatum non esse, aut appellari non potuisse. Fieri enim potest, ut aliquid factum sit & tamen non scriptum: & quamvis à nemine factum sit, tamen id jure fieri potuisse. At suspecta est explicatio, cujus nullum adduci potest exemplum. Christum enim plurimis locis legimus appellatum Filium Dei; at ne uno quidem loco eum secundùm carnem Filium Dei vocatum legimus, cum tamen Angelus, non vocari posse, sed reipsa vocandum esse, publicè prædixerit. Quia ergo id nuspiam scriptum extat, vero simillimum est, nunquam eo sensu fuisse appellatum.

XIX. *Secundò*. Christus Filius Dei dicendus erat, quia *sanctus*, dicente Angelo, *ideoque & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quibus verbis Christus Filius Dei dicitur, non ob modum concipiendi, sed ob rem sanctam. Quæ verò, qualis & quanta fuerit illa sanctitas, ab Angelo quidem hîc non exponitur, intelligi tamen debet illa summa sanctitas, quæ in verum filium Dei cadit. Et hîc Adversarii *Replicant* Christum dici sanctum, quia miraculosè conceptus, idque, quia singulare, sanctum dici, veram autem sanctitatem in infantiam non posse cadere. Quam pueriliter! Ergo chimerica est illa sanctitas, quâ liberi fœderatorum fidelium sancti dicuntur. Præterea, sacræ literæ aliter loquuntur de sanctitate infantiæ Christi. Esaias *cap. 9. ꝟ. 6. Deum* vocat· Elizabetha *Dominum suum*. Luc. 1. Angeli, *Christum Dominum* Luc. 2. 11. Magi coram eo procidunt, eumque cultu reliogioso, ut Deum sanctum, adorant. Sanctus ergo fuit hic infans sanctitate naturali divinâ, sanctitate Filii Dei, non verò miraculosa existentiâ.

XX. *Tertiò*; Illud *ideo* hic non esse *causale*, sed *illativum* liquet à particula copulativa καὶ *&*, post διὸ *ideo*. Cur Angelus isti *ideo* subjunxit καὶ &? Ad conjungendam enim orationem sufficiebat dixisse, ideoque quod nascetur. Ne igitur eam quis otiosè additam credat, comparationem indicat, ut sensus sit, non solùm illud verbum, quod ex Deo ab æterno natum est, Filius Dei est, sed *& quod ex te nascetur* sanctum

ctum vocabitur filius-Dei, quia nimirum ille filius Dei æternus ex te naſcetur, & carnem aſſumet. Hoc verò eſt unum ex illis quæ Spiritus S. superveniens in virginem, effecturus prædicatur, nempe ut ſine viro concipiat, & concipiat eum hominem, qui ab æterno eſt Filius Dei ſecundùm divinitatem; quod non alia ratione præſtari potuit, niſi Spiritu S. humanam naturam perſonæ Filii uniente. Contendit equidem alicubi Adverſarius particulam καὶ & eſſe otioſam, atque ſuperfluam. Sed hoc blaſphemum eſt affirmare, Spiritum S. aliquid otioſè, ſcribentibus res ſacras, indidiſſe, dictaſſe; quaſi verò Spiritus ſanctus ex eorum ſit numero, qui vel accommodatè loqui neſciunt, vel quibus aliquid otioſi per incogitantiam excidit, vel etiam, qui otioſis verbis delectantur. Ne jota quidem aut apicem Salvator periturum dicit codicis ſacri; imò ſi quid perire debeat, potius cælum periturum, quam jota unum ex divinis. Quo ipſo innuitur, nullum apicem vel jota eſſe ſuperfluum, in ſcriptura.

XXI. Denique, dicit Angelus, Chriſtum vocandum *Filium, non Spiritus S. ſed Dei*, nomine Dei, Deum Patrem intelligens. At, ſi modus conceptionis cauſa eſſet hujus nomenclaturæ, ſanè Chriſtus Filius Spiritus S. propriè dicendus eſſet, & Spiritus ſanctus, Pater Chriſti, ſi quidem non ex Deo Patre, ſed ex Spir. S. dicitur conceptus. Ergo ab his quatuor rationibus liquet, illud *ideoque*, in Angeli verbis, non eſſe *cauſale*, ſed *illativum* tantùm, hoc eſt conceptionem Chriſti quoad humanam naturam mirabilem, non eſſe cauſam, ob quam Chriſtus Filius Dei vocatur. Adeoque verum eſt, quod diximus, nimirum Chriſtum ratione humanæ naturæ in abſtracto nunquam vocari Filium Dei. Et conſequenter *τὸ quia conceptus ex Spiritu ſancto*, non arguit, Chriſtum non eſſe purum hominem. Quanquam enim ex Spiritu ſancto conceptus, tamen ita conceptus, ut nobis in omnibus humanis, puta *miſerabilibus*, non *culpabilibus* eſſet ſimilis. Ergo conceptione iſta Chriſtus non eſt ſupra puritatem naturæ humanæ evectus

XXII. Confitemur ergo Chriſtum nudum & purum hominem, hoc eſt, qui non excellentiori modo, quàm nos fuerit homo, ſed nobis per omnia ſimilis quoad humanam naturam; Cum ſpecies humana nuſpiam legatur diſtincta in puram & mixtam, quæ purâ ſit excellentior. Sed præter, hanc nudam & puram humanam in Chriſto *θεανθρώπῳ* credimus, adoramus, colimus divinam naturam, quæ humanæ unita, eam facit excellentiori modo exiſtere, nimirum non in ſubſiſtentiâ propriâ ſed ſubſiſtentiâ τοῦ λόγου.

Alias,

Alias, quas dicit, causas nos deprehensuros, quæ evidentissimè ostendent, Christum pro puro homine non posse reputari, ubi se obtulerint, ventilabimus.

Quæst. 4. *Dixeras paulò superius, Dominum Iesum naturá esse hominem: an idem habet naturam divinam?*

Resp. *Nequaquam. Nam id non solùm rationi sanæ, verum etiam divinis literis repugnat.*

Quæst. 5. *Cedò quî rationi sanæ repugnet?*

Resp. Primò *ad eum modum; quòd duæ substantiæ proprietatibus adversæ, coire in unam personam nequeant, ut sunt; mortalem & immortalem esse; principium habere & principio carere, mutabilem & immutabilem existere.* Deinde. *Quòd duæ naturæ personam singulæ constitutentes, in unam personam itidem convenire nequeant. Nam loco unius duas personas esse oporteret, atque ite duos Christos existere, quem unum esse, & unam ipsius personam, omnes citra omnem controversiam agnoscunt.*

XXIII. Etsi res divinæ ad libellam rationis nostræ appendendæ non sint, ut hoc, quod rationi nostræ est conveniens, pro vero habeatur, quod non, rejiciatur. Quia Deus nuspiam in scriptura mysteria religionis rationis legibus subjecit, ut ad eas tanquam ad normam examinarentur, adeo ut ratio nostra captivari debeat sub obedientiam fidei, etiam in talibus quæ videntur contraria rationi. Tamen negamus in religione quippiam esse contrarium rationi sanæ, etsi multa sint, quæ rationem nostram excedant, & quorum rationes ob imbecillitatem intellectus nostri, nos fugiunt. Et in hypothesi negamus, vel rationi sanæ, vel scripturæ repugnare, Christum præter humanam, divinam quoque habere naturam.

XXIV. Excedit hoc ipsum rationem nostram, quæ imperfectè illuminata tantùm est, ac proinde, ut ex parte & *per speculum* tantùm cernit, ita & *aliquatenus* tantùm

novit. Sed quia excedit & superat, eo ipso quia superat, non repugnat. Hinc manifestatio Dei in carne mysterium vocatur. *1. Tim. 3. 16.* Sed repugnare nihilominus id rationi sanæ dicit. Cur, quare, quamobrem?

XXV. Primò. *Quia duæ substantiæ proprietatibus adversæ, coire in unam personam nequeunt.* Dicit: 1. duæ substantiæ coire non possunt. Certè hæc ratiocinatio non est sanæ rationis. Quia hoc nec in naturalibus verum, nec in artificialibus. *In illis* corpus & anima in unam personam coeunt; *in his* ex multis materialibus substantiis una fit domus. Quod ergo non repugnat rationi in *natura naturata*, quomodo in *natura naturante* repugnabit? 2. Ait, duæ substantiæ *proprietatibus adversæ* in unam personam coire nequeunt. Quidni? Corpus & Spiritus duæ sunt substantiæ proprietatibus adversæ, quia illa corporalis, hæc spiritualis; illa visibilis, hæc invisibilis; illa rationalis, hæc irrationalis, & tamen in unam, scilicet hominis coeunt personam. Fit hoc naturaliter, quidni supernaliter? Hic una est hominis tantùm natura, ex qua ut partibus humana constat persona; & tamen in *eadem* persona adversæ coeunt proprietates, præter enumeratas, etiam mortale & immortale esse.

XXVI. Quid ergo contra rationem est, si in Christi persona coeant, ut duæ substantiæ adversæ, ita adversæ etiam proprietates, in *diversis* naturis? Rationi repugnaret, si de corpore humano in abstracto diceretur, quod sit, eodem tempore, secundùm idem, corporale, spirituale; visibile, invisibile; mortale, immortale. Item rationi repugnaret dicere animam in abstracto consideratam, esse rationalem, irrationalem; visibilem, invisibilem; corporalem, spiritualem &c. Sed non repugnat, rationi dicere, hominem esse corporalem & spiritualem; visibilem, invisibilem; mortalem, immortalem. Quia id verificatur & coit in partibus essentialibus, animæ, quæ invisibilis, spiritualis, immortalis; corporis, quod visibile, corporale, mortale.

XXVII. Ita quoque sanæ rationi repugnaret, si diceretur, Christum, secundùm unam eandemque naturam habere principium, & non habere; mutabilem esse, & immutabilem existere; mortalem esse, immortalem esse; verbi gratia, Christus quoad divinam naturam est æternus & non æternus, cum principio, sine principio; quoad humanam, mutabilis immutabilis &c. Id rationi repugnaret. At verò nequaquam repugnat rationi sanæ, si mutabilitas, immutabilitas prin-

principio carere, & principium habere, mutabilem & immutabilem existere, in Christi naturis diversis, non *confusè*, sed *distinctè* unitis coeat; ut patibilis & impatibilis, hinc persona dici queat, secundùm scilicet diversas naturas.

XXVIII. Deinde rationi sanæ ait repugnare, statuere in una Christi persona duas naturas, humanam scilicet & divinam. *Quòd duæ naturæ personam singulæ constituentes, in unam personam itidem convenire nequeant.* Fateor duas esse personas, naturam divinam Christi, & humanam scil. Petri, Pauli, &c. Sed Christi divinam naturam, ejusque humanam naturam, duas esse personas, inficior. Quia Christi humana natura per se non est persona, sed naturæ divinæ, quæ sola personalitem constituit, quæque eam assumsit in ὑπόστασιν suam, est adjunctum ἐνυπόστατον. Fuit enim Filius Dei secunda Deitatis persona, antequam Deus in carne manifestaretur, ac sermo caro fieret. Ergo quia duæ in Christo naturæ, non duæ sunt personæ, sed una tantùm earum, divina scilicet quæ habet esse personale, coire in unam personam possunt.

XXIX. Ergo vanum illud, quod ex præcedentibus elicit *Unius loco duas oportere esse personas, duos Christos, cum tantùm unum esse extra controversiam sit.* Quia ex præcedentibus Orthodoxè secundùm Scripturam explicatis nihil minus sequitur, quàm duas esse in Christo personas, duos esse Christos; cum natura humana persona non sit, nec propriâ personalitate subsistat, sed personalitate τοῦ λόγου sustentetur: Adeo, ut non *geminus* sit Christus, sed *unus* ut loquitur scriptura, *Mediator*, Dei & hominum, homo Christus Jesus.

XXX. Dum autem dicimus has duas naturas unam esse personam, non statuimus, eas esse partes personæ Christi, è quibus illa, ut totum constituatur. Namque natura divina nullam ingreditur compositionem cum re ulla; esset enim hoc pacto pars, & minor toto, cujus esset pars, quod de infinita natura dici nequit, quæ majus se nihil habet. Est ergo divina natura Christi per se persona, & erat jam ante incarnationem persona. Natura humana est adjunctum ἐνυπόστατον.

XXXI. At, *inquies*, Si duæ naturæ, duæ etiam personæ *Resp.* Si duæ naturæ, quarum unaquæque subsistentiâ suâ personali subsistit. At sic cadit Minor. Quia illa natura quæ personaliter subsistebat, eam, quæ subsistentia personali carebat, in hypostasin suam assumpsit. *Hebr. 2. 15. Phil. 2. 7.*

XXXII. *Instant.* Si Christi humana natura assumpta sit in hypostasin divinæ naturæ; Ergo 1. Chri-

Christus nobis non est per omnia similis; nos enim propriam habemus hypostasin. 2. Præstantior erit humana natura nostra, humanâ Christi naturâ. Quia nostra habet propriam suam subsistentiam, Christi non. Sed *Resp.* *Ad prius*: Christum nobis similem esse in omnibus, quoad *naturam* scilicet, non verò quoad *hypostasin*; idque volunt loca illa, quibus dicitur, assumpsisse semen Abrahæ, eumque nobis per omnia similem factum, puta ratione naturæ. Hinc etiam dicitur Christo corpus adaptatum. *Hebr.* 10. 5. Quod sufficit.

XXXIII. Ad *posterius*, Ergo humana Christi natura minus præstans est nostrâ naturâ, cum hæc subsistat subsistentiâ suâ, illa alienâ. Dico: Non sequi. Enstasin do. Anima sensitiva in homine, licet per se non sit forma alia ab anima rationali existens, sicut in brutis, non tamen inde sequitur, eam in homine minoris esse præstantiæ, ac in ipso bruto, & in bruto esse nobiliorem, animam illam sensitivam, quàm in homine. Imò anima sensitiva nobilius habet esse, in anima rationali, quàm in bruto, & quàm si per se, ab illa separata, subsisteret. Unaquæque enim res nobilius habet esse, cum unitur rei nobiliori, quam cum per se existit. Ita corpus & anima rationalis, id est natura humana in sermone illo æterno subsistens, longè nobilior est præstantior, atque dignior, quam si per se subsisteret, extra personam sermonis illius. Ergo tantùm abest ut subsistentia ista ἐνυπόστατον. Christi humanam naturam infra nostram depreciet, ut eam immane quantum, dignitate & præstantia supra nostram evehat.

Quæst. 6. *Cum verò illi ostendunt Christum sic natura divinâ & humanâ constare, quemadmodum homo ex anima & corpore constat, quid illis respondendum?*

Resp. *Permagnum hìc esse discrimen; Illi enim ajunt, duas naturas in Christo ita unitas esse, ut Christus sit Deus & homo. Anima verò & corpus ad eum modum in homine conjuncta sunt, ut nec anima, nec corpus, ipse homo sit. Nec enim anima nec corpus sigillatim hominem constituunt. At ut natura divina per se constituit personam; ita humana per se constituat necesse est.*

Hæ

XXXIV. Hæ sunt adversariorum artes, ut objectiones sibi forment, non quales revera ex sententia Orthodoxa formari debeant, sed quæ in cerebro suo natæ sunt, quo ita facilior sit earum solutio. Adeo, ut non cum Adversario, sed cum umbra sua videantur congredi. Quis unquam Orthodoxorum ita crassus fuit, ut unionem duarum naturarum in Christo per omnia, unioni corporis & animæ in homine æquipararet? Non ita rudes sumus, ut nesciamus, omne simile etiam esse dissimile: ac proinde simile non esse extra hoc tertium extendendum. Quis unquam ita loquutus est simpliciter, Christi personam ex humana & divina natura constare, quemadmodum homo ex anima & corpore constat? nisi illi *quemadmodum* additâ aliquâ limitatione, quo usque se illud *quemadmodum* extendendere debeat, restrinxerit? quia nuda ista propositio, Christi persona constat ex divina & humana natura, quemadmodum homo constat ex anima & corpore, vera non est. Homo enim constat ex anima & corpore tanquam partibus essentialibus. At verò persona Christi ex naturis, divina scilicet & humana, non constat tanquam ex partibus; sed divina per se personalitatem absolvens, humanam in suam hypostasin assumit.

XXXV. Ergo frustra, *permagnum inter ista discrimen esse* clamat Adversarius. Nemo negat. Est discrimen, idque permagnum; sed in quo? in aliis scilicet extra hoc tertium, in quo similitudo & convenientia à nobis instituitur. Instituitur autem in eo, quod in unione corporis ac animæ duæ distinctissimæ naturæ cum suis distinctissimis proprietatibus in unam coeant personam. Et hoc quoque fieri in Christi persona ex verbo Dei docemus, coire scilicet in ea naturas distinctissimas, quemadmodum etiam in ferro & igne contingit, quâ similitudine utitur pia Antiquitas, ad coitionem istam duarum in Christo naturarum quadantenus illustrandam. Adeo ut similitudo sit in τὸ coire, sed non in τὸ quomodo coire. Ac proinde malè infert Catecheseos autor: *Anima & corpus ad eum modum in homine conjuncta sunt, ut nec anima nec corpus ipse homo sit.* Quia ex his tertium resultat, quod ex compositione harum partium coit & nomen hominis sortitur. At verò in persona Christi res aliter habet, ubi ex divina & humana natura non fit tertium quid, sed ambæ naturæ unitæ, unam eandemque tantùm faciunt personam.

XXXVI. *At ut natura divina per se constituit personam; ita humana per se constituat necesse est*, ait. Quâ

necessitate id necessum sit, præter necessitatem consequentiæ, non video. Eâque, vel, quòd id rationi repugnet, duas naturas proprietatibus adversas in unam personam coire; vel, quòd inde videatur sequi, Christum quâ hominem hâc ratione non futurum per omnia fratribus similem. At necessitas ista utraque nulla est. Non *prima*. Quia diximus jam ante. 1. Ea quæ sunt supra rationem nostram, non esse contra eam. Tale autem est mysterium unionis naturarum duarum in Christo. *Deinde* contrariari saniori rationi negavimus, eò quòd simile quid in rebus creatis reperiatur, diversæque naturæ unum quid constituant. Nec *secunda*. Quia Christum, quâ hominem, diximus fratribus per omnia similem, quoad φύσιν non quoad ὑπόστασιν, id est, quoad *naturam* non *subsistentiam*.

Quæst. 7. *Doce etiam, qui id repugnet Scripturæ Christum habere naturam divinam?*

Resp. Primùm, *eâ ratione, quòd scriptura unum tantùm nobis naturâ Deum proponat, quem superius demonstravimus esse Christi Patrem.* Secundò, *eadem scriptura testatur, Iesum Christum naturâ esse hominem, ut superius ostensum est, quo ipso illi adimit naturam divinam;* Tertiò, *Quod quicquid divinum Christus habet, scriptura eum Patris dono habere apertè doceat.* Math. 28. 18. Phil. 2. 9. 1. Cor. 15. 27. Denique, *cum eadem scriptura apertissimè ostendat, Iesum Christum omnia sua facta divina, non sibi, nec alicui naturæ divinæ suæ, sed Patri suo vindicare solitum fuisse* Ioh. 5. 19. & 10. 25. *planum facit, eam divinam in Christo naturam, prorsus otiosam, ac sine omni causa futuram fuisse.*

XXXVII. Quatuor argumentis, sanè misellis, demonstrare conatur Adversarius, repugnare scripturæ, Christum præter humanam naturam, etiam divinam habere. Sed nullum horum argumentorum id efficere, palam faciam. Non *primum*, quo dicitur:

tur:

tur: *Scripturam unum tantùm nobis naturâ proponere Deum.* Etsi enim scriptura unum Deum proponat, quem talem essentiâ corde credimus, ore ad salutem profitemur; tamen id scripturæ non repugnat, si Christus statuatur habere divinam naturam. Repugnaret, si statueremus, in Christo naturam divinam aliam ab ea quæ est Patris. At dicimus & diximus millies, nos non tribuere Christo *aliam* à Patris essentia, sed *eandem.* Adeo ut hâc nostrâ sententia nihil quicquam statuatur contra scripturam, unum tantùm naturâ Deum proponentem. Quia Christus quoad divinam naturam est unus ille cum Patre Deus. An demonstrarit Adversarius, solum Patrem Domini nostri Jesu Christi oppositè & exclusivè ad Filium & Spiritum sanctum, non verò oppositè ad fictitia gentium numina atque idola, esse illum unum essentiâ Deum, Lector ex iis, ad quæ provocat, collatis conferendis, judicabit.

XXXVIII. Non *secundùm*, quo dicitur: *scripturam eandem testari Jesum Christum natura esse hominem, quo ipso*, inquit, *adimit illi divinam naturam.* Quia, scriptura si testaretur, Jesum Christum *tantùm* esse hominem, eo ipso, adimeret illi divinam naturam. At tantùm abest, ut scriptura eum testetur *tantùm* esse hominem, ut talia de eo prædicet, quæ nequaquam de Christo verificari possunt, nisi præter humanam, divina quoque in eo agnoscatur natura. Ut quod dicatur, *factus ex semine David*, & *Filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis.* Rom. 1. 3. *Ex Patribus*, & *Dominus laudandus in secula.* Rom. 9. 5. *Sanguis Christi*, & *æternus ejus Spiritus* Heb. 9. 14. *Nosse omnia* Joh. 21. 17. & *nescire diem judicii.* Marci 13 32. Esse ubique *Math.* 28 20. & *non est hic,* ibidem vers. 7. Quæ omnia clarius liquebunt, ubi ad vindicationem locorum horum, quos ille commentis suis enervare studuit, perventum fuerit.

XXXIX. Non *Tertium*, quo dicit. *Christum quicquid divinum habet habere ex dono Patris.* Quia τὸ habere ex dono Patris, notat vel habere *ex gratia* vel *ex natura.* Si Adversarius τὸ habere ex dono Patris, dicat idem esse, quod habere ex gratia, tum hoc sensu nego Christum omnia habere ex dono Patris. *Quia ut Pater habet vitam in se ipso, sic dedit & filio vitam habere in seipso* Joh. 5. 26. Quod de *dono naturali* intelligendum est, non de *dono* aliquo *gratiæ.* Habet enim Christus vitam in se ipso, per æternam ex Patre in essentia divina generationem. Quod si Pater hominis dicatur filio suo dedisse hoc quod sit homo, nequaquam id de

de *datione gratiæ*, sed *naturæ* accipiendum est. Ergo falsum est, quod dicit Adversarius, Christum quicquid habet divinum, habere ex dono Patris, scilicet gratiæ.

XL. Hoc si verum esset Christus infra divinam naturam, consequenter infra Deum de primeretur; quia Dei non est, accipere aliquid ex gratia, ita ut eo perficiatur. Et, si τὸ *dare*, simpliciter importat donum gratiæ, ac proinde majoritatem dantis præ accipiente; Deus ipse nobis inferior erit, quia dicitur: *date Deo quæ sunt Dei.*

XLI. Sed loca quæ allegat inspiciamus, ut liqueat, an ea, omne quicquid Christus divinum habet, donum esse gratiæ evincant. *Primus* est. Math. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, inquit Christus. Loquitur scilicet non de *potentia*, quæ *naturæ* est, sed de *potestate*, quæ est *officii Mediatoris*, secundùm quod Christo aliquid dari non est absonum. Sed quæstio est, an officium mediatorium Christi, omne divinum, quod in Christo est, exhauriat? quod nego. quia Christus Deus fuit antequam esset Mediator, quemadmodum Deus fuit Deus, antequam esset Creator. Loquitur inquam de potestate mediatoria datam eam sibi esse in cælis & interra, ut ea quæ in cælis & in terra essent, reconciliaret *Colos. 1. 20.* Si urgeas, loqui de potestate omni & in universum, tum inter dare *gratiæ*, & *naturæ* distinguo, ac prius contra divinitatem Christi præscribere concedo, posterius verò nego. *Nullius rei indiget, ut Deus, & tamen multa accipit ut homo. Naturæ humanæ proprium est à Deo accipere.* inquit Cyrillus, & lib. 2. in Johannem, cap. 144. *Habet semper omnia Pater, quæ Filio dedit, & Filius similiter semper habet: quæ se accipere, ut hominem, ait, ut ipse dicit: Pater diligit Filium, & potestatem dedit ei judicium facere*, quia Filius hominis est, &c.

XLII. Secundus est *Phil. 2. 9. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen super omne nomen.* Respond. pro nobis Chrysostomus in 1. *Cor.* 15. *Si æqualis, quomodo in summam hanc excellentiam extulit Deus? si in forma Dei, quomodo donavit ei nomen? Nam qui donat aliquid, non habenti donat, & qui extollit, quod humile prius erat, extollit. Quod si carnis dispensationem adjungas, tunc nihil erit quod erres.* Distinguit scilicet Cyrillus inter divinam & humanam naturam, atque secundùm hanc Christum esse exaltatum, nomenque supra nomen, id est authoritatem ac potestatem ei datam ait. (Nam de nomine Jesu formaliter verba interpretari ineptum est. Fuerunt & alii ejusdem nominis Jehoschua, Jesus Syrach, adeoque non fuit nomen

supra

supra omne nomen; & quid per nomen hic intelligendum sit à collatione loci *Act.* 4. 7. *quâ potestate aut quo nomine vos hoc fecistis*, patet.) Secundùm divinam negat. Cui nos subscribimus. Quod si necessariò etiam de divina natura sermonem esse quis contendat. Dicam, in scripturis sæpè aliquid dici fieri cum manifestatur. Applico. Dicitur ergo hic Christo nomen donatum, quia scilicet per & post resurrectionem Christus fuit potenter filius Dei declaratus; quemadmodum eodem sensu Christus orat, *Joh.* 17. 5. *glorifica me Pater eâ gloriâ, quam habui apud te, prinsquam mundus esset.* Quo loco non novam aliquam gloriam sibi Christus dari petit, sed, ut ea, quæ antiquitus sua erat, manifestaretur.

XLIII. *Tertius* est. 1. Cor. 15. 25. *Nam omnia subjecit sub pedes ejus.* Quæ verba non absolutè intelligenda sunt. Ipse Apostolus subjectum hoc, per prædicatum limitat, dicens, *quum autem dicit omnia, ei esse subjecta, palam est, hoc dici excepto eo, qui subjecit ei omnia.* Si enim absolutè omnia intelligenda essent, Sophistæ inferre possent: Omnia Filio sunt subjecta. Ergo & Pater Filio subjectus est. Ut subjecta Christo dicat, quæ scilicet subjecta sunt pedibus ejus, & quæ sunt subjectibilia. Atqui natura divina subjectibilis non est, sed subjiciens. Ergo dicitur his verbis, omnia subjecta esse pedibus ejus à Patre, ratione divinitatis, ita ut hic se habeat passivè humana natura Christi, activè verò Pater & ipse Filius. Imò vel ex eo ipso, quòd omnia Christi pedibus subjecta sunt, liquet, eum habere divinam naturam, secundùm quam illi omnia subjecta esse possunt, ex collatione *Esa.* 66. 1. *Sic ait Jehova cælum ipsum solium meum, & terra scabellum pedum meorum.* Ergo hactenus scripturæ non repugnat Christum habere divinam naturam.

XLIV. Nec denique *quartum* argumentum alicujus est momenti, quo dicit: *Christum omnia sua facta divina non sibi nec alicui naturæ suæ divinæ, sed Patri suo vendicare solitum fuisse.* Quod simpliciter sumptum falsum est. Vide *Joh.* 5. 17. *Pater meus operatur, & ego adhuc operor.* Quibus verbis se Patri æquat in operando, ac proinde etiam in essendo. Nam prout se res habet in operando; ita etiam se habet in essendo. Atqui Christus in operando Deo est æqualis. Ergo & in essendo. Hinc versu 21. dicitur: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, ita & filius, quos vult, vivificat.* Hinc *Joh.* 2. 19. *Destruite templum hoc & ego intra triduum excitabo illud.*

XLV. Sed Adversarius versum 19. capitis 5. Johannis urget. *Filius*

lius non potest à se ipso quicquam operari. Respondeo. Id nequaquam dici ob *potentia defectum* in Filio, sed ob *inseparabilitatem natura*; quia scilicet opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Sequitur versu 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, ita & Filius, quos vult, vivificat.* Unde liquet 1. Filium non omnia opera vendicare Patri. 2. Si vendicet, vendicare eum non eò, quòd similia non possit, ob defectum potentiæ, sed ob inseparabilitatem naturæ. Adeoque & hoc argumentum non evicit, scripturæ repugnare, esse in Christo, præter humanam, divinam quoque naturam.

Quæst. 7. *Atqui illi è scripturis illam divinam in Christo naturam asserere conantur?*

Resp. *Conantur quidem variis modis, idque dum student, aut è scripturis quibusdam evincere, quæ in iis non habentur; aut dum ex iis, quæ in scripturis habentur perperam ratiocinantur, ac malè rem suam conficiunt.*

XLVI. Conamur, nec irrito conatu, quo Adversarii scripturas à nobis pro Deitate Christi vera & æterna allatas, pervertere conantur. Quia è scripturis istis nihil studemus efficere, nisi quod aut per expressum in iis habetur, aut quod per proximam & infallibilem consequentiam ex iis sequitur. Perperam nos ex scripturis ratiocinari, ac malè nos res nostras conficere, probari debet, non dici. Si tamen perperam ratiocinari contingat, id non malitiæ, sed infirmitati Deus imputabit. Sed quia & ipse Catecheseos autor non tantùm dicere sed & probare velle videtur, age, audiamus!

Quæst. 8. *Quæ verò sunt illa, quæ illi de Christo è scripturis evincere allaborant, quæ illic non habentur?*

Resp. *Est illius, ut loquuntur, Proæternitas, quam duplici scripturarum genere probare nituntur, primum ejusmodi est, in quo proæternitatem hanc expressam putant; secundum licet expressa non sit, eam tamen colligi arbitrantur.*

Evin-

XLVII. Evincemus cum Deo, Æternitatem Christi, non tantùm scripturæ dictis nos expressam esse *putare*, sed etiam *esse*: & ex reliquis, eam, non tantùm nos arbitrari *posse* colligi, sed etiam necessariò & revera colligi *debere*. Demonstrativa est hac parte Theologia nostra, non conjecturalis, veritati & scientiæ, non opinioni innixa.

Quæst. 9. *Quænam sunt testimonia scripturæ, quæ videntur ipsis eam proæternitatem exprimere?*

Resp. *Sunt ea, in quibus scriptura testatur de Christo, ipsum fuisse in principio,* Ioh. 1. 1. *fuisse in cælo,* Ioh. 6. 62. *fuisse ante Abrahamum* Iohan. 8. 58.

XLVIII. Ita est, firmissimè ex his locis Filii Dei æternitas evincitur. Ex *primo*. Joh. 1. 1. & seq. quo dicitur: In *Principio erat sermo ille, & sermo ille erat apud Deum, eratque ille sermo Deus.* Justituti nostri non est prolixè super principium Euangelii Johannis commentari. Videatur Gomarus in Operibus, parte. 1. p. 267. Et Collationes Theologicæ de Principio Euangelii Johannis Cl. D. Coccei. Becmani Exercit Theolog. VII. Hoc tenendum est. Johannem hic loqui de *principio creationis*, quod equidem negant Sociniani, ac proinde de *principio Euangelii* interpretantur; sed principium creationis intelligi à textu est manifestum. Et, si ex subjecta materia, ut clamant Adversarii, vocis *principii* sensus hauriendus est, tum necessariò verba Johannis de principio creationis intelligenda sunt. Omnia enim per hunc sermonem dicuntur *esse facta, & absque eo factum est nihil*; quibus verbis Euangelista respicit, ad creationem cæli & terræ de qua *Gen* 1. 1. *In principio Deus creavit cælum & terram* & Psal. 33. 6. *Verbo Iehova facti sunt cæli.*

XLIX. Per λόγον Christum intelligunt. Rectè. Etsi frivola sit ratio, ob quam Christum hîc sermonem appellatum statuunt Sociniani, ut quia *sicut verbo hominis voluntas ejus cognoscitur; ita per Christum omnis Dei voluntas nobis patefit* Socinus. *Nos autem non ob quamvis cujusvis, sed ob perfectam perfectæ voluntatis divinæ revelationem, Christum sermonem Dei appellatum contendimus.* Smalcius. Cujus nomenclaturæ rationem ipse Slichtingius explodit, inquiens *Non sufficit ad tituli illius vim, & significationem exhauriendam dicere, quod nobis*

bis voluntatem Dei revelet & loco ipsius nos alloquatur; cum idem de omnibus & Prophetis & Apostolis, & Doctoribus ecclesiæ denique dici possit. Hoc ipso argumento, & meritò nullitatem istius nomenclaturæ evincit Becmanus Exerc. Theol. VII. dicens: Si revelatio divinæ voluntatis faciat, ut aliquis inde vocetur λόγος, etiam alii sic vocabuntur & nominatim Paulus. Nam suis annunciavit omne consilium Dei *Act.* 20. 27. Tantùm hærebit discrimen in modo. Nempe utrumque & Christum & Paulum voluntatem Dei annunciasse, at illum perfectius isto.

L. Nec alicujus momenti est, quod Smalcius apud eundem intorquet: *Ex eo*, inquit, *quod nemo illorum, qui divinam voluntatem annunciarunt, verbi nomine appellatus sit in scriptura, nec id sequitur, aliquem illorum ita appellari non posse, cum multa fieri potuisse nemo non intelligat, quæ tamen facta non sunt.* Quia rectè replicatur, non quæri hoc loco, quid possit fieri, sed quid factum sit. Nullum unquam divinæ voluntatis præconem & quidem singularem, ut Paulus, ideo λόγον, vocari meruisse. Itaque Johannem longè aliud intendere, quando λόγον nominat, eumque simul & in principio fuisse, & Deum fuisse notat.

LI. Ut ut sit, nobis sufficiat, Adversarios hoc dare, Christum per λόγον esse intelligendum. Hinc subsumimus. 1. λόγος Christus fuit in principio rerum creatarum, ἐν ἀρχῇ, pro quo est 1. Joh. 1. 1. ἀπ' ἀρχῆς. Ergo Christus fuit ab æterno. Nam dum dicit, *in principio erat verbum*, intelligit primum & ante omnia. Quæ interpretatio ex subjecta ratione ostenditur: *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt, & sine illo factum est nihil; quod factum est:* & mundus per ipsum factus est. Ut enim per λόγον mundus & omnia fierent, λόγος ante mundum & ante omnia esse debuit. Scriptura autem æternitatem per istam phrasin describit Psal 90. 2. *Antequam montes essent, antequam quicquam esset.* Ut idem sit ante mundum esse, & esse ab æterno. Nihil enim creatum ante mundum extitit, cum in principio Deus creavit cælum & terram. Quare quicquid ante mundum extitit, increatum fuit. Ergo cum λόγος fuerit in principio rerum creatarum, perquem mundus est creatus, supponitur fuisse ante mundum: & quia ante mundum, supponitur æternus, & quia æternus, supponitur Deus. Quia solus Deus est æternus.

LII. 2. Qui fuit in principio creationis, is præter humanam naturam, quæ in tempore ex Maria virgine nata est, habet quoque aliam naturam, scilicet divinam. Atqui

Atqui Christus fuit in principio creationis. Ergo præter humanam, divinam quoque habet naturam. Item: Qui sic fuit in principio creationis ut per eum omnia fierent, non tanquam instrumentum, sed causam efficientem principalem, is est Deus. Atqui Christus. Ergo. Porro. Qui fuit in principio rerum ut creator, ante principium rerum necesse est fuerit. Atqui Christus fuit in principio rerum ut creator. Ergo ante principium rerum fuerit, necesse est. Hinc. Qui fuit ante principium omnium rerum, ille est æternus Deus. Atqui Christus fuit ante principium rerum; Ergo est æternus Deus.

LIII. Ex *secundo* loco Joh 6. 62. sic argumentor pro Orthodoxa sententia. Qui in cælo fuit, antequam eò secundum humanitatem ascenderet, is præter humanam naturam habuit aliam, secundùm quam in cælo fuit prius ab æterno. Atqui Christus in cælo fuit antequam, secundum humanitatem eò ascenderet. Ergo præter humanam naturam aliam quoque habuit, secundùm quam in cælo fuit prius. Quæ alia esse non potuit quam divina. Filius enim hominis, quâ filius hominis in abstracto, non potest dici in cælis fuisse, antequam eò ascenderet. Novimus quid hîc more suo comminiscantur Sociniani. Dicunt: Christum jam hominem natum, in cælum prius raptum fuisse, quàm homines docere cæpit, ibique *per ipsam cum Deo conversationem, & collocutionem omnium eorum, quæ nos docuit, cognitionem consequutum esse.* Etsi quando & quomodo facta sit ista ascensio explicare nequeant. Smalcius lib. de Divinit. Jesu Christi cap. 4. de initiatione ad Propheticum munus. Quod commentum recitasse, refutasse est. Repugnat scripturæ analogia, dicens: cum *semel ingressum esse in sacrarium. Heb. 9. 12.* per quod cælum intelligi extra controversiam est. Nec quicquam in nomenclatura *Filii hominis*, situm est; quia Filius hominis concretum est, & personam denotat; adeo ut per communicationem idiomatum τὸ fuisse prius in cælo, tribuatur personæ in concreto, licet personæ conveniat tantùm secundùm alteram naturam. Dicimus ergo, cum Augustino. *Ut Deus in cælo prius fuit, non ut homo.* Cum Cyrillo: *prius ut Deus illic fuit.* Cum Teophilacto: *eò ascendit homo, ubi prius erat ut Deus.*

LIV. Ex tertio loco *Joh.* 8. 58. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι. *Amen dico vobis, priusquam Abraham existeret, ego sum.* Hoc modo. Qui fuit ante Abrahamum, ille præter humanam, (secundùm quam non potest dici ante Abrahamum fuisse, quia in plenitudine

temporis ex Maria nata est) divinam quoque habet naturam, secundùm quam est æternus. At Christus fuit ante Abrahamum. Ergo Christus præter humanam, divinam quoque habet naturam. Hæc sunt argumenta nostra, ab aliis fortè aliter, à me sic proposita. Quid Adversarius ad ea excipiat videamus.

Quæst. 10. *Quid verò ad primum respondes?*

Resp. *In loco citato nihil habetur de ista proæternitate, cum hîc principii mentio fiat, quod proæternitati opponitur. Principii verò vox in scripturis ferè semper ad subjectam refertur materiam, ut videre est* Dan. 8. 1. Iohan. 15. 27. & 16. 4. Act. 11. 15. *Cum igitur hic subjecta materia sit Euangelium, cujus descriptionem suscepit Iohannes, sine dubio, per vocem hanc principii, principium Euangelii Iohannes intellexit.*

LV. Æternitatem principio opponi nemo dubitat. Quia æternum esse, & principium habere, sunt contradictoria in adjecto. Dicit Catecheseos Autor. *In loco citato* (puta Johannis 1.) *nihil habetur de ipsa proæternitate*, quare? *cum hîc principii mentio fiat, quod proæternitati opponitur.* Fiat argumentum, ubi fit mentio principii rerum creatarum, ibi nulla potest fieri mentio æternitatis Christi. Atqui hîc. Ergo. Quis non palpat apertam falsitatem Majoris non obstante illa ratione, quod principium æternitati opponatur. Certè *Gen. 1. 1.* mentio fit principii rerum, quid vetat quo minus ibi mentio fieri possit æternitatis Dei? Imò fit implicitè. Quia Deus dicitur in principio creasse cælum & terram. Ergo Deus, fuit antequam res crearentur. Ergo ab æterno. Principium *rerum*, non opponitur *æternitati Dei*, sed principium ipsius Dei, si aliquod daretur, æternitati ejus opponeretur.

LVI. Ergo oppositio principii & æternitatis etiam hoc loco, non est secundùm idem. Loquitur Johannes de principio rerum, in quo rerum principio Christum fuisse dicit, quod rerum principium non potest opponi æternitati Christi. Et posito, concesso non sermonem esse de, prin-

principio euangelii, non rerum creatarum, an principium Euangelii opponeretur æternitati? Explosione digna est ista consequentia, & Viro docto indigna; Res creatæ habent principium, vel, Euangelium habet principium; Ergo Christus non potest esse æternus? Quia principium & æternitas opponuntur. Opponuntur ista ut dixi, in eodem subjecto, ut si Christus secundùm idem, diceretur æternus & principium habere; res creatæ, Euangelium diceretur æternum & principium habere. At, quæ hic est oppositio, Christus est æternus, & res creatæ habent principium?

LVII. Nihil ergo haberi hoc loco de Christi æternitate, quo de principio rerum agitur, falsum est. Si enim Christus fuit in principio rerum, non secundùm humanam naturam, quæ in tempore nata est; Ergo secundùm aliam naturam fuit, scilicet secundùm divinam. *Dices:* Nonsequi, qui fuit in principio rerum, ille est æternus. Imò vero sequitur. Nam qui fuit in principio rerum, ita fuit, ut ante principium omnium rerum fuerit: & cum ante rerum principium nihil fuerit præter Deum, nisi cuipiam præter Deum contra scripturam Adversarii æternitatem tribuere velint, sequitur, Christum, dum dicitur in principio rerum fuisse, eo ipso dici, fuisse ab æterno.

LVIII. Quod si etiam admitteremus heterodoxam loci istius de Euangelio explicationem, principium sc. Euangelii hoc loco intelligi. Adhuc sequeretur contra adversarios aliam in Christo esse naturam præter divinam. Nam cum Euangelium esse cæperit in Paradiso, dicente Deo, *semen mulieris conteret caput serpentis* (Scio Adversarios negare Euangelium in V. T. Sed frustra ut infra demonstrabitur) Christus autem in principio Euangelii dicatur fuisse, esse verò non potuit secundùm humanam naturam eo tempore; Ergo sequitur, Christum tum fuisse secundùm aliud, nimirum secundùm divinam naturã.

LIX. Audiamus porro ratiocinantem Adversarium. Ait: *Principii verò vox in scripturis ferè semper ad subjectam refertur materiam, ut videre est Dan.* 8. 1. *Ioh.* 15. 27. *&* 16. 4. *Act.* 11. 15. Ita est, vocem principii ex subjecta materia referri ad principium visionis apud Danielem; ad principium vocationis ac missionis Apostolorum, vel verò ad principium prædicationis Christi, *Ioh.* 15. 27. ut & *Ioh.* 16 4. ad principium missionis Spir. S. post adscensionem Christi *Act.* 11. 15. Hinc argumentum tale: Vox principii semper refertur ad subjectam materiam. Johan. 1. cap. vers. 1. est vox principii. Ergo refertur ad subjectam materiam.

Con-

Conceditur totum. Sed hoc est quod quæritur. quænam sit hujus loci subjecta materia? an res creatæ, quod volunt Orthodoxi; an evangelium, quæ Socinianorum est glossa.

LX. Ait ille intrepidè: *Cum igitur hic subjecta materia sit evangelium; cujus descriptionem suscepit Iohannes, sine dubio per vocem hanc principii, principium Euangelii Iohannes intellexit.* Argumentum in forma tale erit: Qui scripsit Euangelium, is non potuit scribere in Euangelio de æternitate; vel; Qui scribit Euangelium, ille non potuit exordiri ab æternitate Christi; & subjecta materia exordii, non potuit esse Christi æternitas. Atqui Johannes scripsit Euangelium, Ergo non potuit scribere de æternitate Christi in Euangelio; non potuit exordiri Euangelium de Christi æternitate; non potuit subjectam materiam in exordio Euangelii sui habere æternitatem Christi. Miseret me hujus Logicæ, tanti Gamalielis.

LXI. Simili consequentiâ argumentabor, de Mattheo, de Marco, de Luca, eos scripsisse Euangelium, ac proinde, *Illum*, non potuisse in exordio generationem Christi à temporibus Abrahami & Davidis deducere; *Istum* non potuisse exordiri à dictis Propheticis ex Malachiæ scilicet 3. 1. & Esaiæ 40. 3. capite. *Hunc* à Zacharia sacerdote. Dico ergo in Euangelio non tantùm ea tractari, quæ dum Euangelium scriberetur, acciderunt. Sed etiam frequenter altius repeti ea, quœ longè ante tempora ista contigerunt, Et sic etiam Johannem altius repetere primam omnium rerum creationem, quam hîc esse subjectam materiam proximam istius exordii, certum est. Describitur enim hîc λόγος, quatenus per illum mundus & omnia facta sunt, idque antequam λόγος esset caro factus. Quis autem dicet, mundum in principio Euangelii factum esse? Novi rimam quâ, elabi conantur. Dicunt scilicet hîc agi de mundo, non veteri sed per gratiam novo &, omnia per istum λόγον facta esse nova, reformata, regenerata; Ut hîc non agatur de veteri mundo creato, sed per euangelium renovato, restaurato. At verò premitur hæc explicatio illo absurdo, & heterodoxo, nullam scilicet fuisse ante Christum incarnatum creaturam novam, neminem regenitum, ac consequenter, omnes quotquot vixerunt sub Veteri testamento periisse, neminem eorum salvatum esse. *Quia nisi quis regenitus sit, non potest ingredi in regnum cælorum* Joh. 3. 5. Explicent se ab hac heterodoxia si possunt. Ergo falsum est agere Johannem hoc loco de principio Euangelii.

Quam

LXII. Quam falsitatem & hoc evincit, ut quòd Johannes hoc principio Euangelii sui, hæreticos compescere voluerit, Christum merum esse hominem ratos. *Epiphan. lib. 1. Tom. 2.* hæres. *27. 28. 30. & lib. 2. Tom. 2.* hæres. *69.* Theodoretus in Epitome hæreticorum *lib. 2.* Eusebius Cæsariensis *Hist. lib. 3. cap. 27.* August. *Tom. 6.* de hæresib. hæres. *7, 8. 10.* Irenæus *lib. 3.* Adversus hæreses cap. XI. Quos pios antiquitatis testes repudiare, non poterit audax alioqui Socinianorum cohors, cum ipse Socinus, Irenæi fide atque authoritate, in libro de authoritate scripturæ, nitatur.

LXIII. Præterea, & alia argumenta ex illo Johannis loco pro vera Christi divinitate urgentur. Ut quòd dicatur fuisse in principio apud Deum, quod singulare est privilegium, quo Christus à creaturis discernitur. Hæ enim ut certo principio esse ceperunt, ita nuspiam dicuntur apud Deum fuisse. Quantumvis enim angeli dicantur adstare throno Dei, attamen non dicuntur fuisse in principio, nec, *in sinu Patris.* Glossa Adversariorum super hæc verba, *& hic sermo erat in principio apud Deum*, est, eum scilicet apud Deum fuisse *cognitum*, postquam in cælum à baptismo post jejunium quadragesimale raptus fuisset, ut ibi doceretur, ea quæ nobis erat revelaturus.

LXIV. Exigimus verò glossæ istius aliquam enstasin, quâ *esse apud aliquem*, significet idem, quod esse *alicui cognitum*. Dant. *1. Joh. 1. 2.* Ubi *vita æterna* dicitur fuisse *apud Patrem*. At hæc verba etiam de Christo intelligenda sunt, quia id quod versu 2. dicitur *vita æterna*, dicitur *sermo vitæ* vers. 1. & additur, *vidimus vitam illam*, quod de sermone accidentali, qui objectum, non visus, sed auditus est, verificari non potest. Nec ipse Socinus inficiatur Christum hic sermonem vitæ appellari in 1. cap. 1. Epist. Johannis. p. 3.

LXV. Deinde, *esse apud aliquem* notat præsentiam loci, *esse notum alicui* actionem mentis, quâ aliquid percipitur, quæ locum habet, etiam in absente objecto. *Quam multos novi* inquit, Franciscus Junius, de Trinit defens. 3. *qui non sunt apud me, qui nunquam fuerunt apud me, qui non sunt in vivis.* Novit Deus suos, & qui sint sui, etsi non dicantur eo sensu apud Deum esse, quo Sociniani volunt Christum fuisse apud Deum in principio evangelii: nempe eò raptum ut cum eo familiariter conversaretur, ac addisceret ea, quæ nobis erat revelaturus. Nihil quoque hic peculiaris expressum fuisset de Christo, dum dicit Johannes eum

fuisse apud Deum, quod ex mente Socinianorum non posset etiam Paulo tribui; quippe ejus raptu extraordinario, & τὸ esse ejus apud Deum; raptum Christi in cælum, ante initiationem ad munus suum, à pari probare adnititur Smalcius lib. de divinit. Christi *cap. 4.* Differunt ista prædicamentis, esse apud aliquem, & cognosci ab aliquo. Ergo non sunt idem.

LXVI. Adde, quòd τὸ habitare Christi in nobis vers. 14. notet idem, quod apud homines subsistere; ergo etiam τὸ esse apud Deum; notat apud Deum subsistere, quod probè à Smiglecio observatum: *Opponit Iohannes*, inquit ille, *apud Deum esse, ei, habitare in hominibus; Ergo ut habitare in hominibus, non significat notum esse hominibus, sed reipsa apud homines existere; ita esse apud Deum, non significat Deo notum esse, sed reipsa apud Deum existere.* Quia enim Deus & homo sunt termini oppositi, inde etiam phrases, quæ in eodem contextu de Deo & hominibus agunt, inter se merito opponuntur. Quare, ut habitare inter homines, est subsistere apud homines; ita esse apud Deum, est subsistere apud Deum.

LXVII. Et hoc sensu locali, *esse apud aliquem*, alibi perpetuò invenitur. *Et sorores ejus nonne sunt apud nos?* Matth. 13. 56. *Quousque ero apud vos.* Marc. 9. 19. *Quotidiè eram apud vos in templo.* Marc. 14. 49. *Apud vos forsitan manebo.* 1. Cor. 16. 6. *Dum præsens sum apud vos.* Gal. 4. 18. & ℣. 20. *velim nunc adesse apud vos.* 1. Thess. 3. 4. *Etenim quum apud vos essemus.* Sensu vero intellectuali, pro cognoscere, nunquam. Ergo nec hoc loco. Ergo dum dicitur λόγος fuisse apud Patrem in rerum creatione, existentia ejus æterna intelligitur cum Patre, & sic alia, præter humanam, divina scilicet natura.

LXVIII. Porro, ex eodem loco Johannis sic argumentamur: Per quem omnia facta sunt, is, cum omnia per eum fierent, jam extitit. At per Christum omnia facta sunt. Ergo antequam, vel saltem; cum omnia per eum fierent, jam extitit. Non secundùm humanam naturam, quæ in tempore facta est. Ergo secundùm divinam. Et alio modo. Perquem omnia facta sunt, is est verus Deus. Atqui per λόγον omnia facta sunt. Ergo λόγος est verus Deus. Imò verò, ajunt illi, perquem omnia facta sunt ille non est verus Deus. Quia, ubi διὰ ponitur, ibi instrumentum notatur.

LXIX. Dicimus id falsum esse, per διὰ semper instrumentum notari. Causam efficientem principalem notat *Rom. 11. 36. Ex eo, per eum sunt omnia.* 1. Cor. 1. 9. *Fidelis Deus, perquem vocati estis.* Gal

Gal. 1. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem* Eph. 1. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei.* Accedit his ratio, quòd Deus in creatione nullo usus sit instrumento; cum, ut omne instrumentum agit in materiam prædispositam; ita agit successivè. Atqui nec creationis immediatæ materia fuit, nec successivè facta. *Dixit & facta sunt.*

LXX. Sed priusquam secundum locum à corruptelis Adverversariorum vindicem, adhuc aliquot rationibus evincam, contra Catecheseos authorem, non agi hoc loco, de *principio Euangelii.* 1. Quia subjectum priorum versuum Johannis non est Euangelium sed λόγος. 2. Quia hîc dicuntur omnia facta. At Euangelium non est omnia. 3. Quia nulla euangelii mentio. 4. Quia in sequentibus demum incipit mentio fieri Euangelii. 5. Quia dicuntur omnia per λόγον facta. At non omnia Euangelii per λόγον facta. Quia initium Euangelii de Christo in carnem exhibito, à Johanne Baptista factum esse, scribit Smalcius, cap. 3. de divinitate Christi.

LXXI. Ergo relinquitur agi hoc loco de *principio creationis.* Indicat id triplex loquendi modus. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* 2. *Sine ipso factum est nihil.* 3. *Mundus per ipsum factus est.* Indicant idem voces creandi, faciendi vel fiendi, quæ de principio rerum perpetuò usurpantur, ut *Gen. 2. 1, 2. Psal. 33. 6. Psal. 121. 2. Esa. 37. 16. Esa. 44. 19. Jerem. 32. 17. Act. 4. 24. Act. 14, 15. & 17. 24.* Adeoque falsum est, quod ait Catecheseos author, principium *Euangelii* Johannis hîc intelligi, non *creationis.*

Quæst. 12. *Ad secundum autem quid respondes?*

Resp. *Neque hîc ullam proæternitatis mentionem factam expressè. Nam hoc in loco filium hominis, id est hominem in cælis fuisse, testatur scriptura, quem citra ullam controversiam proæternum non extitisse certum est.*

LXXII. Locus est *Ioh. 6. 62. Quid si spectaveritis Filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius.* Quo loco etsi non expressa fiat mentio æternitatis Christi; tamen per proximam consequentiam ex eo elicitur. Si Christus eò ascensurus erat, ubi erat prius, tum sequitur

eum præter humanam naturam, quæ facta est in tempore, habuisse quoque divinam, quæ fuit ab æterno. Atqui verum est prius. Ergo & posterius. Consequentia certa, quia Christus semel tantùm ascendit in cælos in carne, secundùm scripturæ analogiam. Cum autem dicitur ibi prius fuisse, id intelligi non nisi de divina natura potest.

LXXIII. Etsi verò Filius hominis dicitur hîc prius fuisse in cælo, quia τὸ filius hominis hîc concretum est, non necesse est, ut sensus sit, Christum, quia dicitur filius hominis, quà hominem prius fuisse in cælo. Enstasin do. Deus dicitur redemisse Ecclesiam sanguine suo. Ergo, quia redemptio per sanguinem, tribuitur personæ, quæ in concreto Deus vocatur, Deus habet sanguinem? Nequaquam. Sed hoc sequitur: ergo ea persona, quæ Deus est, redemit Ecclesiam sanguine suo, in ea natura quæ habet sanguinem. Sic hic; Ergo filius hominis fuit prius in cælo, secundùm eam naturam, secundùm quam illi prius in cælo esse competebat, antequam, eò carne sua ascenderet. Bis Christum in carne in cælos ascendisse contra analogiam scripturæ est. Ergo fuisse Christum prius in cælo, prius quam eò in humana natura ascenderet, conciliari non potest, nisi duæ in eo statuantur naturæ.

Quæst. 13. *At verò quid ad tertium?*

Resp. *In hoc loco non solùm non exprimitur proæternitas Christi, cum aliud sit ante Abrahamum fuisse, aliud proæternum; Verùm ne hoc quidem expressum est, ipsum ante Mariam virginem fuisse. Etenim ea verba aliter legi posse (nimirum hâc ratione: Amen Amen dico vobis, priusquam Abraham fiat ego sum) apparet ex iis locis apud eundem Euangelistam, ubi similis & eadem locutio græca habetur* cap. 13. 19. *A modo dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*

Quæst. 14. *Quæ verò ejus lectionis foret sententia?*

Resp. *Admodum egregia. Etenim admonet Christus Iudæos, qui eum in sermone capere volebant, ut dum tempus haberent*

rent, crederent ipsum esse mundi lucem, antequam divina gratia, quam Christus iis offerebat, ab iis tolleretur, & ad gentes, transferretur. Quòd verò ea verba Ego sum, *sint ad eum modum supplenda, ac si subjecisset iis; Ego sum lux mundi superiùs è principio ejus orationis vers. 12. & hinc quod Christus bis se ipsum iisdem verbis,* Ego sum, *lucem mundi vocaverit vers. 24. & 28. Ea verò verba,* Priusquam Abraham fiat, *id significare quòd diximus è notatione nominis,* Abraham *deprehendi potest. Constat inter omnes, Abrahamum notare Patrem multarum gentium, cum verò* Abram *non sit factus prius* Abraham, *quàm Dei gratia in Christo manifestata, in multas gentes redundaret, quippe quòd Abrahamus unius tantùm gentis antea Pater fuerit, apparet, sententiam horum verborum quam attulimus, esse ipsissimam.*

LXXIV. Quantumvis istis verbis *Antequam Abraham esset, ego sum* per expressum Christi non contineatur æternitas; tamen per consequentiam necessariam ex iis efficitur. Dum enim Christus ante Abrahamum fuisse dicitur, idque intelligi non possit de humana natura, secundùm quam est ex Abrahamo, *Math. 1. 1.* Ideoque eo posterior; sequitur, hoc necessariò de alia natura, divina nempe, quâ Christus Abrahamo prior fuit, esse accipiendum: At cum divina natura, mutationis omnis sit expers, æterna est, ac consequenter æternitatem Christi palpabiliter hæc verba probant.

LXXV. Non ignoramus *aliud esse, fuisse ante Abrahamum, aliud esse æternum.* Damus, eum qui ante Abrahamum fuit, eo ipso non esse æternum; Vixerunt & alii ante Abrahamum nec tamen æterni: & huc usque *τὸ aliud est* extendi debet. Sed cum Christus dicit, se ante Abrahamum fuisse, nec hoc de ea, in qua loquitur verum esse possit natura, sequitur, id necessariò intelligendum de alia, nempe divina. Quæ quia dicitur fuisse ante Abrahamum, eo ipso dici-

dicitur fuisse æterna. Aut explicent Adversarii, quando esse cœperit divina, quod cum impossibile sit, invictissimè hinc infertur, Christum secundùm humanam naturam esse æternum.

LXXVI. *Verum ne hoc quidem est expressum, ipsum ante Mariam virginem fuisse*, ait. Vera loquitur, si mens sit, totidem vocibus ac literis, his verbis, non extare scriptum, Christum fuisse ante Mariam virginem. Falsa, si sentiat nullo modo expressum esse. Qui enim dicitur fuisse ante Abrahamum, eo ipso dicitur fuisse ante Mariam; quia Maria non fuit coæva Abrahamo, sed multis post eum seculis nata.

LXXVII. *Etenim*, inquit, *ea verba aliter legi posse*, (*nimirum hâc ratione*, *Amen Amen dico vobis prinsquam Abraham fiat*; *ego sum*) *apparet*. Ast non quæritur, quid fieri possit, sed quid fieri deboat, & quid analogia contextus, quid argumentum, quod præmanibus erat, postulet. Legi autem ita debere hoc loco ter negamus.

LXXVIII. Quia subjecta materia proxima & scopus contrarium evincunt. Quæstio erat, quâ ratione Abrahamus diem Christi viderit. Judæi, qui Christum non pro æterno Deo, sed pro nudo tantùm habebant homine, negabant, quòd Christus Abrahamum viderit, eò quòd nondum quinquaginta annos natus esset. Christus ergo hunc errorem refutaturus, non tantùm asserit se Abrahamum vidisse, sed etiam se extitisse, antequam Abraham existeret. Nam quemadmodum Abrahamus in quæstione Judæorum proponitur ut præteritus, qui jam olim fuerat, ita etiam assumitur in responsione Christi ut præteritus, absolutè, qui erat, non relatè, qui futurus esset *Pater multarum gentium*

LXXIX. Proinde subjecta materia docet, non in futuro vertendum esse, antequam Abraham *fiat*, sed in præterito *fuit*, vel *existeret*. Non enim Christus ad Judæorum quæsitum respondisset, sed illis, ut dicitur, de cæpis quærentibus, de allio quippiam regessisset. Judæi Christo non rem futuri, sed præteriti temporis objecerant, quippe negabant, quòd Christum viderit *vs.* 57. asserit id Christus se vidisse, ducto argumento, ab existentia sua ante Abrahamum. At nulla, Sociniana si obtineat glossa, soliditas erit in Christi argumento. *Ego Christus sum lux mundi antequam Abraham fiet Pater credentium. E. vidi Abrahamum.* Quâ ratione, hoc medio termino, Christus Judæis persuadere potuerit, se Abrahamum vidisse, non video.

LXXX. Præterea ipsi Judæi verba Christi propriè intelligentes, ac Christum divinitatem suam asseren-

ferentem palpantes, tanquam blasphemiæ reum, lapidibus obruere attentant. Confer *Ioh.* 10.33. *Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, id est, quia tu, cum homo sis, facis te ipsum Deum.* Nec necesse erat, ut Christus se probaret existere, ante tempus futurum, quo scilicet ex mente Sociniana, Abraham debebat fieri Pater multarum gentium; quia eum illo tempore præsenter existere Judæi videbant.

LXXXI. Similes locutiones quas ex eodem Euangelista *cap.13.19.* & *14.29.* obtendit, non efficiunt quod vult. Quia subjecta materia ostendit, in futuro ista dici: *Iam nunc dico vobis priusquam fiat: & nunc dixi vobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis.* Ergo consequentia nulla *Ioh.* 13.19. & 13.29. vox γενέσθαι in futuro accipitur. Ergo & hoc loco *Ioh.* 8.58. Quia illis locis analogia rei & contextus futurum requirunt, hîc præteritum sit oportet, aut Christus ignorationem elenchi, non respondendo ad propositum, commisisse, censendus est.

LXXXII. Parvi autem æstimamus, Socinianorum grammaticationes, dicentium: Verba aorista significationem accipere à verbis, quibuscum junguntur, si cum præterito jungantur, præteritam habere significationem; si cum præsente, præsentis, quæ tamen futurum simul respiciat. Quia Spiritus sanctus est supra istam Socinianorum Grammaticam, ut prolixè simul & solidè Becmanus Exercitationum Theologicarum VI. ex Spiritus S. Classicorumque authorum omni exceptione majorum authoritate probavit; nisi ipsi Sociniani antonomasticè græcissari sibi videantur. Loca allegata apud Becmanum loco citato vide. Ibi syntaxin istam Socinianam multis exceptionibus torqueri deprehendes. Quia verbum aoriston, etsi cum verbo præsenti constructum sit, significatione præteriti, & reciprocè collocatum, animadvertes. Fallit ergo regula.

LXXXIII. *Admodum* verò *egregiam* Autor Catecheseos censet istius lectionis *futura* fore sententiam *Etenim*, inquit, *admonet Christus Iudæos, qui eum in sermone capere volebant, ut dum tempus haberent crederent, ipsum esse lucem mundi, antequam divina gratia, quam Christus iis offerebat, ab iis tolleretur, & ad gentes transferretur.* Nihil tale. Hoc capite cum Judæis de variis Christus disseruit. Inter alia, se lucem mundi dixit; sed ab eo discursu ad alios jam alius generis cum Judæis dilapsus erat, & thema à superiore diversum proposuit Salvator. Eum scilicet, qui sermonem suum servat, non moriturum. Inficiantur

tur Judæi, enstasi allata ab Abrahamo, quem præsupponunt, non tam Christi quàm Dei sermones observasse & tamen mortuum. Regerit: Christus, etiam ipsum Abrahamum: non alienum fuisse à servandis sermonibus suis; explicatâ istâ suâ replicatione per Metonymiam effecti pro efficiente. Eo enim ipso, quia dicitur vidisse, scilicet in spiritu, in fide, diem Christi, ac super eo lætatus fuisse, innuit Christus, eum servasse sermonem suum, tam in credere, quàm in facere, ac proinde vivere. Cui Judæi reduplicant, Christum nondum habere quinquaginta annos & tamen gloriari se vidisse Abrahamum. Ad quam reduplicationem Christus triplicat, se etiam ante Abrahamum fuisse. Ex cujus thematis Christi probatione, Judæorum exceptionibus, Christi responsionibus liquidò apparet, non hoc esse thema, quod finxit Adversarius, sed illud, quod nos paulò ante diximus.

LXXXIV. Probat commentum suum: *Quod verò ea verba*, Ego sum, *sint ad eum modum supplenda; ac si subjecisset iis*, *Ego sum lux mundi superius è principio ejus orationis* ✝ſ. 12. *demonstratur*. At hoc non probare est, sed principium petere. Quia propositionis istius, *Ego sum lux mundi* continuatam *vers. 58*. esse tractationem thesi præcedente non sine ratione negavimus, Præterea hujusmodi ellypses è proximè antecedentibus suppleri debent. Intercessit autem inter illud *Ego sum lux mundi* ✝ſ. 24. 28. aliud *ego sum*, vers. 23. ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί Ego sum supernè. Adeo ut nulla necessitas urgeat, ellypses istas, versus vigesimi quarti & octavi suppleri ex versu 12. remotiori, *Ego sum lux mundi*; sed potius supplendas ex versu propiore vigesimo tertio, *Ego sum supernè*. Ac proinde planè elumbe est Smalcii argumentum: *Quod enim bis factum est in eodem sermone id etiam tertiò fieri posse nemo non videt*. Atqui ex analogia textus negamus ellypses istas versus 24. & 28. è versu 12. supplendas esse. Sed è versu 23. non, *ego sum lux mundi*, sed *ego sum supernè*.

LXXXV. His adde, verba è *versu 24. & 28.* citata, his *vers. 58.* non esse omnimodè parallela. Nam *versu 24. & 28.* dicitur ὅτι ἐγώ εἰμι. Atqui *versu 58.* simpliciter extat ἐγώ εἰμι. Aliud ergo est dicere in sensu complexo, *quòd ego sum*, aliud in sensu diviso &, absolutè, *ego sum*.

LXXXVI. Pergit, sed nugari. *Ea verò verba priusquam Abraham fiat, id significare, quod diximus è notatione nominis Abraham deprehendi potest* &c. Non crediderim Christum ad etymologiam nominis Abrahami hoc loco attendisse. Explicatur ea alibi, *Gen. 17. 5. Ro 4. 18.*

Gen.

Gen. 17. 20. Abrahamum scilicet non tantùm Patrem multarum gentium fuisse ratione seminis spiritualis, sed & carnalis fœtificationis: Illa nomenclatura contra hanc non præscribit, quâ dicitur *Pater omnium credentium* Rom. 4. 11. *Pater multarum gentium* vers. 17.

LXXXVII. Porrò, falsum est, Abrahamum demum post gratiam in Christo gentibus manifestatam factum fuisse Abrahamum, id est, *Patrem multarum gentium*. Quia si vocem גוי *gentium* præcisè denotare existimet Ethnicos, contradistinctè Judæis, tum Abraham neque Israëlitarum veteris neque novi testamenti, nec ratione carnis nec ratione fidei est Pater. Gentes enim Judæis contra distinguuntur. Ergo τὸ multorum gentium per τὸ multorum populorum vel hominum explicari debet, quemadmodum Apostolus ad *Rom. 4. 11.* Abrahamum dicit *Patrem omnium credentium*, qui, quanquam comparatè ad eos, qui semen Abrahæ non sunt, pauci sunt; in se tamen, & absolutè sunt multi; hinc *Apoc. 7. 9.* Johannes dicitur vidisse turbam multam, quam numerare nemo posset, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, linguis, stantem in conspectu agni, & palmæ in manibus eorum.

LXXXVIII. Inter quos multos etiam censeri debent fideles Veteris Testamenti. Est enim *Pater omnium credentium* & *qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* Gal. 3. 7. Sicut igitur fideles non demum cœperunt esse in Novo Testamento, post manifestatam gentibus gratiam; ita etiam non demum in N. testamento Abrahamus cœpit esse fidelium Pater. Fuit Abrahamus Pater multarum gentium, duodecim scilicet tribuum, ad tot myriades multarum gentium multiplicatarum. Tum etiam, quia non Abrahamidæ tantùm, sed & alienigenæ qui גרים dicuntur Spiritui S. *Gen. 17. 12.* Lxx. προσηλύτους vocarunt, sacrisque Hebræorum initiabantur, multitudini illi se aggrebabant. vide *Exod. 12. 48. 49.* Adeoque & hic funis, adversario nihil attraxit.

LXXXIX. Quanquam ipse Socinus hanc suorum super hunc locum commentationem tanti faciat, ut argum. 40. de existentia Filii Dei contra Erasmum Johannis, scribat: *Sperabam, te fassurum, nullam in vita tua scripturæ interpretationem te audivisse, quæ hâc sit aut acutior, aut verior, quæve magis divinum quid sapiat, & à Deo ipso patefactum præse ferat.* Et paulò post loc. cit. *Lælius Socinus* Patruus scilicet Fausti, *hanc sententiam de Christi origine, precibus multis ab ipso Christo impetravit.* Et quanquam ait illi viro *multa prorsus tum temporis aliis incognita patefecerit Deus,*

tamen ait, se affirmare audere, *vix quidqvam interpretatione hac divinius videri queat.* Quod si hæc loci hujus corruptela Sociniana, talis est, ut nihil in scriptis, Lælii Socini, proinde & ipsius Fausti, sit divinius eâ, profectò parum abest, quin reliqua omnia futura sint diabolica. Quippe in ea nihil divini, omnia humanâ malitiâ contorta, inepta, absurdissima, ut ostensum. Stat suo talo argumentum: Qui fuit ante Abrahamum, is præter humanam naturam, quæ ex Abrahamo est, habet etiam divinam, de quâ illud esse ante Abrahamum verificari potest.

Quæst. 15. *Quæ verò sunt testimonia scripturæ, inquibus putant non exprimi quidem proæternitatem Christi, ex iis tamen eam effici posse?*

Resp. *Ea, quæ videntur Domino Iesu quasdam res attribuere ab æterno, quasdam vero tempore certo & definito.*

XC. Non ex iis quæ *videntur*, sed quæ *revera* Christo tribuuntur, nec de humana Christi natura verificari possunt, nisi præter humanam divina quoque illi sit, secundùm quam hæc talia, non *apparenter*, sed *in rei veritate* de Christo, prædicantur, æternitatem Filii Dei evincimus. Suo pede Adversarius Orthodoxos metitur, qui dum aqua illi hæret, ad suum *posse* vel *videri*, tanquam ad tutissimum desperatæ causæ asylum se recipit.

Quæst. 16. *Quænam sunt testimonia, quæ Domino Iesu ab æterno res quasdam tribuere videntur?*

Resp. *Sunt ea, ex quibus conantur exstruere Christum ab æterno, ex essentia Patris genitum.*

Quæst. 17. *E quibus vero locis, exstruere conantur Christum ab æterno ex essentia Patris genitum?*

Resp. *Ex his potissimum Mich.* 5. 2. Et tu Bethlehem Ephrata, minima es in millibus Iuda, ex te mihi

mihi egredietur dux, qui pascat populum meum Israël, & egressiones ejus ab initio & à diebus seculi *Et Psal.* 2. 7. Tu es Filius meus, ego hodie genui te. *Et Psal.* 110. 10. *Ubi secundùm vulgatam legitur*, Ex utero ante luciferum genui te. & *Prov.* 8. 23. *ubi Sapientia ait de se*: Ab æterno genita sum.

Quæst. 18. *Quî verò ad hæc testimonia respondendum est?*

Resp. *Antequam ad singula testimonia respondeam, sciendum est, eam ex essentia Patris generationem esse impossibilem. Nam si Christus ex essentia Patris genitus fuisset, aut partem essentiæ sumpsisset, aut totam; Essentiæ partem sumere non potuit, eò quòd sit impartibilis divina essentia. Neque totam, cum sit una numero, ac proinde incommunicabilis.*

XCI. Primò huic arieti obviam ibimus, quo Goliathi instar castra Domini lacessit;& cui tantùm videtur Catecheseos autor tribuere, ut in fronte aciei constitutus, vel solus ille, nos, pro æterna Deitate Jesu Christi certantes, potens sit convellere: & non nisi supererogatoriè & postliminio ad scripturæ loca, ex quibus nos, tam impossibilem scilicet adstruimus generationem, videtur respondere.

XCII. Dicit: *Generationem istam ex essentia Patris esse impossibilem.* Accuratiùs dicitur Filium à Patre ex se generari in essentia, quàm ex essentia. Videtur enim τὸ *ex* materiam denotare, corporeitatem quandam inferre, quæ à Deo planè est aliena; videtur inquam diminutio materiæ ex qua inferri. Attamen Patres usi sunt hoc modo loquendi passim, Filium ex essentia Patris genitum; usurpatur identidem & hodiè à non nullis, sed eò tantùm fine, ut negetur in universum omnis generationis istius materia.

XCIII. Cæterùm, Arieti isti bicorni (*Nam si Christus ex essentia Patris genitus esset, aut partem essentiæ sumpsisset, aut totam.* Utrumque absurdum. *Non partem; quia divina essentia impartibilis.*

neque totam; quia una numero. Et proinde, si totam dedit Filio; Ergo ipse eâ post generationem carere debuit.) facili negotio cornua præcidunt Orthodoxi, *Respondendo:* Patrem dedisse per generationem Filio totam essentiam non *Alienatione*, sed *Communicatione*. Quod si dedisset alienatione, in ferri posset, quod infertur à Socinianis. Ergo Pater post communicatam Filio per generationem essentiam, ipse eâ destitutus fuit. Hoc enim modo res desinit esse dantis, incipit esse accipientis. At si detur tota Patris essentia Filio, *communicatione tantùm*; permanet etiam tota dantis. Jam videamus quid ad singulas reponat Scripturas. Sic pergit.

Quæst. 19. *Qui tamen ad primum scripturæ testimonium respondendum est?*

Resp. *Id testimonium de generatione ex essentia Patris, nihil prorsus habet. Generationem verò proæternam nulla probat ratione. Hîc enim mentio fit initii & dierum quæ in æternitate locum non habent; & verba hæc quæ in vulgata leguntur:* A diebus æternitatis *in Hebræo extant:* A diebus seculi. *Dies vero seculi, idem quod dies antiqui notant, ut* Esa. 63. 9. 11. Mal. 3. 4. *Sententia verò loci hujus est, Christum originem nativitatis suæ, ab ipso principio & annis antiquis ductiurum, id est ab eo tempore, quo Deus in populo suo Regem stabilivit, quod reipsa in Davide factum est, qui & Bethlehemita fuit & autor stirpis & familiæ Christi.*

XCIV. Ex loco Micheæ 5. 2. Orthodoxi probare solent non generationem ex essentia Patris, sed æternitatem Christi, adeo ut vox sit prætereaque nihil, quod ait; *Id testimonium prorsus nihil habet de generatione ex essentia Patris:* & nescio, quem sibi hâc parte Adversarium fingat ex hoc loco pro generatione Filii ex essentia Patris argumentan-

tan-

tantem. Aliud est generari, *ex*, vel *in* essentia Patris, quòd accuratiùs dicitur; aliud Christum esse æternum, vel generationem ejus esse æternam. Posterius ex hoc loco Micheæ probant Orthodoxi, non Prius. Inconditum ergo dat, primis responsionis ad quæstionem verbis, sine mente sonum.

XCV. *Generationem verò proæternam*, (ut loqui allubescit Adversario) *nullâ probat ratione*, Locus scilicet Micheæ 5.2. *Et tu Bethlehem Ephrata minima es in millibus Juda, ex te mihi egredietur dux, qui pascat populum meum Israël, & egressiones ejus, ab initio & à diebus seculi.* Videamus an probet æternitatem Christi, nec ne. Orthodoxi sic argumentantur. Cujus egressiones sunt ab initio & à diebus seculi, is est, ab æterno. Christi egressiones sunt ab initiò & à diebus seculi. Ergo Christus est ab æterno. Quid Adversarius? Majorem negat. Quia supponit, nos falsam hypothesin præsupponere, ac si hæc phrasis, *ab initio & à diebus seculi* æternitatem notaret; cum ejus judicio id minimè verum sit. Quare?

XCVI. *Hic enim mentio fit*, inquit, *initii & dierum, quæ in æternitate locum non habent: & verba hæc, quæ in vulgata leguntur* à diebus æternitatis, *in Hebreo extant*: à diebus seculi, *dies verò seculi, quod dies antiqui notant*, ut *Esa. 63.9.10.* Ita respondet *Socinus* ad hoc argumentum, contra Wuiekum cap 7. Class. 5. arg. pag. 424. & ipse *Smalcius* contra Mostra Smiglecii cap. 26. iisdem ferè formalibus. Dico 1. in textu Hebræo dici, מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם Præpositio autem מ præfixa, non tantum, *à* vel *ab* significat, quâ significatione notat, 1. Causam efficientem, ut *Psal. 118.23.* מֵאֵת יְהוָה *à Domino factum est illud* 2. Circumstantiam temporis ut 1. *Par. 15.13.* לְמִבָּרִאשׁוֹנָה *à principio non fecistis hæc.* 3. Circumstantiam loci ut *Job. 39. 28.* לְמֵרָחוֹק *à longinquo.* Nec tantùm *ex* vel *de*, quâ significatione notat 1. Causam materialem, ut מֵעֲצֵי *ex arboribus Cant. 3. 9.* 2. Motum è loco, ut hoc ipso loco *Mich. 5. 2.* מִמְּךָ *ex te mihi egredietur*, & *Psal. 22. 13.* מִבֶּטֶן *ex utero.* Nec tantùm *Præ*, quâ significatione notat 1. causam ut *Psal. 6. 8.* מִכַּעַס *Contabescit præ indignatione oculus meus.* 2. Comparationem *Eccles. 7. 1. Bonum est nomen* מִשֶּׁמֶן *præ oleo.*

XCVII. Sed מ etiam significat *ante*, ut *Psal. 92. 2. Stabile est solium tuum* מֵאָז *ante tunc.* Et *Proverb. 8. 22.* קֶדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז ante opera sua, ante ullum tempus. *vers. 23.* מֵעוֹלָם *ante seculum in uncta fui*, מֵרֹאשׁ ante princi-

pium מִקַּדְמֵי אֶרֶץ ante primordia terræ. Atque hâc significatione non tantùm hoc Micheæ loco legi *potest*, (ut phrasi Socinianorum solita utar) sed & *debet* מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *ante principium, ante dies seculi*, Quia de Christo rem esse patet ex Nov. Test. allegatione *Math.* 2. *vs.* 6. Et quidem de Christo peculiare quippiam dici, certum est. Quid verò singulare foret, si Sociniana attineat horum verborum exegesis, *à diebus seculi*, id est, *à diebus antiquis?* cum & in nos id ipsum cadat, qui omnes originem trahimus à diebus antiquis, id est, ab Adamo.

XCVIII. Falsum ergo est, quod dicit Catechesos autor, hunc locum *nullâ ratione probare æternitatem Christi*; *hîc enim mentio fit dierum, initii, quæ in æternitate locum non habent.* Quia עוֹלָם notat equidem, *initium*, sed etiam notat *æternitatem*; Et posito, τὸ מִימֵי עוֹלָם *dies seculi*, non notare æternitatem per se, quod tamen nego; quia iis verbis etiam quandoque Spiritus Sanctus æternitatem pro modo scilicet concipiendi nostro significat. Attamen quod *ante* hos dies seculi esse dicitur, æternum est scripturæ sensu; Hîc verò ita se res habet, ut egressio Christi, non tantùm simpliciter dicatur esse מִימֵי עוֹלָם *à diebus seculi*; sed מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *ante dies seculi. Quotiescunque autem geminantur tempora, aut secula, æternitas describitur*, inquit Mercerus.

XCIX. Neque obstat, nominari *dies seculi*. Nam etiam Paulus ait πρὸ χρόνων αἰωνίων 2. *Tim.* 1. 9. *Tit.* 1. 2. Et Jobus: *an similes diebus mortalium dies tui? aut anni tui similes diebus viri?* Ergo dies etiam suo modo, modo nimirum concipiendi nostro, æternitati tribuuntur. Et falsum est quod Socinus alicubi dicit: *Apud Micheam non est in Hebræo vox, quæ æternitatem significet, sed vox seculi.* Est עוֹלָם / quod seculum, perpetuum, æternum, sempiternum significat. Vide Lexicographos.

C. Falsa proinde etiam glossa Sociniana, super hunc locum: *Christum* scilicet *originem nativitatis suæ ab ipso principio & annis antiquis ducturum*, id est, *ab eo tempore, quo Deus in populo suo regem stabilivit, quod reipsa in Davide factum est, qui & Bethlemita fuit, & author stirpis & familiæ Christi.* Miror sanè, Gamalieles istos, qui tanti in interpretatione scripturæ audire amant, tam pueriliter risum movere Doctis. An David author est stirpis Christi primus? Vide Math. 1. 1. *Liber generationis Christi, filii Davidis, filii Abrahami.* Quod si Propheta voluisset antiquitatem stirpis innuere, ex qua Christus secundùm carnem oriundus erat,

po-

potius antiquitatis istius fuisset argumentum ab Abrahamo, quatuordecim progeniebus Davide antiquiore; vel ab Adamo, primo, à quo hic secundus originem traxit vide *Luc. 3. 38.*

CI. Deinde detur phraseos istius enstasis, quâ egredi abinitio, à diebus seculi, idem sit, quod ex prosapia antiquissima esse oriundum. Non dabunt sat scio. Eadem ergo facilitate, quâ glossa hæc præter scripturæ exemplum adfertur, etiam tanquam inepta rejicitur. Et quid opus erat, hoc sermonis schemate? nonne eadem facilitate poterat Micheas mentionem fecisse domus Jehudæ, stirpis ac domus Davidis, quàm peregrinâ & scripturæ planè inusitatâ loquendi formulâ, Christum ex familia Davidis oriundum, innuere?

CII. Preterea, probandum incumbit Adversariis, idque ab analogia contextus, Micheam, hîc præcisè respexisse illud tempus, quo Deus in populo suo regem stabilivit. Non sufficit dicere. 1. Quia David *Bethlehemita fuit*. Sequeretur enim, ubique locorum, ubi mentio fit Bethlehemi, respici ad Davidem. Nec 2. *Quia autor stirpis & familia Christi fuit.* Hoc ereptum est Adversario; etsi enim David ex Majoribus Christi sit; non tamen autor stirpis, nisi inter medius dici potest. Est Abraham, est Adam, Davide prior & antiquior. Illi proinde primi familiæ Christi authores. Et, si stirpis Christi antiquitatem innuere voluisset Spiritus S. per Micheam, Abrahami potius vel Adami, ut pote Davide antiquiorum, mentionem fecisset, quàm Davidis.

CIII. Nulla ergo glossematis Sociniani, verisimilitas, quæ argumentum nostrum infirmare possit. Certum est, hoc loquendi modo, non *antiquitatem*, sed *æternitatem* significari. Adeoque dum dicitur Egressiones Christi fuisse מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *à diebus seculi*, *à principio*, vel rectiùs, *ante principium*, *ante dies seculi*, Christi æternitatem admodum concipiendi nostrum, describi. Et, hypothesi positâ, ut poni debet, מ significare *ante*, nequaquam hæc verba ומוצאתיו מקדם מימי עולם *ante principium*, *ante dies seculi* de Davide qui post principium dierum atque seculorum multorum exortus est, intelligi possunt.

Quæst. 19. *Ad secundum verò quid?*

Resp. *Neque in eo de generatione ex essentia Patris, nec de generatione æterna prorsus quicquam haberi. Etenim cum constat*

vox hodiè certum tempus designet, pro æternitatem denotare non potest; Quod verò Deus eum genuerit, non evincit eum ex essentia ejus genitum. Id quod patet ex eo, quòd hæc eadem verba, ego hodie genui te, primo sensu, de Davide dicantur, quem constat neque ab æterno, neque ex essentia Dei genitum. Deinde, quod Paulus Apostolus eadem verba, ad approbandam Christi resurrectionem afferat. Act. 13. 33. *Et autor ad* Hebræos 1. vers 5. & 55. *Ad glorificationem Domini Iesu demonstrandam citet. Denique ex ea re, quòd constet Deum aliter, quàm ex essentia generare, dum credentes scriptura pronunciat è Deo genitos, ut videre est* Ioh. 1. 13. & 1. Ioh. 3. 9. Iacob. 1. 18.

CIV. Ex Psal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Probamus & æternitatem Christi, & æternam ejus ex essentia Patris generationem. Prius quidem, quia dicitur *Hodiè*, quo æternitas indigitatur; Posterius, quia dicitur hodie *genui te*, quo generatio probatur. At per *hodie* æternitatem denotari negat Adversarius, eò quòd *hodie certum tempus designet.* Sed *Resp.* Vocem *hodie* accipiendam pro subjecta materia. At subjecta materia est Deus qui genuit, & qui genitus est. Nam agitur de eo, de quo dicitur, *Beatus qui confidit in eum.* Atqui non licet fiduciam in quopiam, præter Deum locare. Ergo, cum Deus sit subjectum sermonis Psalmici, sequitur τὸ *hodie* interpretandum esse, prout subjecta materia fert. Atqui subjecta materia, quæ Deus est, non fert, ut *hodie* tempus denotet, quia tempus in Deum non cadit, est enim æternus. *Hodie* ergo non tempus certum, sed æternitatem designat. Describitur æternitas aliquando per præsens præteritum & futurum, ut, *qui est, qui erat; qui venturus est.* Apoc. 1. 8. aliquando verò per præsens tantùm, qualis ea est descriptio per *hodie*, naturæ sc. æternitatis optimè conveniens, omne præteritum à Deo removens, omne futurum in Deo præscindens, omnem successionem excludens, æternitatem his omnibus carentem optimè explicans.

Per-

CV. Pergit: *Quòd verò Deus eum genuerit, non evincit, eum ex ejus essentia genitum.* Certè, qui quovis modo dicitur genitus, eo ipso non dicitur genitus ex essentia Dei Patris. Hoc modo enim omnes metaphoricè geniti filii Dei, scilicet fideles, dicerentur ex essentia Dei geniti, sed qui dicitur propriè genitus, & ob eam generationem proprius Dei filius, is non potuit nisi ex essentia Patris generari. Dic quare non! 1. *Quia hæc eadem verba: Ego hodie genuite, primo sensu de Davide dicuntur, quem constat neque abæterno, nec ex essentia Dei genitum.*

CVI. At bone vir, falsam hypothesin supponis, omnia quæ in Psalmis dicuntur, Davidi ut typo primo sensu appropriari debere. Falsitatem hypotheseos ostendo. *Psal.* 110. 1. *Dixit Dominus Domino meo.* &c. nullo modo in Davidem quadrat. Et hujus ipsius Psalmi versus 8. nequaquam de Davide explicari potest: *Pete à me & dabo tibi gentes in possessionem tuam, & fines terræ jus possessionis tuæ.* Multo minus versus 12. *Osculamini filium* (scilicet de quo dixerat, *Hodiè genui te*) ut *non irascatur & pereatis in via, quum exarserit vel minimum ira ejus. Beati omnes qui se recipiunt ad eum.* Ratio ejus cur hæc de Davide dici non possint, evidens est.

CVII. Cum ergò versus allegati sensu primo de Davide non loquantur, non est quod demus Adversario vers. 7. *Hodie genui te,* primo sensu de Davide intelligi debere. Dicuntur quædam de antitypo, quæ nullo modo in typum cadunt ut *Act.* 2. 25, 26, 27. Et vice versa de typo enunciantur quædam, quæ non possunt verificari de antitypo, ut 2. *Sam.* 7. 14. Quædam verò de typo dicuntur, quæ & in typum, & in antitypum cadunt, ut *Joh.* 19. 36. Hoc hodie genui te, ex eorum est censu, quo aliquid de typo dicitur, quod tantùm ratione antitypi verum est. Ut liquet ex collatione Epist ad Hebræos *cap.* 1. *vers.* 5. & 8.

CVIII. Deinde, inquit, hæc verba *hodie genui te,* non posse intelligi de generatione ex essentia Patris, *quòd Apostolus eadem verba ad probandam Christi resurrectionem adferat & autor ad Hebræos ad glorificationem Domini Iesu citet.* Fatemur hæc verba etiam ad resurrectionem Christi applicari, sed eâ ratione, quemadmodum docet Spiritus sanctus *Rom.* 1. 4. *Declarato Filio Dei potenter secundùm Spiritum sanctificationis, per resurrectionem ex mortuis.* Hinc argumentamur: Si est declaratus filius Dei per resurrectionem, ergo sequetur, eum dici filium Dei declaratum, vel quòd suscitatus sit ab alio, vel quòd se ipsum suscitaverit. Si prius, tum

nihil habuit, peculiare præ nobis nam & nos divinitus resuscitabimur. Si posterius, tum sequetur, quòd sit verus ac æternus Deus: & proinde cum ex Deo genitus dicatur, quòd propriè genitus sit. Militat pro æternitate Christi, τὸ declaratum esse. Nam si declaratus, fuit antequam declaratus esset. Omne namque, quod declaratur, tale esse præsuponitur, ac fuisse tale, antequam declararetur.

CIX. Porro, quod ait, *autorem ad Hebræos, ea verba, ad glorificationem Domini Jesu demonstrare, nihil est,* quia locis ex Epist ad Hebr. citatis, capite nimirum. 1. ℣. 5. Cap. 5. 5. nulla mentio glorificationis Christi. Sed primo loco agitur de natura Christi, secundo de officio, ut vel limis textum intuenti oculis patebit.

CX. Denique, nec illud alicujus est momenti quod addit. Non sequi Christum ex essentia Patris genitum, *quòd constet, Deum aliter quàm ex essentia generare, dum è Deo genitos scriptura pronunciat credentes.* Metaphorica ista generatio, quâ Deus eos, qui naturâ filii iræ erant, adoptat in filios gratiæ de qua *Joh. 1. 13.* ut liquet à *vers. 12.* Item regeneratio, quâ renascimur ex peccatorum morte spirituali, ad sanctitatem vitæ, de qua *1. Ioh. 3. 9.* cujus regenerationis sermo veritatis *Iacob. 1. 18.* est instrumentum, non *physicum* sed *morale*, nequaquam præscribit contra generationem naturalem, quâ Deus Pater ex essentia genuit filium; nisi forte Sociniani Christum velint statuere ejusdem ordinis Filium Dei cujus nos sumus.

Quæst. 21. *Quid verò ad tertium?*

Resp. *Sciendum est in vulgata & græca versione eum locum malè esse redditum. In Hebræo enim aliter legitur, nempe:* Ab utero ante auroram tibi res nativitatis tuæ. *In quibus verbis vaticinatur David; de multitudine populi Christiani, instar roris matutini multiplicandi.* In germanico exemplari, hæc adjiciuntur. *Quod etiam ex parte D. Lutherus animadvertit, qui hunc locum ita interpretatus est.* Deine Kinder werden dir geboren / wie der Thaw aus der Morgen-röthe.

Ver-

CXI. Versum hunc 3. *Psal.* 110. quis Orthodoxorum ad probandam æternam generationem Christi in essentia Patris adduxerit, hactenus animadvertere non contigit. Pontificii & nominatim Bellarminus super hunc Psal. ex eo æternam Christi generationem probat. Simlerus ex Orthodoxis, Gesnerus ex Lutheranis, simile quid habent. Tarnovius de natiuitate ex Maria in tempore explicat. *Pag.* 122. exer. Biblicar. *Ex utero ex aurora supernâ Spiritus S. ros nativitatis tua proventus tuus occultus. Prout ros occulto & specialiter inexplicabili modo ex calesti impragnatione oritur: Sic tu mirabili modo ex impragnatione Spiritus S. natus & conceptus es.* Sed addit. *Vel commodius ad huc de temporali in N. Test. Spirituali facundatione filiorum Dei, accipitur, quòd instar roris matutini mysticè & copiosissimè illi ex Christo generandi sint, quomodo ros occulto modo oritur, totamque terram tegit.*

CXII. Ita Salomon Glassius Philolog. Sacr. lib. 5. tractat. 1. cap. 10. p. 235. *De hoc loco,* inquit, *multi multa.* Simplicissimè exponitur per metaphoram, quâ aurora gratiam Dei in verbo allatam designat, quæ & auroræ *Esa.* 58. 8. *Hos.* 6. 3. comparatur. Auroræ autem uterus tribuitur, propter spiritualis geniture, filiorum Dei mysterium. Evolutio tropi hæc est. Quemadmodum ros mirabili ac invisibili ratione, ex auroræ quasi utero nascitur, hoc est, copiosè sub auroram oritur & decidit, sine omni opere ac viribus humanis, *Iob.* 28. 38. Ita ex gratia ac Misericordia Dei, virtute cælestis verbi, modo longè abstrusiori & μυστικωτέρῳ copiosè nascitur Messiæ vegeta illa juventus, hoc est *populus ille devotionum, in decoribus sanctitatis* Confer *Psal.* 22. 31. 32. *Psal.* 87. 4. 5. *Esa.* 53. 10.

CXIII. Edwardus Reinoldi Anglus ex mente Orthodoxorum operâ meâ Latinè sic scribit. Filii tui copiosè tibi nascentur, per semen verbi tui, in utero Ecclesiæ, quamprimum aurora vel Sol justitiæ super illam splenduerit. Quemadmodum ros natus est ex frigido aere matutino tanquam ex utero, destillans innumerabilibus guttulis super terram; Ita electi tui nascentur tibi, per prædicationem verbi tui, primumque exortum cælestis tuæ lucis, exercitu innumerabili. Quæ, inquit, explicatio analoga est scripturis, quæ eadem metaphorâ utitur aliis locis. *Erunt reliquia Iacobi inter populos multos, sicut ros à Iehova* Mich. 5. 7.

CXIV. Ita explicant interpretes Belgæ, idiomate suo. Ita Tremellius. Cui explicationi, quia eam textus satis concinnè admittit & nos subscribimus: nec Adver-

sario super ea litem movemus. Dives est hâc parte Scriptura, nec opus est ut ejusmodi loca, de quorum explicatione Docti laborant, in subsidium causæ vocare. Militat pro æternitate Christi, insignis ille locus. *Glorifica me Pater apud temetipsum eâ gloriâ, quam habui apud te antequam mundus esset.* Joh. 17. 5. Solet autem scriptura describere æternitatem per illud, *antequam mundus fieret*, sive *ante mundi constitutionem*, ut patet *Eph.* 1. *ante jactum mundi fundamentum.* Psal. 90. 2. *antequam montes essent, antequam quicquam esset.* Joh. 17. 24. *Dilexisti me ante jactum mundi fundamentum.*

Quæst. 22. *Ad quartum verò quid?*

Resp. *Ut rem melius accipias, scito eos ex hoc loco ad eum modum argumentari: Sapientia Dei ab æterno est genita. Christus est Dei Sapientia; Ergo Christus est ab æterno genitus. Id argumentum firmum non esse, hinc patet, quòd Salomon agat de sapientia simpliciter & absolutè considerata, sine additione vocis Dei. Paulus verò non simpliciter, & absolutè, sed cum additione, nempe Dei.* Deinde; *Salomon agit de sapientia, quæ non est persona nec esse potest, ut ex variis effectis, quæ huic tribuit, apparet, & hoc* 8. & 7. & 9. cap. *ex quibus sunt ea*: Per me Reges regnant, & Principes justa decernunt. *Et initio* cap. 9. *introducit sapientiam omnes ad se invitantem, & mittentem virgines suas: Paulus verò agit de sapientia quæ persona est.* Tertiò, *Verba hæc, quæ sunt reddita*, ab æterno, *in hebræo extant* à seculo, *aliud vero esse ab æterno, aliud, esse à seculo, indicant loci* Esa 64. 4. Ierem. 2. 20. Luc. 1. 70. *& alii permulti similes.*

CXV. Resumamus argumentum, quod ex *Prov.* 8. 23. *Ab æterno genita sum*, pro æterna generatione Christi ducimus: Sapientia

tia Dei eſt ab æterno genita. Chriſtus eſt Dei Sapientia. Ergo ab æterno genitus. Ad hoc quid Adverſarius? Salomonem agere de Sapientia ſimpliciter, ſine additione vocis Dei. Paulum verò de Sapientia cum additione Dei. Ergo Salomon & Paulus non de eadem agunt Sapientia. Ergo Minor, nequatuor admittantur termini in ſyllogiſmo, ex Paulo peti non poteſt. Quam turpe eſt difficiles habere nugas, & ſtultum ineptiarum laborem! Non quæritur, quid *vocis*, ſed quid *rei* ſit. Subjecta materia oſtendit non agi de Sapientia qualicuncque, cujuſcunque, ſed de Sapientia Dei.

CXVI. Non enim agi de Sapientia, vel Angeli, vel hominis, vel de ſapientia in abſtracto, ſinè ſubjecto conſiderata, ut accidente mero, certum eſt. Quia agitur de Sapientia, quæ fuit antequam quicquam eſſet, ante principium, ante primordia terræ. At ante hæc nec homines nec angeli erant. Ergo ſapientia ea, de quâ loquitur Salomon, vel Angeli, vel hominis non eſt. Neque ſapientia in abſtracto abſque relatione ad ſubjectum aliquod hîc intelligi poteſt. Daretur enim Accidentis ſine ſubjecto exiſtentia; daretur accidens ante ſubſtantiæ exiſtentiam; daretur creatio accidentis ante ſubſtantiam. Cum tamen omnium confeſſione certum ſit, accidentia non creata ſed, concreata: & proinde, non ante, ſed cum ſubſtantiis demum cæpiſſe.

CXVII. Cum a. Salomon loquitur de Sapientia & quidem ea quæ fuit ante primordia rerum omnium, idque, non relatè ad homines vel angelos, neque abſolutè, quatenus Sapientia ut accidens aliquod conſiderari poteſt, relinquitur eum loqui de Sapientia Dei, qui ſolus ante erat, antequam quicquam eſſet. Et cum ſit Dei ſapientia, eaque non poſſit conſiderari ut accidens aliquod, quia accidentia in Deum non cadunt; nec tantùm ut aliquod attributum Dei eſſentiale, quod ipſa eſſentia eſſet. Dicitur enim de iſta Sapientia quod fuerit reſpectu alius exiſtentis nimirum Dei. Ergo ſapientia eſſentialis, quæ eſt Filius Dei intelligenda eſt.

CXVIII. Et cum dicitur verſu 22. *Iehova poſſidebat me*, generatio non obſcurè innuitur, ex collatione phraſeos *Gen. 4. 1.* Ubi in Hebræo eſt eadem vox de generatione Caini. Sic enim ait Eva קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה Poſſedi virum Dominum, vel à Domino. Varia quippe eſt particulæ אֵת ſignificatio. Vide Glaſſii Philolog. Sacræ lib. 3. tract. 6. de præpoſ. אֵת. Ita hoc loco ait ſapientia, eadem phraſi

phrasi יְהוָה קָנָנִי Dominus possedit me, id est generavit vel genuit me. Agitur ergo hoc loco de sapientia Essentiali Dei, scilicet de Filio Dei, qui est Dei sapientia. *1. Cor. 1. 24.*

CXIX. Præterea omnia quæ de ista sapientia *Prov. 8.* Prædicantur, de Christo prædicat Novi Test. scriptura, etsi aliis verbis, eodem tamen sensu. Toties quoties subjectum capitis *Prov. 8.* vocatur Sapientia, & cap. 9. 1. *Summa sapientia*. Nomine sapientiæ Christus insignitur 1. *Cor.* 1. 24. *Christum Dei potentiam ac Sapientiam.* Col. 2. 3. *In Christo absconditi sunt omnes thesauri Sapientiæ.*

CXX. Versu 23. Hujus cap. dicitur Sapientia: *Ante seculum in uncta fui. Ante principium, ante primordia.* Christus dicitur *principium Col. 1. 18.* Gratia nobis in Christo data dicitur, *ante tempora secularia. 2. Tim. 1. 9.* De Sapientia quoque dicitur, vers. 22. *Iehova possidebat me in principio viæ suæ, ante opera sua ante ullum tempus.* De Christo Joh. 1. 1. *In principio erat sermo ille & sermo ille sermo Deus. Hic sermo* erat in principio apud Deum:

CXXI. Versu 25. 26. *Ante colles condita eram, adhuc non fecerat terram*, de se sapientia dicit. De Christo idem prædicat Apostolus ad *Col. 1. 15.* quod sit *primogenitus omnis Creaturæ.* & vers. 17. *ante omnia.* Item ante colles *edita* vel ut alii interpretantur *genita, formata* eram. Christus est *unigenitus* apud Patrem. Joh. 1. 14. *Imago Dei.* Col. 1. 15. *Character personæ illius.* Heb. 1. 3.

CXXII. Versu 30. *Deliciæ ejus quotidianæ, lætificans* vel ludens *coram* eo omni tempore. De Christo ipse Pater è cælo. *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco.* Math. 3. 17. *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris*, Joh. 1. 18. *Sapientia dicit inuncta fui* vs. 23. Christus est *unctus. Per me reges regnant*, inquit Sapientia, vers. 15. 16. Christus est *princeps regum terræ* Apoc. 1. 5. *Rex Regum, Dominus Dominantium*, hoc est, qui eos facit regnare, & cujus beneficio regnant. *Apoc. 19. 16.*

CXXIII. *Lætificans in orbe habitabili terram ejus atque deliciis meis filios hominum*, hoc de sapientia dicitur; cui consonat illud, quod Johannes de Christo cap. 1. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum: vers. 14.* Et commoratus est inter nos, & vidimus *gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre, plenus gratia ac veritatis*, quibus verbis Evangelista Filium Dei describit à conversatione, cum hominibus, quos jucundâ suâ conversatione exhilarat.

CXXIV. *Beati qui vias meas observant* vers. 32. *Beatus homo qui auscultat mihi, sedulo insistendo foribus meis,*

meis, quotidie observando postes ostiorum meorum. vers. 34. Eadem Christus de se prædicat: *Si hac noveritis, beati eritis, si ea servetis.* Joh. 13. 17. *Beati qui audiunt sermonem Dei & eum observant* Luc. 11. 28. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, servabitur.* Joh. 10. 9. Denique *Qui consequitur me, consequitur vitam, ut provehit benevolentia à Iehova*, inquit, Sapientia vers. 35. Nonne idem de se Christus? *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Joh. 6. 47. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, & ego suscitem illum ultimo die. vers. 44.* Ex qua comparatione liquet, rem esse *Prov. 8.* de Sapientia Dei, etsi vox Dei per expressum non addatur.

CXXV. Quid. Adversarius? Non satis responsioni præcedenti fisus est, aliam comminiscitur, priore non meliorem. *Deinde*, inquit, *Salomon agit de sapientia, quæ neque est persona, nec esse potest, ut ex variis effectis, quæ huic attribuit apparet & hoc* 8. & 7. & 9. capp. *ex quibus sunt ea: Per me reges regnant & principes justa decernunt & initiò* cap. 9. *introducit sapientiam ad se invitantem, & mittentem virgines suas.* Talpa cæcior sit oportet, qui non videt ista de persona dici: *Per me Reges regnant.* Per quem enim regnant reges? saltem per Deum, hoc est, Dei potestate eos regnare non diffitebuntur Sociniani, qui Deus, ipsis dicentibus supra de Cognitione Dei, *quæst. 23.* est persona. Ergo hoc legitimè de persona prædicatur, *Per me regnant reges*, secus ac censet Socinianus Catechetes. Quare frivola & contra omnem rationem est ista exceptio.

CXXVI. Præsertim cum τὸ per me regnant reges, optimè quadret Christo *qui rex est regum, Dominus Dominantium* qui eos facit regnare, & dominari. Cætera quoque de personali Sapientia intelligenda esse, symphonia Novi Test. docet. Revera enim in Christo impletum, quod hic de Sapientia dicitur omnes ad se invitante, dum omnes ad se invitaret Christus: *Venite ad me omnes Math. 11.* Et quam apprimè illud quadret Christo quòd versu. 2, 3, 4, 5. capitis 9. dicitur de Sapientia, quod domum sibi ædificaverit quod mactaverit altilia, miscuerit vinum instruxerit mensam suam; quòd missis virginibus S. puellis suis, &c. liquet à collatione *Luc. 14. 16. & seqq.* Ubi res Euangelii convivio comparantur, variique status hominum ad illud invitantur, per fideles verbi minimè adulterati ministros, quos Spiritus Sanctus Virgines nominat *Apoc. 14. 4.* Unde liquet, contrarium verum esse; cum ista omnia effecta sint personalia, sapientiam eam, de quâ loquitur Salomon, æque personam esse ac eam

de

de qua Paulus imò eandem.

CXXVII. Nec hæc suffecit Adversario dicere. Addit tertiò. *Verba hæc quæ sunt reddita ab æterno, in hebræo extant à seculo. Aliud verò esse ab æterno, aliud à seculo indicant loci* &c. Probè novimus aliud esse ab æterno, aliud à seculo. Vox hebræa עוֹלָם est in textu; quæ quidem, si de hominibus & rebus creatis, durationem aliquam multâ annorum serie continuatam, vel ratio- præteriti, vel ratione futuri temporis, denotat. At si de Deo ea usurpetur, in quem nulla species temporis cadit, æternitatem significat, maximè si ea per alios terminos, æternitatem omnium Doctorum calculo significantes, explicetur. Quales sunt illi ex hoc eodem 8. *Prov.* Capite. *ante primordia terræ, quum nullæ essent abyssi, quum nondum facti essent montes, quum nondum fecerat terram, aut rura, imò principium pulveris orbis habitabilis &c.* Quæ omnia æternitatis sunt descriptio. Quid enim fuit ante hæc omnia, nisi Deus? & cum sapientia fuerit, Deus ista sapientia fuerit oportet. Et hic ergo funis nihil Adversario attraxit.

Quæst. 23. *Quænam sunt ea scripturæ loca, quæ videntur Christo quædam tempore certo & definito tribuere?*

Resp. *Ea sunt duplicia; quorum alia nomina, alia facta respiciunt; quæ Christo à scriptura tribui opinantur.*

Quæst. 24. *Quænam sunt quæ Christi nomina respiciunt?*

Resp. *Ea, ubi illi arbitrantur Iesum à scriptura vocari, Iehovam* Ierem. 23. 6. *Dominum exercituum* Zach. 2. 12. *Deum verum* 1. Ioh. 5. 20. *Solum herum.* Iud. vs. 4. *Deum magnum,* Tit. 2. 13. *Dominum Deum, qui est, qui erat qui venturus est.* Apoc. 1. 8. & 4. 8. *Deum qui acquisivit proprio sanguine Ecclesiam,* Act. 20. 28. *Deum qui animam posuit pro nobis.* 1. Ioh. 3. 16.

CXXVIII. Disceptatur inter Orthodoxos atque Socinianos, an nomen *Iehova*, sit nomen solius Dei proprium, adeo ut nemini præ-

præterquam soli Deo in casu recto & extra complexionem competat nec ne? Affirmant Orthodoxi ex *Esa. 42. 8. Ego sum Iehova illud est nomen meum.* Item, an vox Deus, de Deo sumpta, ipsam Dei essentiam & naturam, an verò potestatem tantùm seu officium denotet? Affirmant Orthodoxi prius. Rationes, vide sis deductas apud Maccovium Locorum Comm. post. edit. *pag. 121. & seqq.* aliosque Locor. Comm. scriptores.

CXXIX. Hinc argumentum tale formant Orthodoxi: Qui in scriptura in casu recto, propriè, extra complexionem vocatur Jehova is est propriè dictus Deus. Atqui in scriptura, & locis ab Adversario allegatis, Christus vocatur Jehova, Deus. Ergo Christus est verus Deus. Majoris ratio est. Quia nomen Jehova est nomen Dei proprium, nemini præterquam Deo competens. Deus, nomen naturæ est, non officii. Minor à textibus allegatis liquet. Ergo conclusio est verissima. Hoc argumentum, sequentibus quæstionibus ac responsionibus enervare satagit Adversarius. Verùm quàm infelici successu patebit è progressu. Audiamus! sic quærit:

Quæst. 25. *Quid verò tu ad ea ordine respondes, ac ante omnia ad primum?*

Resp. *Primùm*, quòd *ex eò confici non possit necessariò nomen Iehovæ Christo attribui. Ea enim verba*, & hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum, Iehova justitia nostra *referri posse, ad Israelem, de quo paulò superius eodem versu loquitur.* In diebus ejus, servabitur Iuda &, Israel habitabit securè, & hoc est nomen ejus, &c. *Ut è loco simili perspici potest, apud eundem Prophetam Ierem.* 33. 15. 16. In diebus illis, & in illo tempore faciam, ut existat Davidi surculus institiæ, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis servabitur Iuda & Ierusalem habitabit securè, & hoc (*supple nomen*) quo vocabunt eum Iehova justitia nostra. *Etenim in Hebræo expressè*

legitur, vocabunt eam, *quam vocem posteriorem ad Ierusalem referri, prorsus est necesse, & hoc quidem loco, Israeli, qui in priore loco positus est, respondet. Videtur igitur prorsus verisimile, quòd in priore etiam loco hæc verba*, vocabunt eum, *re-referantur ad Israelem. Ac licet concedamus, nomen Iehovæ ad Christum posse referri, ex altero tamen testimonio apparet, asseri non posse, Iehovam simpliciter Christum vocari, neque ex eo nomine sequi, Christum reipsa esse Iehovam. Sive igitur de Christo, sive de Israele postrema verba in testimonio Ieremiæ accipiantur, sententia ipsorum est, tum Iehovam Deum nostrum nos justificaturum. Etenim illo tempore, cum Christus appariturus esset, Deus id in Israele facturus erat.*

CXXX. *Diebus ejus servabitur Iehuda, & Israël habitabit securè, atque hoc nomen ejus est, quo vocabunt eum Jehova justitia nostra. Ierem. 23. 6.* Ex hoc loco tale est pro vera & æterna Deitate Christi argumentum. Qui hoc loco in casu recto, extra complexionem dicitur Jehova, is est verus & æternus Deus. Christus hoc loco in casu recto, extra complexionem dicitut Jehova. Ergo est verus & æternus Deus. Majoris ratio est. Quia nomen Jehovæ non commune est, sed solius Dei proprium. Minorem negat Catechetes. Dicens: *Posse* illud Jehova referri ad Israëlem.

CXXXI. *Resp.* Non *posse* ullo modo. Is enim dicitur hoc loco Jehova, qui subjectum est sermonis prophetici. Atqui non Israel, sed germen Davidis justum, est subjectum. *Prob. 1.* Quia is est subjectum, qui futurus erat Rex, qui erat exerciturus justitiam in terra. At hic non est Juda, nec Israël, sed germen Davidis justum. Ergo hoc est subjectum sermonis prophetici, & consequenter de ejus nomenclatura agitur. Maximè, quòd Messias, qui per germen Davidis justum citra controversiam intelligitur, apud *Zach. 9. 9.* dicatur *Rex justus.* 2. Is est subjectum sermonis Prophetici, qui est justitia nostra, & consequenter is vocatur Jehova. Atqui non Israël est justi-

Justitia nostra, sed Messias *1. Cor. 1. 30.* Ergo Messias hoc loco, non Israël, dicitur Jehova.

CXXXII. Praeterea, agit Propheta de nomine, quod indendum erat, non de nomine tali, quod jam notum erat, quale est Israelis, quo populus Dei multis retro seculis celebris fuit. Et, quòd si eo nomine Jehova, Israelem insignivisset propheta, tum utique hoc nomine à quopiam unquam appellatus fuisset Israël. Atqui ejus rei enstasis nulla adferri potest. Ergo nomen Jehova hoc loco non de Israele, sed de Christo praedicatur.

CXXXIII. Probat nihilominus Adversarius dubiam istam assertionem suam, quâ dicit, *posse* hoc nomen Jehova referri ad Israelem, à loco parallelo ex eodem Propheta cap. 33. 15, 16. *Diebus illis & tempore illo faciam ut effloreſcat Davidi germen justum, qui exercebit jus & justitiam in terra; Diebus illis servabitur Iehuda, & Ieruschalaimorum civitas habitabit securè, is autem qui vocabit eam erit Iehova justitia nostra.* Hic, inquit, vox Jehovae non ad Christum, sed Jerusalem referri debet, eò quòd in textu originali sit articulus faemininus לה *eam*, non *eum*, quod sanè non ad Christum, sed ad civitatem Jerusalem referri debet. Ac proinde, quemadmodum ex eo non sequitur quod Jerusalem sit Deus, eò quòd dicatur Jehova; ita neque Christus est Deus, etsi dicatur Jehova. Cui ratiocinationi Socinianae si opponam lectionem horum verborum Tremellii, quâ dicit: *is autem qui vocabit eam, erit Iehova justitia nostra*, equidem quid regesturi sunt, non video. Aequè enim ego satisfacere possum hâc responsione Sociniano alicui, atque ille mihi, dicens: *Posse* illum locum intelligi de Israele. Dicam: *posse* hunc locum posteriorem intelligi de vocante: & vocantis Hierosolymam, scilicet ad justificationem, hoc esse nomen, Jehova justitia nostra, non vocatae Hierosolymae. Adeoque pronomen demonstrativum לה etsi foemininum sit, non prohibere, quo minus vocantis nomen sit Jehova justitia nostra.

CXXXIV. Et ita verti debere à textu originali manifestum est. וְזֶה אֲשֶׁר־יִקְרָא־לָהּ יְהוָה צִדְקֵנוּ *& is qui vocabit eam*, (*est* scilicet) *Iehova justitia nostra.* Unde Salomon Glassius Philol. Sacrae *lib. 1. tract. 1.* de textus haebraei in Vet Test. puritate: Nos igitur sine omni depravationis suspicione, textum purè & liquidè in hebraeo fluentem, ita vertimus, & ad Messiam applicamus. *In illis diebus salvabitur Iuda, & Ierusalem habitabit tutò, & iste qui convocabit eam* (Judam seu Jerusalem) *est Iehova justitia nostra.* Con-

vocat eam & colligit sibi per verbum Ecclesiam Christus mediator. Et confidenter addit ex Helvico: *Interpretationem ex simplici litera, & genuina significatione vocum desumptam esse, nullus diabolorum negare unquam poterit.* Adeo ut & hoc loco nomenclatura ista, non Hierosolimæ, sed illi, qui justitiam exercet & nos vocat, scilicet Christo competat. Et cum superior locus per hunc ex mente Adversarii sit interpretandus, quis non videt eum facere pro sententia Orthoxa, atque adeo commentum Socinianum planè respuere. Quod ipsi adversario conscientia testata est. Hinc prout de superiore loco dixerat *posse* nomen Iehova de Israele intelligi; ita hic dicit *videri verisimile*. At non quæritur, quid *videatur*, sed quid *sit* non *verisimile* tantùm, sed *verum absolutè*. Dicimus sensum & interpretationem nostram esse verissimam; Advarsariorum ne *verisimilem* quidem.

CXXXV. Deinde, locum illum *Ier.23.6.* interpretandum & explicandum esse per hunc nego. Quia Propheta locum hunc refert ad illum *Dictum Iehova* inquit; ubi? *Ier.23.6.* aliàs nusquam hic locus legitur. Ergo iste ex illo, non ille ex hoc explicandus. At vero in cap. 23. 6. particula לה non habetur, sed verba ita sonant, in textu originali. & וְזֶה־שְּׁמוֹ אֲשֶׁר־יִקְרְאוֹ יְהוָה צִדְקֵנוּ *hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum Iehova justitia nostra.* Præterea, ubi unquam creatura vocata est Creator? Nusquam. Vox hæc major est, quàm ut creaturæ tribui possit. Si hæc vox Creatoris tribui non possit creaturæ, quomodo vox Iehovæ, quæ plus notat quàm Creatorem? Item, illa ne gens quæ toties Deo rebellis fuit, vocabitur Iehoua justitia nostra, cui ut ex hypothesi Socinana loquar, ne promissiones quidem Spirituales factæ sunt? Fidem vestram, Sociniani, quidvis potius regerere vos non pudet, quàm ut Christo, quod ejus est tribuatis. Perinde Vobis est quiscunque dicti alicujus sit sensus, modò æternæ Deitati Christi non faveat.

CXXXVI. Digna porro est resp. Bald. ad hanc Socinianorum glossam, quæ ad scribatur: Quod Propheta in repetito vaticinio cap. 33. particulam לה addit, non eo sensu sit, quasi *ea*, scilicet civitas Jerusalem, vocanda sit Jehova justitia nostra: hoc enim esset contra prius illud vaticinium *cap. 23.* contra majestatem illam, splendidumque officium, quod Iehovæ hìc tribuitur: sed docere vult Propheta, cui bono, seu in cujus commodum Messias hoc illustre nomen, Iehova justitia nostra, habeat. Nimirum, in commodum Iuda & Ierusalem, seu Ecclesiæ suæ.

Nam

CXXXVII. Nam pronomen לה non est accusativi sed dativi casus, & sensus verborum est iste: Vocabit dominus & prædicabit germen Davidis seu Messiam *ei* (Jerosolymæ Novi Testamenti) Iehovam justitiam nostram. Quia & *ei*, & Ecclesiæ N. T. justitiam adferet. Hoc nimirum modo vocabulum קָרָא usurpatur in scriptura, non de nudo nomine seu vocatione, sed & de prædicatione & commendatione ejus, qui vocatur, *Exod.* 34. 5, 6. *Deut.* 32. 3. *Prov.* 20. 6. *Ions* 1. 2. *Ierem.* 2. 2. Et pronomen לה dativi non Accusativi casus esse, sciunt omnes, qui Hebræam literaturam à limine tantùm salutarunt: & quando Dativus iste conjungitur cum verbo קָרָא non nudum & simplex denotat vocare, sed sæpissimè annunciare prædicare, & commendare alicui aliquid, ut *Ierem.* 34. 15. prædicare libertatem, *Esa.* 61. 1. ad prædicandum mansuetis. Ita, *Exod.* 2. 7. Vis ut vadam & vocem tibi mulierem Hebræam? Vide similes locos *Iud.* 21. 13. 1. *Reg.* 1. 28. 32.

CXXXVII. Sic & in nostro loco, Dominus, germen Davidis vocabit *Ei*, (Hierosolymæ Novi test.) Iehovam justitiam nostram, quemadmodum *Gen.* 21. 12. ad Abrahamum dicitur: *In Isaac vocabitur tibi semen*, Igitur in hoc dicto, non de novo nomine urbis Ierusalem agitur, sed hoc prædicitur, quomodo Deus Ecclesiæ N. T. Messiam prædicaturus & commendaturus sit, sc. ut Iehovam, qui justitia ejus est, qui salvaturus eam sit, Deoque gratam redditurus, prout officium hoc Messiæ in N. T. à Paulo pluribus explicatur. Videt ergo Lector quàm omnino præter rem & contra sententiam textus Catechesis nostra elogium hoc Messiæ ad Iudam & Ierusalem detorserit. Hæc Balduinus.

CXXXIX. Ex dictis liquet quam futile sit illud quod annectit. *Concedamus*, inquit *nomen Jehova* (scilicet priori loco,) *posse referri ad Christum; ex altero tamen testimonio apparet, asseri non posse, Christum esse Jehovam, neque ex eo nomine sequi Christum esse Jehovam.* Rationem cur non sequatur subticuit in versione Latina, Vernacula verò Catechesis exprimit: *nisi quis dicat Ierosolymam reipsa esse Iehovam.* At verò falsa hypothesis præsupponitur, posteriore loco Jerosolymam vocari Jehovam; quod cum præcedentibus thesibus Adversario ereptum sit, ex falsa ista præmissa, veritas non infertur.

CXL. Tandem dubius valde ac cæspitanter dicit: *Sive igitur de Christo sive de Israele postrema verba in testimonio* (scilicet primò) *Ieremiæ, accipian-*

tur, sententia ipsorum est tum Iehovam Deum nostrum nos justificaturum. Etenim illo tempore, cum Christus appariturus esset, Deus id in Israele facturus erat. Non accipiuntur de Israele postrema verba testimonii primi. Quia non Israel, sed germen Davidis, id est, Messias, subjectum est, de quo reliqua prædicantur, ut supra dictum & probatum. Frustra ergo ita dilemnamatice loquitur, cum posterius cornu dilemmatis, cum ratione, negetur.

CXLI. Deinde, is ipse Jehova dicitur Jehudam & Israelem servaturus, qui Iehovæ, verba hæc dicenti, contra distinguitur *vs. 6. cap. 23. Ierem.* Atqui is est germen Davidis, Messias. Ergo Messias est Iehova servans Iudam & Israelem. Cum autem τὸ servare hoc loco, significet servare non temporale aliquod, sed spirituale, ex eo ipso illud germen Davidis, Messias probatur esse verus Iehova. Salus enim Spiritualis, redemptio nostri à peccatis, diabolo, morte utraque, non nisi soli Deo in solidum vindicat scriptura. *Benedictus Dominus Deus Israelis, quod redemerit populum suum, erexerit cornu salutis, in domo Davidis, prout loquutus est per os suorum Prophetarum sanctorum, fore ut nos* servaret &c. *Luc. 1. 68, 69, 70, 71.*

CXLII. Cum ergo Messias, eo ipso, quia servat Ecclesiam, Deus sit, effectus iste servandi non tribuendus est Iehovæ opposite & contradistinctè ad Christum, ut ille ab hoc effectu excludatur, sed considerandus est ratione divinæ naturæ ut causa principalis, æqualiter cum Patre ad hoc opus concurrens, ratione humanæ naturæ ut meritoria. Cujus quidem respectu, in futuro dici potest, quòd sit servaturus, quia scilicet pretium redemptionis in tempore futuro tum adhuc à Christo erat solvendum; interim tamen non censendum est ex hoc loco, quia in futuro loquitur, obtinere dogma Socinianorum, nimirum, ante Christum natum, neminem per Christum, vel à Christo servatum. Sed quòd Novi Test. Ecclesiæ id beneficii, non ex una, sed ex omnibus gentibus collectæ, sit prædicandum. Habuit meritoria causa effectus, etiam ante existere suum, quia esse ejus certò erat futurum. Non ergo Deus salutem illam in Novi testamenti Ecclesia erat *inchoaturus*, quod videtur velle Socinianus Catechetes, sed *perfecturus*, tum ratione exhibitionis Messiæ, tum ratione ampliationis Ecclesiæ, quæ temporibus Vet. Testamenti, limitibus populi Judaici circumscripta erat, nisi quòd ei extraordinariè proselyti quandoque accederent.

CXLIII. Adscribimus Feurbornii vindicationem locorum istorum. Qui Disp. XI. contra Instit. Ostorodi sic ait. 1. Perperam errat Ostorodus, scribens, quòd Dict. *Ier.23. v.6. & 33. v.16.* non de Christo, sed de Iudâ & Israël, vel de Iudâ & Ierusalem debeant intelligi. Nam *primus locus* ita habet: *In diebus ejus* (justi germinis Davidis) *salvabitur Iuda & Israël habitabit in fiduciâ, & hoc nomen ejus* (erit) *quo vocabit* (unusquisque) *eum, Iehova justitia nostra.* Posterior autem ita sonat: *in diebus illis* (Novi Testamenti) *salvabitur Iuda, & Ierusalem habitabit in fiduciâ, & iste, qui vocabit eam, Iehova justitia nostra* (est.) Quæ verba bifariam licet non contra, sed juxta analogiam fidei, explicantur. 1. Sic exponuntur, ut quidem uterque locus sit parallelus, & de uno Christo, promisso Messiâ, agat, veruntamen in *priori loco* futurum יִקְרָא notet actum Ecclesiæ, quippe quæ germen Davidis, Christum, sit *vocatura*, id est *nominatura* seu *nuncupatura* Iehovam, *justitiam suam* (coram Deo valentem) hoc est, *justificatorem suum.* In *posteriori* verò loco idem futurum יִקְרָא notet actum non Ecclesiæ, sed ipsius Messiæ, seu *Christi gratiosum & misericordem*; quippe qui ex statu *iræ*, in statum *gratiæ*, & ex tenebris ad lucem *sit vocaturus Ecclesiam.* Quâ stante explicatione, non necesse erit dicere, pronomen dativi casus לָהּ quod est *Ier. 33. v. 16.* positum esse per *heterosin generis fœminini pro masculino*: tametsi insolens non sit, in locorum similium uno plus interdum poni, quàm in alio dictum fuit literaliter: Item, in locis parallelis *unum relativum* seu *respectivum* explicari per alterum (ut vel constat ex collatione *Psal.68. 19. & Eph.4. 8.*) & literarum apices mutari, ut itidem liquet etiam ex collatione *Malach. 3. 1.* & *Matth. 11. 10.*

CXLIV. 2. Sic explicantur ut verbum יִקְרָא. utrobique notet Actum seu effectum Ecclesiæ, *qua promissum & in plenitudine temporis exhibitum Messiam semper in corde & ore sit habitura, eumque vocatura Iehovam, justitiam.* Et tum verba *Ierem.* 33. 16. *in posteriori ejus effati parte* sic erunt reddenda: *Et hoc, quo vocabit* (unusquisque) *illum* (vel *quo vocabitur illi*, id est, *ab illa*) *Iehova, justitia nostra*, scilicet erit. *Nec enim insuetum est, sive verba præteriti & futuri temporis tertia personæ, absolutè posita, reddi ab Hebræis passivè, sive verbum* קָרָא *construi etiam cum Dativo, sive fœmininum aliquando poni pro masculino per enallagen*, ut videre est *Exod. 29. 41.* & passim.

Iam

CXLV. Iam sive *primo*, sive *secundo* modo hæc dicta explices, nec *Iuda*, nec *Israël*, nec *Jerusalem* ibi dicitur *jehova, justitia nostra.* Quia I. Juda, & Israël, & Ierusalem multis fuerunt inquinata peccatis, ut ne quidem *sibi*, nedum *aliis*, potuerint esse justitia, coram Deo valens. II. Non Iuda, nec Israël, nec Ierusalem, sed *Filius Davidis*, promissus Messias, dicitur *germen justitia*, faciens judicium & justitiam in terrâ. III. Dicta illa continent promissionem Euangelicam de Messiâ, nempe *verbum bonum*, Jerem. *33. 14.* At Euangelium nobis indicat, Jehovam, nostram justitiam, non esse sive Judam, sive Jerusalem, sed tantùm Christum, *Dan. 9. ÿs.24. Rom. 1. 16, 17.* & *1. Cor. 1. 30.* & *2. Cor. 5. 21.* IV. In Dictis illis dicitur, *Iudam salvatum iri*, nempe in Jehovâ, promisso Messiâ, *Hos. 1. 7.* E. Juda non potest esse Iehova, justia nostra, id est, nos suo merito justificans & salvans.

Quæst. 26. *Ad secundum verò quid resppondes?*

Resp. *Locum Zachariæ ad eum modum citant:* Hoc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ vos spoliarunt; qui enim vos tanget, tanget pupillam oculi mei &c. *quæ ad Christum torquent, quod hîc, ut arbitrantur, dicatur, Dominum exercituum missum à Domino exercituum. Verùm ea hîc non habentur, quod hinc perspicuum est, quòd ea verba* post gloriam misit me &c. *sunt ab alio prolata, nempe ab angelo, qui cum Zacharia & alio angelo colloquebatur, ut idem eodem capite paulò ante planum est, à versu quarto initio facto, ubi is angelus loquens introducitur. Quod idem ex ea re videre est, quòd ea quæ citant verba, hoc* dicit Dominus exercituum, *in Hebræo leguntur, Sic* dicit Dominus exercituum. *Item illa:* tangit pupillam oculi *mei*, *leguntur* pupillam oculi *ejus*, *quæ non ad Dominum exercituum, sed ad legatum referri, necesse est.*

CXLVI. Nulla est detorsio loci istius Zachariæ, ut calumniatur autor Catecheseos. Sed evidenter ex eo argumentamur: Si illi qui missus est à Jehova hoc loco tribuatur nomen Jehovæ exercituum. Ergo is qui missus est scilicet Messias, est Jehova exercituum. Ratio consequentiæ: Quia nomen Jehovæ est solius Dei proprium. Antecedens in textu est. Dicit enim Jehova exercituum vs. 8. *Post gloriam se missum esse.* Aquo? vs. 9. *Cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.*

CXLVII. Ut probet nos torquere locum, dicit Adversarius, ista verba: *Post gloriam misit me*, ab alio prolata esse, nempe angelo, qui cum Zacharia & alio Angelo colloquebatur. &c. Nihil interest, nec quicquam robori argumenti istius decedit, etsi concedatur Angelum ea verba protulisse. Siquidem Angelus iste per prosopopæiam Jehovam inducit loquentem, adeo, ut non suo nomine prædicet ea, quæ dicit, sed personam Jehovæ *Missi*, loquentis introduxerit, ut liquet à versu 4. istius capitis ad finem; ex prædicatis quæ personæ *Missæ* tribuuntur.

CXLVIII. *Primò* quòd missus se vocet Jehovam exercitum, quod nominis nunquam ullus angelorum usurpasse legitur, adeoque impegisse cum sacrilegio in illud *Psal.* 83. 19. *ut cognoscatur, te, cui soli nomen est Jehova.* & *Esa.* 42. 8. *Secundo.* Quòd missus Jehova sedicat *missum adgentes* ad eas scilicet docendes. Atqui non angelus aliquis ad prædicandum Euangelium missus est, sed Messias in lumen gentium datus est, & in salutem usque ad extremitates terræ. *Esa.* 49. 6. Qui Apostolos suos in universum mundum expedivit, ut docerent omnes gentes. *Math.* 28.

CXLIX. *Tertiò* illud: *Ecce ego venturus sum & habitaturus in medio tui*, non de Angelo creato, sed de Christo Messia verificatur *Ioh.* 1. 14. *& habitavit inter nos.* *Quartò* quod Angelus iste de gentibus ad quas se missum ait, dicat: *& erunt mihi populus.* At nos, qui ex gentibus Christo in possessionem dati sumus *Psal.* 2. 7. non populus Angeli alicujus sumus creati, sed populus Iehovæ Dei, qui effecit nos. *Agnoscite Ichovam esse Deum, ipsum effecisse nos populum suum.* Psal. 100. 3. Sed populus Christi. *Ipse enim liberabit* populum suum *ex peccatis.* Math. 1. 21. *Tu verò puerule, praibis ante faciem Domini, ut pares vias ejus & des cognitionem salutis* populo ejus. *Luc.* 1. *vers.* 76. 77. scilicet Christi, cujus præcursor erat Johannes. Ex his ergo & pluribus prædicatis, quæ Angelo creato nequa-

quam tribui possunt, evincitur clarissimè, Angelum istum non se ipsum dixisse Iehovam exercituum, sed tantummodo se personam Iehovæ loquentis induisse.

C L. Eandem glossam suam probare nititur, quòd ea verba quæ nos legimus: Hoc *dicit Dominus exercituum*, in hebræo legantur: Sic *dicit Dominus exercituum.* כִּי כֹה אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת Verùm eodem res redit, sive dicatur *sic* dicit, sive *hoc* dicit Dominus exercituum, quia demonstratum est, illum Jehovam exercituum non esse Angelum sed Messiam: cujus personam angelus pro tempore illo quoad loqueretur, introducebat. Adhuc sequetur, nomen illud Jehova non Angeli esse sed Messiæ.

CLI. Nec majoris est roboris quòd ultimo adfert loco, Angelum istum non dicere, qui tangit pupillam *meam*, sed *ejus*, quod si autem ille de quo loquebatur Angelus fuisset Iehova, dixisset, qui tangit pupillam oculi *mei*. *Resp.* Dicere hæc Angelum nomine Christi Messiæ, propter inseparabilitatem essentiæ & naturæ ejus *cum* Patre. Qui enim injuriâ vel contumeliâ afficit, Filium, injuriâ & contumeliâ afficit Patrem, ut liquet à contrario honore, quo si filius afficiatur, afficitur & Pater. *Ut omnes honorent filium, prout honorant Patrem: qui non honorat filium, non honorat Patrem, ut qui miserit eum.* Joh. 5. 23.

Quæst. 27. *Quid respondes ad tertium?*

Resp. *In hoc testimonio:* Scimus filium Dei venisse, & dedisse nobis sensum, ut agnoscamus illum verum Deum; & sumus in illo vero, & in Filio ejus Iesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna. *Hæc verba* Hic est verus Deus, *nego referri ad Filium; non quòd negem Christum, esse verum Deum, sed quòd is locus ea de Christo accipi non admittat. Etenim hìc non solùm agitur de vero Deo, ut articulus in græco additus, indicat. Christus verò etsi Deus verus sit, non est tamen ex se unus Deus, qui per se & perfectissimâ ratione Deus est, cum is Deus tantùm*

sit

sit Pater. Nec verò quicquam juvat adversarios, qui propterea hæc ad Christum referri volunt, quòd verba hic est verus Deus *&c. Christi mentio proximè antecesserit. Etenim pronomina relativa, ut* hic, *& similia, non semper ad proximè antecedentia, verùm ad id, de quo potissimum sermo est referuntur. Ut patet ex his locis* Act. 7. 19, 20. Donec exortus esset Rex, qui non noverat Iosephum. Is circumveniens gentem nostram, &c. & *Act.* 10. 6. Is habet supra mare. Is dicet tibi quòd te agere oporteat. & 1. *Ioh.* 7. Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum in carne venientem. Is est seductor & ille Anti-Christus. *E quibus locis apparet pronomen relativum* hic, *non ad proximè præcedentes personas, sed ad remotiores referri.*

CLII. Tertium *nominis* testimonium, ex quo æternam Patri coessentialem, Filii Dei, Deitatem probamus, est, *1. Joh. 5. 20.* quo Christus dicitur, *Verus Deus.* Nititur hoc argumentum illâ hypothesi, quòd vox Dei propriè sumpta, extra metaphoram, extra Catachresin, notet, non officium, potestatem, sed essentiam Dei. Adeoque argumentum tale est. Qui verè & propriè absque metaphora vel catachresi dicitur verus Deus, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus &c. Ergo.

CLIII. Quid Adversarius? Negat hæc verba. *Hic est verus Deus* referri ad Filium Dei. Quare? Quia id *indicat articulus in græco additus.* Hypothesis est duplex. 1. Voci Deus, quoties verum Deum, metaphoricè, catachresticè dictis Diis oppositum denotat, habere articulum demonstrativum. 2. Christum non dici cum articulo Deum. Utraque falsa. *Prima* quidem, eò quòd inumera in contrarium adferri queant exempla. Vide sis ex multis hæc, Matth. 4. 4. Διὰ στόματος Θεοῦ. Math. 5, 9 υἱοὶ Θεοῦ Math. 6. 24. οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν. Reliqua vide apud Becmanum

Exercit. Theol. X. Unde liquet non esse universale illud: Ubi verus Deus, *qui per se & perfectissimâ ratione Deus est indigitatur*, ibi articulus demonstrativus additus est in textu græco. Deus enim verus notatur etiam absque eo articulo, ut liquet à locis allegatis.

CLIV. Quia Christus cum articulo dicitur Deus. Expendantur eâ fini loca. *Ioh. 20. 28.* ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου. Act. 20. 28. τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, Christum autem hoc loco denotari, ex sanguine illi adscripto constat. *Rom. 9. 5.* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός. Locum hunc de Christo interpretantur Smalcius & Socinus contra Wuiekum cap. 5. Class. 3. arg. 8. Hinc argumentum ad Hominem. Qui est verus *ille* cum articulo Deus, is ex se per se & perfectissimâ ratione Deus est. Atqui Christus hisce locis, & hoc præsente, *1. Ioh. 5. 20.* est verus *ille* cum articulo Deus. Ergo.

CLV. Inficiatur equidem autor Catecheseos loco *1. Ioh. 5. 20.* Christum non dici verum *illum* Deum, eò quòd *pronomina relativa, ut* hic *& similia non semper ad proximè antecedentia, verùm sæpènumero ad id, de quo potissimum sermo est referuntur.* Idque probat locis *Act. 7. 19. 20. Act. 10. 6. 2. Ioh. 7.* At verò. 1. *Hic* non *relativum* sed *demonstrativùm* est pronomen. Disce Grammaticam puer. 2. Non quæritur quid sæpe numero contingat, sed quid semper & universaliter contingat, & quid analogia textus, qui præ manibus est, admittat. Quod si alia sint exempla, in quibus pronomen, non ad remotius, sed ad proximè antecedens refertur, defunctus sum responsione. Quia, quæ ratio est, cur magis obtinere debeat τὸ Smalcii dicere, quòd pronomen sæpius referatur ad remotius, & sic hoc loco esse accipiendum; quàm meum, quòd pronomen, frequenter, imò frequentius referatur ad proximè antecedens, & sic hoc loco esse accipiendum? Nisi forte Smalcius se somniet dictatorem aliquem, cui implicitâ fide absque rationis postulatione subscribendum sit.

CLVI. Quòd si totidem loca attulero, in quibus pronomen demonstrativum *hic* ad proximè antecedens refertur, etsi infinita adferre possem, in æquilibrio causam utriusque nostri apud æquum Lectorem suspendi, ut, nisi partium studiosus sit, non magis in Smalcianas, quàm in meas propendere possit. Sunt autem illa Math. 21. 28. *Et agricolæ viso filio dixerunt inter se, iste est hæres.* Et Luc. 1. 31. *Vocabis nomen ejus, hic erit magnus & Filius altissimi vocabitur.* Et Luc. 4. 22. *Ex ore ipsius dicebantque: Nonne iste est Filius Iosephi?*

Ergo

CLVII. Ergo non ex eo judicandum est, hoc loco pronomen *hic* non ad Christum referri, eò quod aliis locis pronomen *hic* ad remotius referatur, nisi demonstrare possis, non dari exceptionem à regula, & inductione probare non dari dissimilia exempla. Dedi totidem, quibus ad proximè antecedens refertur *hic*, quot ille de relatione ad remotius allegavit. Jam si dicam, pronomen *hic* his & aliis multis locis referri ad proximè antecedens, quid respondebit? Forte ad consuetum *posse* suum confugiet, *posse* scilicet ad remotius referri. Ego si dicam *non posse*, tanti erit meum negare, quanti ipsius affirmare.

CLVIII. Quid ergo? ex subjecta materia id determinari debet, possit ne pronomen *hic* ad proximè, an ad remotius antecedens referri, item, debeat ne, an verò secus. Similem nobis Adversarius reponit responsionem quæstione proximâ, dicens: *Verùm tenendum est, apud Græcos eam regulam non esse perpetuam. Ubi verò locus illi* (scilicet regulæ) *non sit, id è rei circumstantia deprehendi.* Hoc idem sibi dictum sciat Adversarius, qui suum commentum, referri scilicet debere ad remotius, è rei circumstantia non probat. Si enim dicat, probatum id fuisse tribus locis allegatis. Repono, non sequi: fit id tribus istis locis, ergo & hoc fieri debet. Ibi subest ratio. Quia nimirum pronomina relativa referuntur ad subjectum relationis, sive illud remotius sit, sive propius. Hic nulla.

CLIX. Quinimo pronomen *hic* hoc loco referendum esse ad subjectum immediatè præcedens evincunt hæ rationes. 1. Quia Iohannes commisisset ταὐτολογίαν, sibi inusitatam; bis enim eodem versu dixisset Patrem verum illum Deum, illis scilicet verbis *ut cognoscamus verum illum*, & his iterum, *Hic est verus ille Deus*. Ταυτολόγιαν autem sine rei exigentia ingratam esse Spiritui S. testatur, illud Judæorum, *templum Domini, templum Domini, templum Domini* apud Jeremiam cap. 7. 2. Quia epitheton illud, quod illi, quem Iohannes his verbis *Hic est verus Deus* tribuit, nuspiam scriptura tribuat Patri, hoc modo: *Hic est vita æterna*, sed Christo illud tribui non est insolens. Ioh. 6. 35. *Ego sum panis vitæ* Ioh. 11. 25. *Ego sum resurrectio & vita.* Ioh. 14. 6. *Ego sum illa vita* Colos. 3. 4. *Christus est vita nostra.* Incumbit Adversariis probare, Deum Patrem uspiam hoc modo vitam æternam appellari. Adeo ut cum hoc modo loquendi comparatum sit, prout cum eo, quo tertiam Deitatis personam designamus, *Spiritus Sanctus.* Dici quidem & Patrem Spiritum, & san-

ctum, sed nuspiam Spiritum sanctum, quod indicio est, eo ipso peculiarem Spiritus S. personam denotari. Etsi ergo & Pater vita dici possit & æterna, eò quòd sit fons & causa vitæ æternæ, tamen nuspiam describitur hac peculiari nomenclatura, quâ filius Dei, *Vita æterna*.

CLX. Porro, dicere, Christum quidem esse verum Deum, sed tamen hoc loco, non dici verum Deum, est calidum & frigidum ex eodem ore efflare. Si verus Deus sit, cur hoc loco non diceretur verus Deus, cum ille sit subjectum hujus versus? Quousque ergo Sociniani evidentes rationes, ob quas pronomen *hic*, hoc loco, non ad proximè antecedens, sed ad remotius subjectum referendum sit, non attulerint, ignoscent nobis, quòd iis dictantibus tantûm, sed non docentibus, non possimus assentiri, nec tam evidentem locum ad probandam veram & æternam Filii Dei Deitatem, nobis eripi patiamur.

Quæst. 28. *Ad quartum testimonium quid respondes?*

Resp. *Quartum testimonium sic habet:* Solum herum & Dominum Iesum Christum negantes, *è quo testimonio, cum in Græco unus tantùm articulus præfixus sit, id evincere conantur, pro more græci sermonis, ad unam personam, ac proinde ad Christum ea verba debere referri. Verùm tenendum est, eam apud Græcos regulam non esse perpetuam: Ubi verò locus illi non sit, id è rei circumstantia deprehendi. Non esse verò eam regulam perpetuam, testimonia ipsius novi fæderis demonstrant.* Math. 21. 21. Ejecit omnes vendentes & ementes, *ubi in græco est unus tantùm articulus præfixus, iis vocibus,* ementes & vendentes. *Quibus similia habes* Marc. 11. 15. Luc 19. 45. *Ac præterea locus* Eph. 5. 5. *apertè indicat eam regulam non esse perpetuam.*

Ar-

CLXI. Argumentamur ex Judæ ⅴ.4. *Qui solum illum herum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum negant.* Quo loco Christus solus herus, Deus, ac Dominus noster dicitur. Unde Argumentum: Qui est solus herus, Deus, ac Dominus noster, ille est verus ac æternus cum Patre Deus. Atqui Christus. Ergo. Negat Adversarius Minorem, Christum hoc loco dici solum illum herum, etsi nos id præsupponere statuat ex uno tantum græco articulo, qui ostendit appositionem istam diversorum nominum de eadem persona dici, eò quòd regula ista non sit perpetua apud græcos.

CLXII. Non repugnamus, dari talia loca, quibus unus tantum est articulus, diversas tamen eo notari personas. Sed utimur in locis talibus discernendis, ubi scilicet unus articulus diversas notet personas, ubi unam tantùm atque eandem, ipso Adversarii consilio. Circumstantiam rei sc. expendimus, ac ex ea judicamus, notet ne articulus ille unicus, unam tantum, an verò diversas personas atque subjecta.

CLXIII. Rei autem circumstantia hìc evincit, articulum istum unum, unius etiam & ejusdem tantùm personæ esse indicem. Cur enim de eo non jure possit prædicari quòd sit solus herus, qui dicitur Dominus? *Dominum esse*, phrasi scripturæ, notat *herum esse*, hinc Christus *1. Cor. 8. 6.* dicitur *Unus Dominus* & *hæres omnium* Heb. *1. 2.* eoque nomine *primogenitus omnis creaturæ* Col. *1. 15.* Qui autem *solus hæres* est, nonne is etiam est *solus herus?* herus utique hæreditatis suæ herus est.

CLXIV. Ignorationem ergo elenchi cummittit autor allegatione locorum. Quæstio enim est, non, an aliquando unus articulus duas personas vel subjecta diversa possit denotare. Sed an hoc fiat hoc Judæ loco citato. Ex circumstantia rei, ad quam nos ipse Adversarius remittit, evicimus, unum articulum hic unam etiam personam eandemque denotare. Et si ea ipsa dicta inspiciantur diligentius, judicet Lector, an non magis faveant nobis quàm Adversariis. Ii enim qui ementes erant, poterant & vendentes esse, tum eodem, tum diverso tempore; emerant in templo, quæ in templo vendebant. Et dato, diversas hìc esse ementium & vendentium personas, ne sic quidem triumphant. Quia sicut Christus utrosque tum ementes tum vendentes uno articulo notatos, templo ejecit; ita hìc quoque, diversis appellativis conjunctis, Christus solus Dominator seu herus indigitatur.

Quæst.

Quæst. 29. *Ad quintum quid respondes?*

Resp. *Quintum testimonium est:* expectantes illam beatam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & servatoris nostri Iesu Christi. *Tit.* 2. 13. *Quo loco epitheton magni Dei ad Christum referri duabus rationibus evincere conantur: Prior est, superiùs de articulo uno præfixo regula. Posterior quòd expectemus adventum non Patris, sed Filii. Verùm ad primum argumentum responsum habes in responsione ad quartum testimonium. Ad alterum respondeo. Paulum non dicere. expectantes adventum* magni Dei. *Posse verò dici, gloriam Dei Patris illustratam iri, cum Christus ad judicium venerit, verba Christi ostendunt* Math. 16. 27. *cum ait, quòd* venturus sit in gloria, *id est,* cum gloria Dei *Patris sui. Præterea, quod est inconveniens, si dicatur Deus Pater venturus, (prout illi è vulgata citant) cum Filius ad mundum judicandum venerit; An Christus Dei Patris personam in judicio mundi, tanquam ejus, à quo munus judicandi accepit, non sustinebit?*

CLXV. Manifestissimè & hic locus *Tit.* 2. 13. ***Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac servatoris nostri Iesu Christi,*** æqualem Christi cum Patre Deitatem probat. Non tam ex eo, quòd unus articulus respiciat tum magnum Deum, tum servatorem; quàm ex circumstantia rei, quæ exigit, ut utrumque epitheton & Dei magni & servatoris de Christo intelligatur. Remittit nos ratione prioris ad quæstionem proximè præcedentem, quâ se nobis os ita obturasse somniat, ut simili argumento jam ne hiscere quidem nobis fas sit. Sed nos præter unitatem articuli, qui utrumque prædicatum ad Christum restrinxit, ex rei circumstantia, probavimus idem.

CLXVI. Probamus & hoc eode-

dem loco, rem postulare, (quod unus articulus, duobus epithetis præfixus indicat) tum epitethon *magni Dei*, tum servatoris, Christo, competat. 1. Quia Christus est magnus Deus, Pater enim magnus Deus dicitur, quòd sit magnus potentiâ. Atqui Christus est æqualis potentiæ cum Patre; habet enim sibi communicatam omnem potestatem, sc. Patris. Ergo jure dicitur magnus Deus. Quod si excipias agi *Math.28.* non de *potentia* naturæ sed de *potestate* ac jure officii. Dico, rem eodem redire. Quia potestas Dei Deo æqualis non potest concedi, nisi illi, qui æqualis sit cum Patre naturæ.

CLXVI. 2. Quia si hoc loco duæ intelligendæ personæ, tum etiam iis locis 2. *Cor.* 1. 3. *Benedictus Deus ac Pater.* Eph.1. 3. & 1. *Cor.* 15. 24. *Quum tradiderit regnum Deo ac Patri.* Atqui illis non duæ, sed una Patris persona est intelligenda, etsi dicatur Deus ac Pater. Ergo etiam hoc loco, non duæ, sed una persona scilicet Filii Dei est intelligenda, etsi dicatur magni Dei & servatoris Jesu Christi. Maximè, quòd Christus servator esse non potuisset, nisi magnus Deus fuisset. Hinc æquipollens nomenclatura Christo tribuitur *Psal.47.3.* quo Christus dicitur *Jehova excelsus reverendus* rex magnus, *super totam terram.* Cum autem ad salutem nostri etiam contulerit quà rex, hîc verò dicatur *rex magnus*, ratio nulla est, quæ prohibeat, eum vocari *Tit.2.13.* Deum magnum.

CLXVII. 3. Agit hoc loco Apostolus de *gloriosa* apparitione illius de cujus *salutari* apparitione egerat ℣. 11. Atqui hæc apparitio salutis, non Patris fuit sed Filii; notatur enim ea phrasi exhibitio Christi in carnem, quæ non Patri sed Filio, terminativè scil. tantùm competit. Ergo & hoc loco non agitur de gloriosa Patris, sed Christi apparitione.

CLXVIII. 4. Qui dedit semet ipsum pro nobis, ejus adventus versu 13. describitur. Atqui non Pater, sed Filius dedit semet ipsum pro nobis. Ergo non Patris sed Filii adventus gloriosus describitur. Et consequenter epitheton istud *magni Dei* non Patris est, sed Christi. Adde quòd vox ἐπιφανείας in scriptura nuspiam de Patre, sed de Christo tantùm usurpetur.

CLXIX. 5. Quòd Christus dicatur venturus *cum gloria sua Matth.25.31.* Adeo ut non opus sit illâ detorsione verborum, ut per illustrem illam gloriam Dei magni intelligatur, gloria Patris, in qua, vel cum qua Christus dicitur apparuturus. Dicitur *Math.* 25. 31. venturus cum gloria propria.

pria. Quidni ergo hic locus etiam de Christi gloria intelligendus est, atque Christo, nomen & res magni Dei vindicanda.

CLXX. Ipse Adversarius sibi non satis constat, dum pro more suo dicit *posse dici gloriam Dei Patris.* Ostendimus rationibus *non posse.* Maximè, quòd Christus non tantùm ut Minister in Judicio personam Patris sit repræsentaturus; sed ipsemet tanquam Dominus, authoritativè, & vivos & mortuos sit judicaturus. Ergo detorsio illa verborum ad Deum Patrem analogiæ contextus repugnat.

Quæst. 30. *Quid ad sextum respondes?*

Resp. *Sextum testimonium est:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui est & qui venturus est. *Eum verò locum propterea ad Christum referunt quòd arbitrentur neminem venturum, nisi Christum. Is enim venturus est ad judicandum vivos & mortuos; Verùm tenendum est, illam vocem, quam illi reddidere* venturus est, *reddi æquè posse* futurus est, *ut* Ioh. 16. 13. *Ubi Dominus ait de spiritu, quem Apostolis promittebat, quòd illis esset* futura *annunciaturus. Et* Act. 18. 21. *ubi legimus, diem festum* futurum. *In quibus duobus locis est vox Græca* ἐρχόμενος. *Deinde, quis est qui nesciat, cum prius dictum sit* qui erat, *&* qui est, *& posterius hoc, quod additum est, per* futurum esse *reddi debere. Ut ubique de existentia ea oratio accipiatur: & non in prioribus duobus membris de existentia, in postremò de adventu. Nec est quisquam qui non animadvertat, hìc describi æternitatem Dei quæ tempus præteritum præsens & futurum comprehendit. Sed quod crassum hunc errorem detegit, est quod* Apoc. 1. 4, 5. *legimus:* Gra-

Gratia Vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui futurus est & *à septem Spiritibus qui sunt ante faciem throni ejus, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis. E quo testimonio apparet Iesum Christum, ab eo, qui est, qui erat, & qui futurus est, vel ut illi credunt venturus, esse longè alium.*

CLXXI. Argumentamur ex Apoc. 1.8. *Ego sum A & Ω id est principium & finis, dicit Dominus* id est, *qui est, qui erat, & qui venturus est, ille inquam omnipotens* pro vera & æterna Deitate Christi. 1. Qui est principium & finis, hoc est, causa efficiens prima & finalis ultima omnium rerum, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus &c. Ergo. Major extra controversiam est. Quia *ex Deo, & per Deum & in ipsum sunt omnia.* Rom. 11. 36. Omnia sunt propter Deum *Omnia Jehova operatus est propter se. Prov. 16.4.* Priori loco Deus causa efficiens prima; posteriori, finalis ultima statuitur. Minor est in textu. Ergo Conclusionis veritas ultro sequitur. De Christo autem ea verba agere Adversario negare impossibile est, eò quòd versus 11. 13.17. collati cum intercedentibus ejusdem cap. manifestè nimis indicent, ea verba, *Ego sum α & ω* de Christo prædicari. Confer *cap. 22. Apoc. vs.13.* Et de Christo hæc verba sonare non nisi sine fronte negabit Adversarius. Ad hoc argumentum nihil respondit. Fortè quia difficile illi fuit contra stimulum veritatis calcitrare.

CLXXII. Deinde ex sequentibus duplex habemus pro eadem æterna Christi Deitate argumentum. Qui est ille, 1. *qui est, qui erat & qui venturus est,* 2. *qui est omnipotens.* Is est verus & æternus Deus. Atqui Christus hîc de se dicit quòd sit ille *qui est* &c. Omnipotens. Ergo. Adversarius negat locum de Christo agere. Nosque ut affirmativam probemus somniat confugere ad explicationem ὁ ἐρχόμενος per *venturus* est. Sed infirmum id esse existimat argumentum, eòquòd ἐρχόμενος verti possit non tantùm *venturus*, sed etiam *futurus.*

CLXXIII. Asserimus verò his verbis sermonem esse de Christo. Quia id liquet à versu 7. quo Johannes dicit: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt.* Nullo schemate negari potest, de Christo ad judicium venturo rem esse

 nisi

nisi forte quis libidine contradicendi laboret. Eumque Johannes inducit loquentem verbis primis versus 8. *Ego sum α & ω* ut ostensum à *versu 11. 13. 17. cap. 1. & 13. cap. 22.* Jam, ille idem loquens continuat sermonem de se dicens, quod sit is, qui est, qui erat qui venturus est, Omnipotens. Aut indicent Adversarii, rationem mutationis personæ. De Christo ergo ad judicium sermo, qui ab æternitatis & omnipotentiæ attributis describitur.

CLXXIV. Non verò ex eo tantùm probamus de Christo sermonem esse, quòd vox ἐρχόμενος *venturum* significet, *venturum* autem Christum. Ad quod ille pro more antiquo respondet. *verti æquè posse* futurum; adeoque hanc esse descriptionem, æternitatis Patris. Quod duobus locis probat quibus ἐρχόμενος significat *futurum* non *venturum*. Cui repono: *posse* ἐρχόμενος etiam verti futurum. Sed 1. Falsa est ista suppositio, nos ex nuda ista interpretatione vocis Christum intelligi debere, contendere. 2. Debere hoc loco verti venturum, probatur ex versu antecedente, quo adventus Christi in nubibus extra controversiam describitur. 3. Magis subtilitatis quàm vel veritatis vel utilitatis habet hæc distinctio inter venturum & futurum. Quod indicant vel ea ipsa ab autore allegata loca *Joh. 16. 13.* Ubi de Spiritu S. dicitur quòd annunciaturus sit τὰ ἐρχόμενα *futura*, & *Act. 18. 21.* de festo *futuro*. Quid ista aliud sunt, quàm ut primo loco dicatur, spiritum sanctum annuuciaturum ea quæ ventura sunt, & posteriore, festum nondum præteriisse, sed adhuc venturum esse?

CLXXV. Sed aliis argumentis evictum dedimus, descriptionem esse Christi ad judicium venientis, ex antecedentibus, quibus humana ipsius natura in nubibus omnibus conspicua futura innuitur. Hoc verò versu divina ejus natura, quæ causa est omnium rerum, quæ æterna est, quæ omnipotens est, indicatur. Ut etiam ex hoc ipso liqueat, falsum esse, quod Adversarius dixerat sub finem quæstionis præcedentis, Christum scilicet personam Patris in judicio extremo repræsentaturum; quia hic ipsius personæ majestas divina propria describitur.

CLXXVI. Vana ergo est & illa ratiocinatio, ἐρχόμενος æquè de existentia debere explicari, atque præcedentia, *erat* & *est*, adeo ut non accipiendum sit ἐρχόμενος de *adventu*, sed de *existentia*. Quia diximus, Adversarium supponere falsò, nos ex illa interpretatione vocis tantùm velle demonstrare, locum de Christo agere. At hoc vanum

tanum est, diximus id patere, ex connexione versus 7, & 8. quorum versuum unum idemque est subjectum.

CLXXVI. Et cum fatente Adversario *hic describatur aeternitas Dei* (puta his verbis: *qui est, qui erat, qui futurus est*) *qua tempus praeteritum, praesens, & futurum comprehendit*, manifestè hinc vera Christi aeternitas evincitur. Cui enim aeternitas, quae solius Dei attributum est, convenit, is Deus est aeternus. Atqui Christo &c. Ergo. Major est extra omne dubium. Minor est in textu. Etsi negent, negare tamen cum ratione non possunt, Christum esse subjectum utriusque istius versus.

CLXXVII. *Sed, quod crassum errorem detegit, est, quod* Apoc. 1. 4, 5. *legimus: Gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat, qui futurus est & à septem Spiritibus* &c. *& à Iesu Christo* &c. *è quo apparet Iesum Christum esse longè alium ab eo, qui est qui erat, qui venturus est.* Jugulum scilicet totius causae his ineptiis petit Adversarius. Sed error crassus iis non est detectus, multo minus res confecta. Concedimus libenter, imò hoc ipsum est quod docemus, Christum alium esse, alium scilicet personâ à Patre, cujus aeternitas *Apoc. 1. 4, 5.* describitur. Sed *longè* alium esse à Patre, hoc est alium essentiâ, negamus. Imò quod Filius Dei unius sit cum patre essentiae ex eo evincitur, quòd eadem aeternitas quae Patri versu 5. asseritur ipsi, Filio versu 8. vindicetur. Tum etiam quod vers. 4, 5. eodem cum Patre afficiatur cultu divino. Aeque enim gratiam ac pacem precatur Ecclesiis quae sunt in Asia à Jesu Christo, atque à Patre.

CLXXVIII. Dices: Atqui precatur etiam à septem spiritibus. Et tamen hi Deus non sunt ejusdem cum Patre essentiae. Ergo nec Jesus Christus ejusdem est cum Patre ob eam rationem essentiae. Quia par utriusque ratio. *Resp.* Etsi quidam per hos Spiritus universam Angelorum multitudinem indefinitè, numero scilicet septenario, numerum multitudinis ac perfectionis, ex usu scripturae, denotante, intelligant, cujus sententiae *Beza* fuit. Alii definitè septem Angelos supremos & inter caeteros dignitate excellentes, cujus sententiae sunt plerique Hyerarchici.

CLXXIX. Tamen certior est sententia ea, quae hic per septem Spiritus, tertiam Trinitatis personam intelligi debere statuit. Quia fatente ipso *Alcasar* Jesuita apud Pareum: *Bona Theologia non fert, ut gratia & pax evangelica ab angelis postuletur.* Hinc quoties eadem apprecatio ab Apostolis frequentatur,

tatur, *Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 3. 2. Cor. 1. 2. Gal. 1. 3. Eph. 1. 2. Phil. 1. 2. Coloss. 1. 2.* & alibi, toties solus Deus invocatur. Hinc etiam non tantùm *in genere, omne bonum & perfectum donum* dicitur *supernè à Patre luminum descendere Iacob. 1.* sed *in specie* quoque Deus dicitur Deus *omnis gratia* 1. Pet. 5. 10. & *Pacis* 2. Cor. 13. 11.

CLXXX. Quia ergo Angelolatria Papistica execranda est, Spiritum sanctum intelligere hîc oportet, qui per septenarium numerum hîc de scribitur, non quòd præcisè septem sint dona Spiritus S. sed quod varia & multa. *Divisiones sunt donorum, sed idem Spir. 1. Cor. 12. 4.* Numerus definitus pro indefinito. Ponitur effectus pro causa, Metonymiâ non inusitatâ.

CLXXXI. Obstare verò videtur isti explicationi. 1. *Quòd hi Spiritus dicantur septem. Resp.* Per septenarium numerum describi donorum multitudinem & perfectionem, quod unitati & simplicitati Spiritus S. minimè repugnat.

CLXXXII. 2. *Quòd sic gratia & pax petatur ab ipsis donis. Resp.* Per Spiritum sanctum propriè & strictè loquendo, non hîc intelligi dona Spiritus sancti, qui cum unus sit & simplex, sub numero tamen septenario describitur, ratione donorum, quæ sunt numero septem, hoc est varia & multiplicia; vel septem, quòd pacem & gratiam precetur septem ecclesiis, quibus singulis unum eundemque Spiritum sanctum, quasi septem in solidum tribuit. Non ergo à donis petitur hæc gratia & pax, sed ab ipso Spiritu sancto donorum authore & largitore.

CLXXXIII. 3. *Quòd hi septem Spiritus dicantur esse in conspectu throni Dei. Resp.* Phrasin istam, *esse coram throno Dei,* non semper vel necessariò inæqualitatem personarum denotare. Sed sicut Spiritus S. quamvis æqualis Patri, officio tamen voluntario, & secundùm dispensationem, mitti dicitur à Patre & Filio *Joh. 14. 26. & 15. 26.* ita quoque hoc in loco, dicitur esse in conspectu throni ipsius, eò quòd promptus ac paratus sit ad exequutionem officii secundùm eam dispensationem.

CLXXXIV. 4. *Quòd hic Spiritus sanctus ponatur ante Filium Resp.* Ordinem personarum in recensione non ita præcisè observari. 2. *Cor. 13. 13. Gratia Domini nostri Jesu Christi, Charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti.* Vide præterea. *2. Thes. 2. 16. Eph. 5. 5.* Quibus locis Pater secundo loco ponitur. Hîc verò Spiritus Sanctus inter Patrem & Filium Dei medius collocatur, fortè ut eo ipso procedere ejus ab utroque innuatur,

tur; unde Spiritus Patris, *Math.* 10. 12. Spiritus Filii *Rom.* 8. 9. *Gal.* 4. 6. appellatur. Præterea, postponitur hoc loco Filius post Patrem & Spiritum S. quia de Filio prolixior instituendus erat sermo, tum quoad personam, tum quoad officium ejus.

CLXXXV. 5. *Quòd sæpius Angeli postmodum in Apocalypsi numero hoc septenario describantur.* Resp. Circumstantiam rei, & contextus seriem ostendere, non posse Spiritus increatos intelligi, quemadmodum hoc loco series textus & subjecta materia ostendit, rem non esse de spiritu creato. Vel enim alibi locorum intelliguntur, per septem angelos, septem Episcopi Ecclesiarum Asiaticarum; vel septem angeli Spiritus Dei ministratorii, non qui simpliciter *essent* coram facie Dei, ut hoc loco, de septem Spiritibus dicitur, sed qui ita essent ut *starent* coram throno Dei, quæ descriptio est ministerii angelorum [1] *Dan.* 7. 10. *coram quo myrias myriadum stabant.* Hinc etiam Spiritus S. ratione sui procedere à Patre & Filio fluvio igneo comparatur à facie Dei procedente, eodem capite Danielis. Hinc votum illud Johannis cap. 1. *Apoc.* 4. 5. idem est, ac si per expressum â Patre Filio & Spiritu sancto gratiam & pacem Ecclesiis illis precaretur.

Quæst. 31. *Quid ad septimum respondes?*

Resp. *Septimum est, quod ita legimus:* Attendite Vobis ipsis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit per proprium sanguinem. *Respondeo. Nomen Dei non referri hoc loco ad Christum necessariò; sed ad ipsum Deum Patrem referri posse, cujus Apostolus eum sanguinem, quem Christus fudit, sanguinem vocat, eo genere loquendi, & ob quam causam, quo genere loquendi, & ob quam causam Propheta ait, eum qui tangat populum Dei, tangere pupillam oculi Dei ipsius. Etenim summa quæ est inter Patrem & Christum conjunctio, etsi essentiâ sint prorsus diversi, in causa est, cur Christi sanguis,*

guis, sanguis ipsius Dei Patris dicatur; Præsertim siquis expendat quatenus is est pro nobis fusus. Etenim Christus est agnus Dei, qui tulit peccata mundi, unde sanguis in eum finem fusus, ipsius Dei sanguis jure vocari potest. Nec verò prætereundum est silentio, quod in editione Syriaca loco Dei, legatur Christi.

CLXXXVI. Omnibus responsionibus Catecheseos autor eadem chorda oberravit cum suò *Posse*, ita verti, ita intelligi *posse*, quod indicium est causæ desperatæ nisi rationes adducantur, à quibus liqueat, ita verti, ita intelligi *debere*. Hîc eandem crambem reponit ad locum manifestissimum, quo *Deus* dicitur redemisse Ecclesiam *proprio sanguine*; cum autem Pater sanguinem non habeat, sequitur, Filium dici & esse eum Deum qui Ecclesiam redemit. Respondet sanguinem istum *posse dici* Patris sanguinem, quemadmodum scilicet populus Dei pupilla dicitur oculi Dei.

CLXXX. Sed *non posse* ad Patrem referri sanguinem illum, ostendo. 1. Quia non dicitur sanguis simpliciter, sed *sanguis proprius*, ut ita ad alterum referri non possit. Nemo sanguinem proprium fundit, nisi quem in suo corpore habet. Et nullibi scriptura Patri sanguinem proprium tribuit. Christus per *proprium sanguinem* semel introivit in sanctum sanctorum. *Heb. 9. 12.* & de agno dicunt viginti quatuor seniores, redemisti nos Deo in *sanguine tuo*.

CLXXXI. Quod si propter unionem inter Christum & Patrem sanguis Christi potest dici Patris. Tum etiam crucifixio, mors, sepultura Christi, poterunt dici Patris; Pater poterit dici mortuus, sepultus, crucifixus, in cruce exclamasse *Deus mi* &c. Quia Christus fuit Patri conjunctissimus. Adeoque Catechetes Socinianus Patripassianus erit.

CLXXXII. Allegatio loci in speciem huic similis, quo Deus dicitur. *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* dissimilis planè est, adeoque ad rem non facit. Quia sanguis hic dicitur propriè *proprius sanguis* Christi. At pupilla oculi Dei, non propriè sed metaphoricè dicitur.

CLXXXIII. 4. Pecudes Dei sunt *Psal.* 50. E ex sententia Soc. sequetur, sanguinem pecudum, Dei sanguinem dici. Etsi Christus fuerit agnus Dei, tamen sanguis Christi non potest dici proprius sanguis Patris.

Nisi

Nisi etiam dicatur sequi: Hic agnus, hæc ovis est Petri Pauli; ergo effuso ovis, agni sanguine, sanguis quoque Petri, Pauli proprius funditur.

CLCI. Quod de versione Syra addit, in ea loco *Dei* legi *Christi*, orthodoxæ interpretationi non præjudicat, eò quòd omnia græca exemplaria legant Dei. Græca exemplaria hic plus authoritatis habent, quòd sint primigeniæ authoritatis, Syriaca versio derivatæ tantùm. Et quantumvis legeretur etiam in græcis codicibus, *Christi*, tamen subjecta materia argumento esset Christum esse verum Deum; eò quòd Ecclesiam habeat, cujus ille caput atque sponsus est.

Quæst. 32. *Ad octavum verò?*

Resp. *Octavum ita habet:* In eo cognovimus charitatem Dei, quòd is animam suam posuit pro nobis. *Primum igitur sic habeto: Neque in græca editione ulla (exceptâ Complutensi) nec in editione Syriaca vocem* Deus *haberi. Verùm etiamsi vox haberetur in omnibus exemplaribus, num idcirco ea vox* ille *ad Deum erit referenda? Non certè: non solùm ob eam causam, quam paulò superius attulimus in responsione ad testimonium tertium, quòd verba ejusmodi non semper ad propinquiores personas referuntur; Verùm etiam quod ἐκεῖνος vocem græcam Iohannes in hac epistola sæpe ad eum refert, qui longè antea nominatus fuerat, ut e tertio, quinto & septimo versu ejusdem capitis in græco apparet. Ubi inquit:* & qui habet hanc spem in eo, sanctificat seipsum sicut & ipse *(Christus nimirum)* sanctus est. *Et* nostis quia ipse *(Christus nempe)* apparuit, ut peccata nostra tolleret. *Et* qui facit justitiam justus est, quemadmodum ipse *(Christus)* justus est.

CXCII. Is qui animam posuit pro nobis est Deus. Christus animam posuit pro nobis. Ergo Christus est Deus. Resp. Advers. *vocem Dei non extare in editionibus græcis, præterquam Complutensi.* Sit ita, non extet. *In eo cognovimus Charitatem quod is animam posuit pro nobis.* Legantur verba hoc modo. At versus immediatè sequens ostendit, cujus Charitas in eo cognita sit, nempe Dei: *quomodo Charitas Dei manet in eo?* Dato etiam, ex versu 17. non ostendi, quomodo ℣ 16. suppleri debeat, ipsum opus Christo tributum, positio nimirùm animæ pro nobis, indicio est manifesto, Christum non esse hominem tantùm, eò quòd homo pro homine animam ponere non possit, ad promerendam ipsi vitam æternam. *Fratrem nullo modo potest redimere quisquam, non dare Deo redemptionem ejus, est enim cara redemptio vitæ eorum* Psal. 49. 8, 9.

CXCIII. Et hactenus breviter ac perspicuè, nec minus solidè censeo vindicatos à corruptela Adversariorum, locos eos, quibus Christo veram cum Patre coessentialem Deitatem à nominibus soli Deo propriis Orthodoxi asserunt. Atque adeo ab Adversariis nihil sit responsum ad argumentum hoc: Cui veri Dei nomina, propriè, in casu recto competunt, is est verus ac æternus Deus, is præter humanam, divinam quoque habet naturam. Atqui Christo veri Dei nomina, propriè in casu recto competunt. Ergo Christus est verus & æternus Deus.

Quæst. 33. *Satisfecisti mihi quoad nomina Iesu Christi: exponi mihi velim testimonia, quæ facta & operationes respiciant, quas Adversarii Christo à scriptura attribui opinantur?*

Resp. *Ea sunt in quibus illi existimant, à scriptura eidem attribui: quòd cælum & terram crearit, quòd res omnes creatas conservet; quòd eduxerit populum Israel ex Ægypto; quòd cum eo existens in deserto eum deduxerit, eique benefecerit; quòd ab Esaia gloria ipsius visa fuerit; quòd incarnatus fuerit.*

CXCIV. Valde servilis & emancipati ingenii fuerit oportet Catechumenus iste Socinianus, qui sibi à Smalcio Dictatore, dixerim nugatore in seriis, satisfactum confitetur, quoad argumenta ea, quæ Ortho-

Orthodoxi pro æterna Deitate Christi, ex nominibus veri Dei petunt. Cum tamen nihil solidi ab eo responsum sit, nisi *Posse* hunc vel illum locum ita legi, intelligi, accipi. Fungus sit oportet cui his talibus satisfiat, nisi videat rationes evidentes, ob quas id fieri, non *possit*, sed debeat.

CXCV. Verùm quia non tantùm à nominibus divinis Christi evincitur æterna Deitas, sed etiam ex effectis & operationibus soli Deo propriis; ad eorum quoque argumentorum enervationem se accingit Adversarius, sed æquè infeliciter, atque hactenus ad reliqua.

Quæst. 34. *Expone igitur mihi, quibus testimoniis approbare contendunt, Christum cælum & terram creasse?*

Resp. *Iis, ubi scriptum extat, quòd* per eum omnia facta sint, *Ioh.* 1. 3. & sine eo factum sit nihil, quòd factum sit. *& rursus quòd* in eo omnia sint condita, & ea quæ in cælis, & ea quæ interris. & visibilia, & invisibilia sive throni sive Dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipsum creata sunt *Col.* 1. *vs.* 16. *& quòd Deus per eum secula* fecerit. Heb. 1. 2. *Denique & ex eo:* Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, &c.

CXCVI. Hæc sunt loca omni exceptione majora, quibus Christo Creatio omnium rerum competere invictissimè demonstratur. Argum. tale est: Qui creavit omnia, non ut instrumentum, sed ut causa prima, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus creavit omnia, non ut instrumentum, sed ut causa efficiens prima. Ergo Christus est verus & æternus Deus. Ad Majorem non habent quod dicant Adversarii. Quia creatio est entis alicujus à *non esse* ad *esse*, à statu *nihil* ad statum *aliquid* productio: Et, cum *nihil* & *aliquid* in infi-

infinitum differant, infinita requiritur potentia in eo, qui τὸ nihil ad statum τȣ̃ aliquid, producere velit. Quæ potentia infinita cum non nisi in Deum infinitum cadat, Major invictæ est veritatis. Qui creavit omnia is est verus & æternus Deus. Quare de responsionibus ad Minorem maximè est sollicitus, totusque est in dictis iis corrumpendis, glossandis, quæ eam stabiliunt. Primum ejus rei specimen habemus quæstione sequente.

Quæst. 35. *Quî verò ad primum testimonium?*

Resp. Primum, *non habetur in primo testimonio*, creata *sunt*, *verùm* facta *sunt*. Deinde *ait Iohannes facta esse* per *eum*; *qui modus loquendi*, *non eum*, *qui* prima causa *sit alicujus rei*, *verùm* causam secundam *aut* mediam *exprimit*. Denique *vox* Omnia, *non pro omnibus prorsus rebus hîc sumitur*, *sed ad subjectam materiam restringitur omnino*, *quod frequentissimum est in literis divinis*, *præsertim Novi testamenti*, *cujus rei exemplum singulare extat* 2. Cor. 5. 17. *In quo sermo habetur de re huic*, *de quâ Iohannes tractat*, *admodum simili*, *ubi dicitur*: Omnia nova facta esse; *cum certum sit multa extare*, *quæ nova facta non sunt. Cum ergo subjecta materia apud Iohannem sit Euangelium*, *apparet*, *vocem* omnia, *de iis omnibus*, *quæ quoquomodo ad Euangelium pertineant accipi debere.*

CCXVII. Primum testimonium, quod Christo creationem tribuit est Joh. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*. Excipit Adversarius. *Primò*. Non esse in textu *creata*, sed *facta*. Adeoq; hîc nihil de creatione. Ignorationis scilic. elenchi obliquè Orthodoxos in allegatione loci insimulat. Verùm, cum Advers. tantus scripturarius videri velit, mirari subit, ignorantiam ejus, nempe has voces *creare* & *facere*, cum de creatione agitur, esse synonymas. Non quòd statuam, ubicuncque vox *facere*

facere occurrit, creationem intelligi debere; sed cum vox facere cum objecto creationis construitur, ut cum agitur de cælo, terra, mari & quæ in iis sunt, in talibus locis ubi est verbum facere, ibi tantundem significat quod creare.

CCXVIII. Hinc in scriptura Ver. testamenti Spiritus S. promiscuè utitur voce בָּרָא & עָשָׂה ut videre est Psal. 33.6. *Verbo Iehova.* נַעֲשׂוּ *facti sunt celi* & Psal. 121. *Axilium meum in nomine Domini* עֹשֵׂה *qui fecit calum & terram.* Similes loci sunt *Esa.* 37. 16. & 44 19. & 62. 2. *Ierem.* 32. 17. Et in Novo testamento, dum prima creatio rerum describitur, Spiritus S. non præcisè utitur verbo κτίζω *creo* sed verbo ποιέω *facio* promiscuè. Exempla ex multis pauca *Act.* 4. 24. *Domine tu es Deus qui* fecisti *calum & terram & mare &c.* Act. 14. 15. *Ad Deum vivum ὃς ἐποίησε, qui* fecit *calum & terram.* Act, 17. 24. *Deus qui* fecit *mundum* & *omnia qua in eo sunt.* Cum ergo vox *creare* & *facere* in creationis negotio sint synonimæ, Adversarius autem, ut ictum argumenti declinet, inter *facere* & *creare* distinguat, indicio est certo, aquam illi hærere, hoc est, nihil habere quod huic argumento reponat.

CCXIX. Quod secundo loco adfert: *Ait Johannes facta esse per eum; qui modus loquendi, non eum, qui prima causa sit alicujus rei, verùm causam secundam aut mediam exprimit*, plusquam puerile est. Inspiciantur loca *Rom.* 11. 36. *Ex eo* PER *eum*, nempe Deum Patrem, *sunt omnia.* 1. Cor. 1. 9. *Fidelis Deus* PER *quem vocati estis.* Galat. 1. 1. *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed* PER *Iesum Christum & Deum Patrem.* Eph. 1. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi* PER *voluntatem Dei.* An etiam istis locis hic modus loquendi causam mediam vel secundam exprimit, dic sodes?

CC. Non nescio quid ad ista alicubi reponat Smalcius, nimirum *diverso modo dici de Deo & Christo, per eum esse omnia. Nihil obstat quo minus unus idemque loquendi modus competat duobus diverso respectu.* At quis ille modus sit docendi eramus; Smalcio simpliciter dictanti non subscribimus implicitâ fide. Dicet fortè: *Cum* PER *tribuitur Patri, nullum est dubium, quin denotet causam efficientem primam, quia Pater non habet se majorem. At cum de Christo dicitur, facile est colligere, notari præpositione* PER *causam mediam*, eò *quòd Pater Christo sit major.* At hoc nihil est. Quia dum Christus dicit, *Pater major me est*: majoritatem Patris supra se agnoscit, ratione officii mediatori, & humanæ naturæ, non ratione essentiæ.

CCI. Et dato, non concesso, *per* hic notare causam mediam, adhuc tenetur Adversarius, Christum scilicet fuisse antequam ex Maria virgine homo nasceretur. Per quem enim omnia creata sunt tanquam causam mediam, is in creatione, imò ante creationem fuerit, necesse est. Si hoc, dent Adversarii tempus, quo Christus ante creationem esse cœperit; non dabunt sat scio; Ergo æternus. Particulâ autem *per* ordo & modus operandi personarum divinarum indicatur. Alioqui, *quæcunque Pater facit, Filius similiter facit* Joh. 5. vers. 19.

CCII. Prævidit Adversarius & hoc commento nodum non solvi, itaque *tertiò* comminiscitur, per *Omnia*, hic intelligi debere non physicè *omnia creata*, sed moraliter *omnia renovata*, scilicet per Euangelium; adeout hic res sit de regeneratione, non creatione. Sed nugas istas ipse textus refellit. Primò enim absolutè dicitur omnia; ergo ubi Spiritus S. non restringit, nec nobis licet. Spiritus S. ubi de reformatione ista & renovatione agit, tales adhibet voces, ex quibus id colligere licet. 2. *Cor.* 5. 17. *Si quis igitur est in Christo, nova res condita est; vetera præterierunt ecce nova facta sunt omnia.*

CCIII. Si instet Adversarius, dicens: vocem *Omnia* ad subjectam materiam restringi debere: Annuo. Ast quæritur quænam hujus loci Johannis sit subjecta materia? Euangelium dicis. Nego. Quia Euangelii nulla mentio. At ais: Euangelium scripsit Johannes. Certissimè, sed an ideo non licet exordiri aliunde quam ab Euangelio? Quid prohibet, in scribendo Euangelio, ea, quæ vel ante, vel extra Euangelium facta sunt, commemorare? Matthæus Euangelium scribens dicit cap. 19. 4. *Deum ab initio fecisse Masculum & fæminam*; & Joh. 8. 44. *Diabolum fuisse homicidam ab initio.* Ex regula Adversarii, verborum horum hic erit sensus: Deum ab initio Euangelii, masculum & fœminam fecisse; Diabolum ab initio Euangelii homicidam fuisse.

CCIV. Deinde, manifestum est, versibus primis primi capitis Johannis, non agi de rebus Euangelii, sed creationis, eò quòd versu demum 14. hujus cap. de rebus euangelii incipiat agere. λόγος *caro factus est, plenus gratiæ & veritatis: & ex plenitudine ejus omnes accepimus gratiam, pro gratia. Nam lex per Mosen data est; gratia & veritas per Iesum Christum præstita est.*

Quæst. 36. *Cur verò addidit Iohannes, quòd* sine ipso factum sit nihil, quod factum est?

Resp.

Resp. *Addidit hæc Iohannes ut eò meliùs illustraret illa superiora:* Omnia per ipsum facta sunt; *quæ eam vim habere videntur, per solum verbùm, vel Filium Dei omnia illa facta esse, licet ejus generis quædam, & quidem magni momenti, non per ipsum, sed per Apostostolos facta fuerint, ut est vocatio gentium & legum ceremoniarum abolitio. Licet enim hæc originem ab ipsis sermonibus & operibus Domini Iesu traxerint, ad effectum tamen non sunt producta, nisi per ipsum Christum, sed per ipsius Apostolos, non tamen sine ipso. Apostoli enim omnia nomine & authoritate ipsius administrarunt, ut etiam ipse Dominus ait: Ioh.* 15. 5. Sine me nihil facere potestis.

CCV. Nititur hæc explicatio *& sine ipso factum est nihil,* (quam implicationem rectius dixeris,) hypothesi illâ, agi hoc initio Euangelii Johannis de regeneratione seu renovatione omnium. Quam cum falsam esse in superioribus ostenderimus, non est quòd nugis istis refutandis immoremur. Ex concessis ipsius Adversarii non possum non veritatem æternæ Deitatis Christi adstruere. Dicit: Apostolos nihil sine Christo fecisse; dicente ipso Christo: *sine me nihil potestis.* Unde sic argumentor. Qui gratiâ suâ spirituali Apostolis operantibus adfuit, is verus est ac æternus Deus. Atqui Christus. Ergo. Major liquet ex *1. Cor. 3. 10.* Ubi Paulus expressè, opus suum, Deo, cujus minister erat, tribuit: *Secundùm gratiam Dei quæ data est mihi.* & 1. Cor. 15. 10. *Amplius quàm illi omnes laboravi non tamen ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Ex quibus locis videre est, operantem illam vim, de qua Christus dicit Apostolis, *sine me nihil potestis*, quam & ipsi Adversarii in Christo agnoscunt, esse ipsissimam vim & gratiam Dei. Ergo Christus verus & æternus Deus est.

Quæst. 37. *Qui verò respondes ad secundum?*

Resp.

Resp. *Primum quòd hîc non scribat, Iohannes mundum esse* creatum *sed* factum. *Deinde, eodem loquendi modo utitur, qui mediam causam designet; ait enim, mundum* PER *eum factum. Denique hæc vox mundus quemadmodum & aliæ, quæ prorsus idem in scripturis valent, non solùm cælum & terram denotant; verùm præter alias significationes, vel genus humanum designant, ut locus præsens ostendit,* Ioh. 1. 10. *ubi ait:* In mundo erat & mundus eum non agnovit: &, mundus eum sequutus est, Ioh. 12. 19. *aut etiam futuram immortalitatem ut apparet* Heb. 1. 16. *ubi ait:* Et cùm iterum introducit primogenitum in mundum ait: & adorent eum omnes angeli Dei. *Quod de futuro mundo accipi apparet è cap. 2. ejusdem epistolæ, ubi ait:* etenim non angelis subjecit futurum mundum de quo loquimur. *At nusquam de eo loquutus fuerat nisi vers. 6. cap. 1. Præterea habes locum* cap. 10. 5. *ubi de Christo loquens ait:* Propterea ingrediens in mundum ait: hostiam & oblationem noluisti, verùm corpus aptasti mihi; *ubi cum palàm sit eum loqui de mundo inquem ingressus Iesus, sacerdos noster factus est, (ut circumstantiæ omnes demonstrant) apparet, non de præsenti sed de futuro mundo agi, quandoquidem* cap. 8. 4. *dixerat:* Si in terris esset, ne sacerdos quidem esset.

CCVI. Locus secundus quo Christus probatur creator, est Joh. 1, 10. *Mundus per eum factus est.* Respondet Adversarius tria. 1. Non dici mundum *creatum* sed *factum*. Dictum jam est ad quæst. 35. Spiritum sanctum vocibus *creandi* & *faciendi* promiscuè uti. Imò voce

voce *faciendi* non sine emphasi, dum de creatione rerum agit; Ut scilicet omnia omnino comprehendat, non solùm quæ *creata* sunt, sed & quæ quocuncque modo *facta*. Non enim unum habet modum faciendi sapientia divina. Quædam creat, quædam ex subjecta materia efficit, alterat. Ut igitur omnia quæ Deus quocuncque modo facit, per Verbum facta esse intelligantur, voce *faciendi* potius utitur, quàm *creandi*, cum hæc non ita latè pateat ac illa.

XXVII. *Secundo*, ait, *eodem loquendi modo utitur, qui mediam causam designet*. Dictum est, ad quæst. 35. *per* non notare hìc causam mediam, sed ipsam efficientem. Ostendi id ex scripturis. Ratio idem testatur: quia Deus in creatione causa media nullâ, instrumento nullo usus est. Instrumentum enim agit in materiam prædispositam, atqui materia immediatæ creationis nulla fuit. Sed ex nihilo creata omnia. Deinde causæ media seu instrumentum successivè agit; at verò Deus omnia in momento creavit. Et, si Deus, Verbo, id est, Christo usus est in creatione ut instrumento, ante creationem fuerit oportet & sic secundùm aliud necesse est fuerit quàm secundum humanam naturam, quæ in plenitudine temporis nata est.

XXVIII. *Tertiò*, ait vocem mundi significare non tantùm cœlum & terram, *sed etiam genus humanum, vel futuram immortalitatem*, posteriori sensu hìc accipi. Non contendimus cum Adversario vocem mundi genus humanum designare, res manifestior est in scriptura, quàm ut negari possit. Quando verò notat futuram immortalitatem, id vel ab epitheto voci mundi addito, vel à circumstantia rei liquet. *Heb. 2. 5.* vox mundi, additum habet futurum; ut de significatione vocis mundi disquirendum anxiè non sit, præterquam quòd in textu non sit vox κόσμος; sed οἰκουμένη. *Heb. 10. 5.* accipi pro mundo futuro ut vult Smalcius, somnium est Socinianum, quod falsa illâ hypothesi nititur, quasi verò Christus officio sacerdotali, quoad alteram partem, oblationem nimirum, non in terra sed in cælo demum functus fuerit. Cujus hypotheseos falsitas, infra, ubi de Sacerdotio Christi acturi sumus, ad oculum liquebit.

XXIX. Et versum illum 5. cap. 10. de mundo futuro interpretari, tum modus loquendi, tum res ipsa prohibet. Modus loquendi quidem; quia, quando Christus, vel *ingredi* vel *venire in mundum* dicitur, nunquam intelligitur cœlum & sedes beatorum, sed ubique

hic mundus præsens. *Exivi à Patre & veni in mundum* Joh. 16. 29. Est quidem ὁ κόσμος *mundus*, valde πολυσήμαντον, sed nuspiam pro cælo invenitur in Sacris.

XXX. Res ipsa. Quia Christus non duplex sed unum corpus habuit, illud scilicet quod ex Maria habebat. Allegatio autem dicti istius ex Sociniana mente supponit, Christo post ascensionem abolito corpore animali, corpus aliquod ἐπουράνιον καὶ πνευματικὸν cæleste & Spirituale fuisse aptatum. Cum tamen scriptura de uno tantum corpore Christi loquatur, quod ex Maria assumsit, & postea in cælos est subvectum.

XXXI. Si inspexisset Smalcius textum Hebræum, nunquam ita delirasset. Respicit Apostolus ad *Psalmi* 40. versum 7. quo dicit Messias. *Aures perfodisti mihi*, hoc est fecisti me obsequentem & addictum perpetuò. Sumptâ loquendi ratione à servis Hebræorum, quibus servitio exire nolentibus, heri aurem subula perfodiebant, eamque ad januam domus aut postem affigebant, *Exod.* 21. 5, 6. Hinc servi aurium perforatorum signo notati, omnium obsequentissimi habebantur. Quo sensu etiam Messias verbis istis utitur, ut iis suam testaretur ad obsequiū promptitudinem. Quæ certè Sociniani ad corpus illud cæleste quale Christo affingunt, nullâ specie transferre possunt. Nam quomodo corpus Spirituale, & aures corporeæ perforatæ convenient?

XXXII. Oportet ergo verba *Heb.* 10. 5. de corpore illo quod in his terris gestavit intelligere, & sic Synecdoche partis pro toto verbis illis Psalmi 40. 7. idem dicetur quod his, corpus aptasti mihi, scilicet ad obedientiam habile, promptum, ut liquet ex sequenti versu 9. *Ecce adsum ut faciam voluntatem tuam Deus*; quod parallelum est illi *Joh.* 6. 38. *Descendi è cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.*

XXXIII. Denique versu hoc 10. *cap.* 1. *Joh.* absolutè dicitur, mundus per ipsum factus est, quod idem est cum eo, quod supra versu 3. dixerat omnia per eum esse facta. Omnia *renovata* intelligi supra jam est ereptum. Ergo invictum est argumentum. Per quem mundus factus est, non tanquam causam mediam, sed primam, is est Deus. Atqui per Christum &c. Ergo.

Quæst. 38. *Quid vero per hæc, mundus per eum factus est, intelligis?*

Resp.

Resp. *Duplex eorum sensus dari potest.* Prior, *quòd genus humanum per Christum reformatum, & quasi denuo factum sit; eò quòd ille generi humano, quod perierat, & æternæ morti subjectum erat, vitam attulit, eamque sempiternam. (quod etiam mundo Iohannes exprobrat, qui per Christum ab interitu vindicatus, eum non agnoverit sed spreverit, & rejecerit.) Is enim mos Hebraici sermonis, quod in ejusmodi loquendi modis, verba,* facere, creare, *idem valeant, quod denuo facere, & denuo creare: idque propterea, quòd verbis quæ composita vocant, ea lingua careat.* Posterior *verò sensus est, quod illa immortalitas, quam expectamus per Christum, quantum ad nos facta sit: quemadmodum eadem futurum seculum habita ratione nostri vocatur, licet jam Christo & angelis sit præsens.*

XXXIV. Silentio præteriri posset coccysmus iste perpetuus: *Duplex eorum sensus dari potest.* Non tantùm quòd certitudini scripturæ adversetur, eamque ambiguam, supponat. Sed etiam, quòd non de *posse*, sed de *debere* quæratur. Non potest autem duplex esse horum verborum sensus, sed, simplex & unus, hic nempe: quod mundus, h. e., cælum, terra, mare, & omnia quæ in iis sunt, per Christum creata sint, non autem renovata regenerata.

XXXV. Quia vox mundi, absolutè posita, simpliciter facere, non tale vel tale facere, arguit. Ostensum supra agere Johannem de principio creationis omnium rerum ex versu 3. quia dicuntur omnia simpliciter per Christum facta. Atqui ea quæ regenerata sunt, non sunt omnia. Præterea non loqui Johannem de mundo futuro sive de futura immortalitate, clarissimè liquet ex inspectione circumstantiæ rei. *Primò* is mundus intelligitur, quem Christus illuminavit, in quo erant tenebræ. Atqui hoc non potest intelligi de futura immortalitate. *Secundò* de eo mundo, qui Christum

non cognovit. Atqui de mundo futuro, futuræ immortalitatis, dici non poteſt, quòd eum non cognoverit, cùm eum viſuri ſimus à facie ad faciem, ſicuti eſt.

Quæſt. 36. *Quid ad tertium.*

Reſp. *Præter id, quòd & hoc teſtimonium loquatur de Chriſto tanquam media & ſecunda cauſa; verbum* creata ſunt *non ſolùm de vetere verùm etiam de nova creatione in ſcriptura uſurpari conſtat. Cujus rei exempla habes. Eph.* 2. 10. Ipſius factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis & *paulò inferius* ẏſ. 15. Vt duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, *Iacob.* 1. 16. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod ejus creaturæ. *Præterea verba:* omnia in cælis & in terra, *non uſurpari pro omnibus prorſus, apparet non ſolùm ex verbis paulò inferius ſubjectis v.* 20. *ubi Apoſtolus ait.* Quòd per eum reconciliata ſint omnia in cælis & in terra. *Verùm etiam ex iis ipſis verbis in quibus Apoſtolus non ait,* cælum & terram creata eſſe; *verum ea omnia* quæ in cælis & in terra ſunt.

XXXVI. Ad id quod primo loco reſpondet de Chriſto ut media cauſa, jam ſemel atque iterum reſpondi. Nugas eſſe pluſquam pueriles. Superſedere potuiſſet Adverſarius ab allegatione ſcripturarum talium quibus verbum *creandi* novam creationem ſignificat. Largimur. At de eo quæſtio non eſt. Diximus jam ante, ſubjectam materiam determinare, quibus locis eo ſignificatu accipiatur, & his tribus, eam hoc ſenſu ſumi, cæcus ſit oportet qui non videat. An verò inde ſequitur; Ego etiam hoc loco *Col.* 1. 16. ita uſurpari debet? Minimè.

Nullo

XXXVII. Nullo modo subjecta materia admittit. 1. Quia non *omnia* sunt regenerata, sed *homines* tantùm, iique non *omnes*, sed *pars* tantùm. 2. Quia hîc agitur, de visibilibus invisibilibus. At non omnia visibilia invisibilia regenerata sunt: caderet enim regeneratio præter hominem visibilem etiam in bruta visibilià, quia dicitur *omnia visibilià*. 3. Quia hîc mentio fit Angelorum creationis, qui quidem creati sunt, sed non recreati, regenerati. Ergo non intelligitur regeneratio sed prima creatio. 4. Quia Apostolus inter primam & secundam creationem hoc capite distinguit. Hoc versu 16. agit de prima creatione; versibus 20, 21, 22. de regeneratione, reconciliatione; quare Adversarius, verba eorum versuum frustra adfert, tanquam commentarium versus 16. Hoc enim versu absolutè dicit omnia creata, illis omnia quæ in cælis quæ in terra reconciliata; Adeo ut hâc mutatione vocum Apostolus innuat se ℣ſ. 16. agere de prima, his demum versibus 20, 22, 22. de secunda creatione.

XXXVIII. Non prætereundum est sicco pede, 1. Quod ex hoc ℣ſ. 20. expressè probetur distinctio Ecclesiæ militantis in terra & triumphantis in cælo. Dicuntur enim per Christum omnia reconciliata, quæ in cælis, quæ in terra. Ubi per eos qui in terra sunt, vivos intelligi, in terra adhuc degentes, neque ipsi Adversarii negare audebunt. Per eos qui in cælis sunt, Angeli intelligendi non sunt. Quia Christus eos tantùm reconciliavit, qui lapsi sunt, qui sub peccatum conclusi, qui filii iræ fuerunt, & quorum fuit mediator. Atqui nihil tale de Angelis dici potest. Ergo per eos qui in cælis sunt, intelliguntur beati spiritus eorum, qui in Domino obdormierunt, fruentes fructibus reconciliationis ex parte, donec ultimo die corporibus è pulvere suscitatis, animæ & corporis fiat conjunctio; Ergo datur Ecclesia triumphans.

XXXIX. 2. Quod etsi detur versum 16. agere de reconciliatione per Christum omnia esse esse reconciliata; Nihilominus hinc veritas æternæ Deitatis Christi assereretur firmissimè. Si enim ante novam creaturam fuit Christus, fuit ante Mariam matrem, fuit ante omnes Veteri Test. regenitos. Ergo Christus magis quid est quàm homo, & fuit aliud aliquid antequam homo fieret. Aut sequetur ante Christum è Maria virgine natum, nullam fuisse, regenerationem nullam extitisse

creaturam novam. Eligant quod velint Adversarii.

XL. Ut prius non admittant; scilicet, Christum Deum æternum esse, posterius asserere non verentur. Contra manifestam scripturam dicentem: *Nos gratia Domini nostri Iesu Christi salvatum iri quemadmodum & illos. Act. 15. 11.* scilicet Patres. Et sanè ubi est Ecclesia, quæ est mater fidelium, ibi spiritualis proles, novaque creatura. Atqui in Veter. Test. Ecclesia fuit. Ergo & regeneratio. Et, ubi *cor novum, Spiritus novus, cor circumcisum, mundum,* ibi regeneratio. Atqui in V. Test. hæc talia fuerunt *Ezech. 36. 26. Deut. 30. 6. Ps. 51. 12.* Et regnum cælorum non ingredientur nisi qui sunt nova creatura, dicente Christo: *Nisi quis renatus sit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei,* Joh. 3. 5. Atqui fideles ante Christum natum in regnum cælorum ingressi sunt, Enoch, *Gen. 5. 24.* Elias *2. Reg. 2.* Abraham *Luc. 16.* Ergo regenerati, ergo nova creatura. Et proinde falsum est quod dicunt Adversarii, ante Christum natum non fuisse novam creaturam. At si fuit, eaque non nisi per Christum facta, sequitur, Christum, non tum demum esse cæpisse, cum ex Maria nasceretur, sed antiquius fuisse ac consequenter eum esse Deum æternum.

XLI. Ultimo loco, rimam, quâ elabatur, quærit Adversarius dicens: Apostolum non dicere, *cælum & terram creatam esse,* verùm omnia *quæ in cælis & in terra sunt.* Sed responsum habeat ex suo Enjedino Explicat. locor. script. pag. 348. *Si quis forte instat, ac dicat, hic non cælum & terram dici creata esse, sed ea, quæ in cælo & in terra sunt; Respondeo, nihil referre, utrovis modo loquatur scriptura, sensum esse eundem.* Non habeo quod addam. Refutatus est Smalcius, à suo Enjedino.

Quæst. 40. *Qui verò istud testimonium intelligis?*

Resp. *Ad eum modum, quòd per Christum omnia quæ sunt in cælis & in terra, postquam eum Deus à mortuis excitavit, reformata sint & in alium statum atque conditionem translata; Id verò cum Deus & angelis & hominibus Christum Caput dederit, qui antea tantùm Christum solùm pro Domino agnoverunt.*

Colla-

XLII. Collatis iis quæ ad quæstionem præcedentem diximus, liquebit, sensum hunc Socinianum evidentissimo textui esse illatum, non ex eo elicitum. Petitio principii est, dum dicitur, post Christi resurrectionem omnia reformata esse. Probandum hoc erat, non dicendum. Fuit reformatio, & renovatio fidelium etiam ante Christum natum in Vet. Test. Præterea etiam Angeli dicendi essent regenerati & nova creatura facti, cum tamen fatente Enjedino, *nova creatura propriè & principaliter ad solos homines pertineat.*

XLIII. Christum demum post resurrectionem factum esse, Dominum Angelorum, tam falsum est quàm quod falsissimum. Scriptura testatur Angelos Christo etiam in statu exinanitionis promptos fuisse ad officia & ministeria. *Math.* 4. & quid illud est, quòd mali angeli ad præsentiam Christi ita exhorruerint, nec ejus præsentiam ferre potuerint, nisi, quòd eum caput suum Politicum, & judicem agnoverint? Falsum est & illud quod supponitur, Christum post resurrectionem demum caput Ecclesiæ factum. Quia ut caput Ecclesiæ etiam in exinanitionis statu, authoritate propriâ in universum mundum Apostolos, expedivit, illisque facultatem sacra faciendi dedit, concessit.

Quæst. 41. *Qui respondes ad quartum testimonium?*

Resp. *Eo pacto, quod hîc palam scriptum sit, non Christum fecisse, sed Deum per Christum fecisse secula. Vocem verò* secula *non solùm præsentia & præterita, verùm etiam futura significare posse, in confesso est. Hic verò de futuris agi, id demonstrat, quòd idem autor affirmet, per eum, quem hæredem universorum constituerit Deus, etiam secula esse condita. Nam Iesus Nazarenus, non prius hæres universorum constitutus fuit, quàm eum Deus ex mortuis excitavit. Quod hinc patet, quòd tunc demum omnis potestas in cælo & in terra eidem data à Deo Patre fuerit, cujus potestatis donatione, & non aliâ re, ista universorum hæreditas continetur.*

Locis

XLIII. Locus quartus, quo Christo tribuitur creatio, est *Heb.* 1. 2. *Per quem etiam secula condidit.* Excipit adversarius ad eum. 1. *Non dici Christum fecisse, sed Deum per Christum.* Respicit scilicet adversarius, ad illud quod supra jam aliquoties, à nobis explosum. *Per* semper notare instrumentalem causam. Cum tamen nihil ista phrasi innuatur, nisi ordo operandi qui est inter Patrem & Filium.

XLIV. 2. Inquit: *Vocem secula non tantùm significare* (nota) *posse præterita & præsentia, sed etiam futura.* At quæritur quænam secula hic intelligenda sint? Futura inquit Adversarius. Nego. Quia dicuntur secula simpliciter, & in definitè absque ulla restrictione ad futura; Ergo per *αἰῶνας* hic sunt intelligendæ res cum ipso tempore. Et, præteritum hic respici, indicat vox præterita *ἐποίησε fecit*, non *faciet*.

XLV. Probat ille rem esse de futuro seculo, eò quòd dicatur, per eum, quem hæredem universorum constituerit Deus, etiam secula esse condita. At Jesus demum post resurrectionem hæres constitutus, quia tum demum illi data omnis potestas. Sed dubium per æquè dubium, imò falsum per falsum probat Adversarius. Nimirum, Christum demum post resurrectionem factum esse hæredem omnium. Fuit Christus hæres omnium ab æterno.

XLVI. Gratis verò supponit Christum non prius constitutum hæredem universorum quàm eum Deus ex mortuis excitavit, idque ex eo, quòd tum demum omnis potestas in cælo & in terra eidem data à Deo Patre fuerit, cujus potestatis donatione, universorum hæreditas continetur. Quod si ab Adversario probationem ejus requiram, nimirum illi potestatem omnem datam post resurrectionem, producet verba ipsius Christi *Math.* 28. 18. post resurrectionem prolata. Quibus quidem verbis Christus profitetur datam sibi esse omnem potestatem, sed nullis fidiculis ex iis elicies datam eam fuisse post resurrectionem. Quæ consequentia? Christus post resurrectionem dixit ea verba, *data est mihi omnis potestas* &c. Ergo iis significavit, datam sibi esse potestatem post resurrectionem? Similis consequentia illi Lutheranæ: Christus illa verba, *Ero vobiscum usque ad consummationem mundi*, dixit in humana natura. Ergo de humana natura intelligenda sunt. At consequentia ista nulla. Dixit Christus multa in humana natura, nec tamen omnia de humana natura intelligenda sunt, quæ in humana natura eum dixisse constat.

Ergò

Ergo nec ista consequentia alicujus est momenti, Christus post resurrectionem dixit data est mihi omnis potestas. Ergo de datione, quæ post resurrectionem facta est, interpretanda sunt.

XLVII. Et non esse hanc dicti istius Christi mentem, liquet, quòd potestatem istam in cælis & in terra alleget tanquam fundamentum, à quo mandatum illud legationis Apostolorum ad prædicandum Euangelium pendebat. Quasi dicat: eò quòd mihi data sit potestas in cælo & in terra, vel eò quòd habeam potestatem in cælo & in terra, mitto vos: *ite in universum mundum* &c. Miserat Christus & antea eadem fini Apostolos *Math. 10. 5.* Ergo habuit potestatem in cælis & in terra, & consequenter non post resurrectionem data; & quia potestatem eam habuit ante resurrectionem, ergo & hæreditatem, vi argumentationis Socinianæ.

XLVIII. Sed quid opus est istis ratiocinationibus? Nego simpliciter Christum non fuisse hæredem ante resurrectionem. Nego & illud Christo post resurrectionem datam omnem potestatem. *Prius* nego, ex *Psal. 2. 8. Pete à me & dabo tibi gentes in possessionem*, & fines terræ in jus possessionis tuæ. Et Christus ipse ante suam Passionem, & Resurrectionem dicit ad Patrem: *Omnia tua mea sunt. Ioh. 17. 10.* Ergo & potestas. Et prout filius altissimi fuit ab utero matris. *Luc. 1. 32.* ita etiam dominus & hæres omnium fuit. Nam filiatio & hæreditas non possunt separari.

XLIX. *Posterius* nego; quia in statu humiliationis, *Pater diligit eum & omnia dedit in manus ejus Ioh. 3. 35.* quia etiam in statu humiliationis accepit auctoritatem judicandi, quatenus filius hominis est *Ioh. 5. 23.* ad quod judicium divina requiritur potestas. Ergo potestatem istam ante resurrectionem habuit.

L. Ipse Smalcius huic effugio non satis fisus est, itaque alibi *τὸ per quem secula fecit* interpretatur, per quem *beatam immortalitatem revelavit.* Ubi primò per *αἰῶνας* absolutè positos, beatam immortalitatem intelligi, nullâ enstasi probabit; nec *ποιεῖν* absolutè positum idem esse quod revelare, manifestum facere. Deinde, hâc verborum explicatione aut supponat necesse est, beatam immortalitatem non fuisse ante Christum natum cuipiam revelatam, quod quam falsum sit liquet vel ex inspectione unius loci *Dan. 12. 2. Tandemq; multi ex pulverulenta terra expergiscentur, hi ad vitam æternam.* Aut si istud concedat, fuisse immortalitatem beatam ante Christum natum revelatam; non au-

tem revelatam nisi per Christum, Christum secundùm aliud fuisse ante nativitatem ex Maria nolens volens concedat oportet.

LII. Cum ergo neutrum commentorum istorum, consistere queat, sequitur, quod sensu Orthodoxo verba illa, *per quem* secula fecit, hoc est, per quem mundum & omnia creavit, simplicissimè intelligi debeant. Adeoque invictum est, quod his verbis continetur argumentum ad probandum Christum omnium rerum creatorem, ac proinde Deum æternum.

Quæst. 42. *Ad quintum quid respondes?*

Resp. *Ad id testimonium id respondeo, quòd non de Christo verùm de Deo accipiendum sit. Quia verò idem scriptor illud ad filium Dei refert, expendendum est, sermonem in testimonio, non de una re, sed de duabus potissimum haberi expresse. Vna est cæli & terræ creatio; altera rerum creatarum abolitio. Quod verò is autor, priorem ad Christum non referat hinc perspicuum est, quod præstantiam Christi in eo capite demonstrare sibi proposuerit, non eam, quam à se ipso habeat verùm eam quam hæreditavit, & quâ præstantior Angelis effectus sit, ut & è vers. 4. cuivis planum est. Cujus generis præstantia cum creatio cæli & terræ non sit, nec esse possit, apparet manifestè, non in eum finem testimonium ab eo scriptore allatum, ut Christum creasse cælum & terram probaret. Cum igitur prior ad Christum referri nequeat, apparet posteriorem tantùm ad eum referendam esse. Id verò propterea quòd Deus cælum & terram per eum aboliturus sit, tum cum judicium extremum per eum executurus est. Quo quidem tantopere præstantia Christi præ angelis conspicua futura est, ut ipsi angeli sint ei*

ea ipsa in re ministraturi. Quæ posterior oratio, cum sine verbis superioribus, in quibus fit cæli terræque mentio, intelligi non potuerit, cum sit cum eis per vocem ipsi *conjuncta & eadem illa verba priora idem autor commemorare necesse habuit. Nam si alii scriptores Sacri ad eum modum citant testimonia nullâ adacti necessitate, multo magis huic necessitate compulso id faciendum fuit.*

XLVI. Testimonium hoc ordine ultimum, quo Christo creatio omnium rerum tribuitur est, ad *Hebr. 1. 10, 11, 12. Et tu initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt tu autem permanes & omnes ut vestimentum veterascent* &c. Quid noster ad illud? Dicit: *Hoc testimonium non de Christo sed de Deo accipiendum esse.* Sed quod dixerat resorbet in sequentibus, cum inquit: Sermonem non esse de una re, sed de duabus, creatione sc. & abolitione rerum, hanc posteriorem Christo tribui his verbis, non priorem. At quomodo abolitio rerum Christo his verbis asseri potest, cum tuo judicio, hoc testimonium non de Christo accipiendum sit, sed de Deo. Mendacem oportebat esse memorem.

XLVII. Sed quâ ratione probet Adversarius creationem cæli & terræ non tribui Christo, videamus. *Quia*, inquit, *agitur de præstantia Christi, non ea quam à se ipso habet, sed ea quam hæreditavit, & quâ præstantior angelis effectus, cujus generis præstantia creatio cæli & terræ non est.* Vis istius ratiocinationis latet in verbo *effectus.* Sed Christus non dicitur factus vel effectus ab alio, ex alio. Verùm effectus χρηματικῶς & conjunctim *factus præstantior*, hoc est constitutus & declaratus Angelorum Dominus. Quomodo? certè per creationem; cùm enim Angeli sint creatura ejus, Dominus eorum Christus sit oportet, ac proinde iis præstantior.

XLVIII. Imò, quia agitur de hæreditaria Christi super Angelos præstantia, agitur de ea præstantia, quam Christus habuit a se ipso. Quia Christus non eo sensu hæres dicitur omnium, quemadmodum filius hæres dicitur paternorum bonorum; sed per hæreditatem Christi intelligitur communio illa bonorum Patris & filii

reciproca, de qua *Joh. 17. v. 10. Pater mea omnia tua sunt & tua mea sunt.* Quanquam hic discretione istâ opus non sit, *agitur de præstantia Christi, non ea quam habet à se ipso, sed de hæreditaria, sive acquisita.* Quia de utraque sermo est. Et Christus eo præstantior est angelis quòd tum naturâ tum officio præ iis excellat, tam eâ præstantiâ quam â se ipso habet, quàm eâ quæ illi ex functione mediatoria accessit.

L V. Et dato non concesso hoc loco creationem non vindicari Filio, sed abolitionem rerum ultimo judicii diè instituendam, etiam ex hac Deitas ipsius evincetur, atque creatio illi asseretur. Quia is solùm habet potentiam annihilandi, mutandi, qui potentiam habet creandi. Ea enim requiritur potentia in rerum annihilatione, quæ requiritur in rerum creatione.

Quæst. 43. *Ubi verò scriptores sacri id fecerunt?*

Resp. *Inter alia multa testimonia habes* Matt. 12. 18, 19, 20, 21. *ubi nimis apertum est, versiculum 19. tantùm ad propositum Euangelistæ Mathæi pertinere, cùm id voluerit probare, cur Christus ne palàm fieret interdiceret. Deinde,* Act. 2. 17, 18, 19, 20, 21. *Ubi etiam tantùm versus 17. & 18. ad propositum Petri Apostoli facit, quod quidem est, ut Spiritum sanctum esse effusum, supra Discipulos doceat, & ibidem* ℣l. 25, 26, 27, 28. *ubi palàm est versum tantùm 27. ad propositum facere quandoquidem id approbet Apostolus, Christum â morte detineri fuisse impossibile. Deniq; in hoc ipso capite* ℣s. 9. *ubi verba hæc,* dilexisti justitiam & odio habuisti iniquitatem, *apparet nihil pertinere ad rem, quam probat Apostolus, quæ est, Christum factum præstantiorem Angelis.*

I. Ex *Heb. 1. 10, 11, 12.* Christum cælum & terram creasse probamus, atque ex eo veritatem Deitatis Christi adserimus, cùm creatio

tio sit opus solius Dei. Adversarius, ut argumentum enervet, dicit, posteriora verba tantùm de abolitione mundi ad Christum pertinere, non priora de creatione cæli; allegata tamen esse & hæc, quia illa sine his intelligi non possint. Ad quod commentum quæstione præcedente responsum.

II. Adeoque nullus est Catechetes in allegandis quæstione hâc, talibus scripturæ locis, quorum pars tantùm pertinet ad propositum. Spiritum Sanctum ignorationis elenchi accusat & impertinentis allegationis haud obliquè insimulat. Et dato, alicubi à spiritu Sancto talia allegari scripturæ loca, quorum pars tantùm sit ex scopo argumenti, quid obest, quo minus Spiritui S. arbitrariâ methodo utenti, in tradendis doctrinæ fidei mysteriis, liberum sit aliquid allegare, quod faciat ad majorem illorum etiam verborum ex scopo allegatorum intelligentiam? Talia autem sunt loca ista ab authore Catecheseos producta.

III. Verùm est Christum *Matth.* 12. ℣. 16. interminatum fuisse Discipulis suis ne se manifestum facerent, ut impleretur illud quod dicitur ℣. 19. *Non litigabit, neque clamabit*, &c. Sed hinc non non sequitur, ergo reliqua sunt superflua, nec vim ullam probandi habentiâ; nihil minus. Imò verò si agant de eodem subjecto, qualia sunt tum antecedentia, tum consequentia istius ℣. 19. neutiquam vim probandi amittunt.

IV. *Act.* 2. Apologiam instituit Petrus pro Apostolis, contra eos qui Apostolos ebrietatis scelere gravaverant, dicens, minimè se rem ita habere, quin potius hîc palpabile esse complementum illius Prophetiæ Joelis de uberrima Sp. sancti effusione, quam allegat ℣. 17, 18. Isti annectit prophetiam aliam continentē promissionem de Ecclesiæ gravissimis afflictionibus & perpetua in iis defensione. Quâ descriptione afflictiones istæ declarantur, cum â subjectis recipientibus communibus, quæ sunt cælum & terra, & propriis, Sole videlicet & Luna ac stellis: tum ab adjunctis rebus, seu miraculosis productionibus, sanguinis ignis & columnæ fumi: tum à circumstantia temporis seu duratione usque dum veniat dies Jehovæ. Etsi autem hæc pars Prophetiæ non faciat ad demonstrationem hujus propositionis, *Apostoli non sunt ebrii*; tamen non omnem vim probandi quidvis aliud amittunt.

V. Versus 25, 26. non sunt præter scopum Apostoli allegati. Nam etiam ii pertinent ad probationem istius, cur scilicet im-

possibile fuerit Christum à morte detineri. Quia scilicet iis versibus continentur causæ, quibus nititur assertio versus 27. de non desertione animæ apud inferos. Quia autem causa & effectus relata sunt, ideo mutua eorum positio, ut ad rei facit intelligentiam, ita etiam ad probationem.

VI. Denique, quod ait, verba versus 9. *dilexisti justitiam, odio habuisti iniquitatem*, nihil pertinere ad rem, quam probat Apostolus, quæ est, Christum præstantiorem esse, angelis, falsum est. Sunt enim ista exegetica superiorum. Ideo enim sceptrum Christi rectum est, quia justitiam in regno suo administrat, bonos defendendo, malos perdendo; adeo ut hic abstractis vocibus, notentur concreta, dilexisti bonos, odio habuisti iniquos. Ergo vel maximè hæc ad ad rem propositam faciunt.

Quæst. 44. *Quo verò testimonio docere volunt Christum conservare omnes res creatas?*

Resp. *Ex eò ubi scriptum extat*, Christum portare omnia verbo virtutis suæ. *Heb.* 1. 3.

Quæst. 45. *Quid verò ad id respondes?*

Resp. *Id, hic verbum* omnia *non minus ut in pluribus locis aliis, non omnia in universum sine ullâ exceptione designare; verùm ad ea tantùm, quæ ad Christi regnum pertineant referri: de quibus verè dici potest Dominum Iesum omnia verbo virtutis suæ portare, id est, conservare. Quod verò vox* omnia *hoc loco ad ea duntaxat referatur, ex ipsa materia subjecta satis apparet. Præterea verbum* portare, *magis gubernandi vel administrandi rationem quàm conservandi significat, quem admodum illa quæ annexa sunt* verbo virtutis suæ, *innuere videntur.*

I. Ex effecto conservationis æque Christi æterna Deitas probatur, atqui ex creationis opere; cum conservatio nihil aliud sit, quàm

quàm creationis continuatio. Christum autem omnes res conservare liquet à verbis Apostoli Heb. 1. 3. *Qui portat omnia verbo virtutis suæ.* Ad quem locum Adversarii duo excipiunt. 1. Non agi hoc loco de omnibus in genere rebus, sed tantùm in specie de iis rebus, quæ ad regnum Christi pertinent. 2. Vocem *portare* potius *gubernandi* rationem, quàm *conservandi* innuere effectum.

II. Sed *Resp.* ad utrumque hoc κρησφύγετον inane. Ad 1. Falsum esse, non agi hîc de omnibus omnino operibus, sed tantùm de iis quæ ad regnum Christi, hoc est Ecclesiam pertinent. Antecedentia non ferunt glossam istam. Nam Spiritus Sanctus refert ista, *qui portat omnia*, ad eum, de quo dictum, *creavit omnia*. Atqui Paulo ante à nobis evictum est, Christum non tantùm ea, quæ sunt Ecclesiæ, sed etiam ea quæ sunt totius universi creasse; hîc ergo de eodem dicit eum omnia conservare, modo isto loquendi, *qui portat omnia*.

III. Deinde, dato non concesso, agi hoc loco de conservatione Ecclesiæ tantùm, eadem omnino est vis argumenti: Is qui conservat Ecclesiam est verus & æternus Deus. Atqui Christus fatentibus Adversariis conservat Ecclesiam. Ergo verus & æternus Deus. Majoris ratio est. Quia tanta requiritur ad conservandam Ecclesiam potentia, ut illa conservando quoque huic universo sufficere queat; cum ecclesia per totum mundum sit dispersa. Hinc conservatio Ecclesiæ virtuti Dei 1. *Pet.* 1. 5. tribuitur. Hostes enim Ecclesiæ, si spectes infinitâ ei ad eam defendendum opus est potentia. Hinc Christus *Joh.* 10. 28. ait: *neque rapiet eas*, sc. oves, quisquam *è manu mea*; quibus verbis eadem Christo adseritur potentia quæ Patri ℣. 29. *Neque potest eas quisquam eripere è manu Patris mei.* Propterea etiam inquit Christus *se æquè operari ac Patrem.* Joh. 5. scilicet in conservationis opere. Ac proinde, si eadem fuerit potentia, eadem essentia, eadem natura, eadem Deitas.

IV. Ad 2. Excep. *Resp.* Posito vim vocis *portandi*, *sustinendi*, *ferendi* potius *regimen*, quàm *conservationem notare*; intelligendum tamen hîc est regimen, non quodvis externum, sed internum, quo cordibus æquè ac corporibus præcipit, quale fuit illud præcipere, quo Deus præcepit corvis ut cibarent Eliam, pisci ut absorberet Jonam. At tale regimen solius Dei est. Ille enim solus *dicit profundo, ut exsiccetur, & fluminibus ut arefiant.* Esai. 44. 12. Cum autem Christo talis potestas tribuitur, Deus esse verus demonstratur.

V. Vocula *ferre*, non semper regimen

gimen innuit sed etiam portare significat, ut cum *Joh. 15.* dicitur, quod vitis ferat palmites & palmites ferant fructum. Accipi autem debere loco nostro controverso non de portatione regiminis sed conservationis, liquet ex *Esai. 63. v. 9.* ubi, quod hic de Christo dicitur, cum *omnia potenti verbo suo ferre*, ibi de eodem dicit Propheta: *imponens eos sibi, bajulavit eos.* Christum autem per eum qui bajulavit intelligendum esse, ex eo certo certius constat, quòd eodem versu is qui bajulavit, vocetur, *Angelus faciei Dei*, qui Christus est, coram facie Dei Patris in cælis pro electis comparens.

Quæst. 46. *Quo verò testimonio eum eduxisse populum Israeliticum ex Ægypto docent?*

Resp. *Ex Epistola Iudæ v.* 5. Iesus populum de terra Ægypti salvans, secundò eos qui non crediderunt perdidit.

Quæst. 47. *Tu verò quid respondes.*

Resp. *Hanc vocem* Iesus *in nullo Græco prorsus exemplari haberi, verùm loco illius legi passim vocem* Dominus, *quare id testimonium nullo modo probat id, quod sibi Adversarii proposuerunt.*

I. Verissimè ex hoc loco probatur Jesum eduxisse populum ex Ægypto non obstante affectatâ Smalcii ignorantiâ, quâ dicit, in codicibus græcis nullis prorsus haberi *Jesus* sed *Dominus*: In codd. græcis apud Robertum Stephanum est, ὁ Ἰησοῦς. Ergo falsò dicit Catecheses *in nullis prorsus.* Deinde, posito non legi *Jesus* sed *Dominus*, versus proximè antecedens ostendit de *Jesu* rem esse, quo & *Deus* & *Dominus* noster dicitur. Et cùm eductio populi ex captivitate Ægypti opus sit Dei externum, ab eo excludi filius minimè potest, utpote, *qui & heri & hodiè & in secula est.* Heb. 13. 18. qui populum suum ex Ægypto spirituali liberavit, cujus illa servitus atque eductio ex ea fuit typus.

Quæst.

Quæst. 48. *Id verò, quòd cum Israelitis in deserto fuerit, eum duxerit ei benefecerit unde probant?*

Resp. *Ex hoc Pauli testimonio* 1. *Cor.* 10. 4. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, biberunt autem ex spirituali eos consequente Petra: Petra autem erat Christus. *Et ex eò, quòd inferius paulò Apostolus ait:* v*s.* 9. Neque tentemus Christum, quemadmodum alii tentaverunt, & à serpentibus perierunt.

Quæst. 49. *Quid verò ad ea respondendum est?*

Resp. *Quod ad primum attinet, nullo modo Apostolus ait, Christum in deserto fuisse cum populo Israelis & ei benefecisse. Licet enim scribat illam Petram è qua bibit populus Israel, fuisse Christum, nullâ ratione tamen asserit, Christum illic revera fuisse: id verò propterea quòd ea verba Pauli figuratè possint accipi: Quod verò eam Petram vocet* spiritualem, *ad versam partem nihil juvat, cùm ea Petra potuerit appellari* spiritualis, *licet fuerit materialis, propter eandem causam, propter quam & ille cibus spiritualis appellatus fuit, quod in se quiddam mysticum contineret: quemadmodum enim in Apocalypsi Iohannes cap.* 11. 8. *ait, urbem illam magnam, in qua Dominus noster crucifixus est, vocari spiritualiter Sodomam & Ægyptum. Quod verò ait, quod illa Petra eos sit sequuta, accipi debet de aqua, quæ è Petra fluxit, & populum sequuta fuit per desertum, quod antea fluente aqua aut certè ad bibendum idonea caruit, qua de re illud extat apud Esaiam, ubi*

Dominus ait c. 43. ℣ſ. 20. Glorificabit me agri beſtia, Dracones & Struthiocameli: etenim dedi eis aquas in deſerto, fluvios in locis inviis, ad potandum electum populum meum.

Quod verò ad ſecundum teſtimonium ſpectat, ne tentemus Chriſtum, ſicut quidam tentaverunt, *ex iis etiam verbis doceri non poteſt, Apoſtolum affirmare, Chriſtum in deſerto tentatum revera fuiſſe. Ut è ſimili oratione, ſi quis ita diceret deprehendi poteſt: Ne ſitis refractarii Magiſtratui, quemadmodum quidam majorum noſtrorum fuerunt; non illico concluderes eundem numero Magiſtratum utrobique deſignari.*

Quòd ſi reperiuntur in ſcripturis ejuſmodi loquendi modi in quibus ſimilis oratio ad eum cujus nomen paulò ante expreſſum eſt, ſine ulla illius ejuſdem repetitione referatur, tum hoc ibi fit, ubi nullus alius, præter eum, cujus expreſſum eſt nomen, ſubintelligi poſſit: ut exemplum ejus rei habes, in illo teſtimonio Deut. 6. ℣ſ. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentaſti in loco tentationis. Verùm in ea oratione Apoſtoli de qua agimus poteſt ſubintelligi alius præter Chriſtum, ut Moſes Aaron etc. de quo vide* Num. 21. ℣ſ. 5.

I. Clarior eſt locus 1. *Cor.* 10. 4. quàm ut nebulâ excitatâ eum obſcurare poſſit Smalcius. Dicit, ex eo non probari Chriſtum fuiſſe in deſerto, licet Chriſtus, fuerit Petra illa, èqua bibit populus. Etſi autem ſciamus meritum Chriſti extendi ad Veteres, & meritum ipſum

ipsum non exstiterit; tamen non tantùm præsentiam meriti Christi, sed etiam præsentiam essentiæ rectè ex hoc loco elicimus, collatione institutâ, cum versu 9. hujus capitis, quo Israelitæ dicuntur tentasse Christum in deserto; at verò non tentari potuit tantùm typus Christi vel meriti ejus, sed persona. Ergo quomodo tentatus, ita fuit. At tentatus personaliter; Ergo personaliter fuit.

II. Sed negat Adversarius & hoc versu scilic. nono doceri Christum esse tentatum, eò quòd hic non necesse sit Christum, sed alium quempiam, verbi gratia, Mosen vel Aaronem intelligi, *Resp.* Legem & usum loquendi postulare, ut non aliunde suppleatur nomen quàm è proximo commate. Jam quia de Christo loquitur Apostolus, *ne igitur tentemus Christum*, etiam illis, verbis eum iterum indigitat *sicuti quidam eorum tentarunt* scilicet eum.

III. Vis argumenti Apostolici peribit si prior pars verborum de Christo posterior de Mose aut Aarone intelligatur. In omnibus dehortationibus Apostolicis hoc capite est ejusdem semper subjecti redditio. *Ne concupiscamus res malas, sicuti illi concupiverunt* scilicet res malas. *Ne igitur estote idololatræ, sicut quidam eorum* scilicet fuerunt idololatræ. *Ne scortemur sicuti quidam* scortati *sunt. Ne murmuremus, sicuti quidam eorum murmurarunt.* Jam simili modo Apostolus infert. Ne tentemus Christum sicuti quidam eorum tentarunt, scilicet Christum. Non potuerunt Corinthii exemplo Israelitarum à non tentando Christo abduci, nisi hi dicantur Christum tentasse. Quæ enim erit vis argumenti? Ne vos tentetis Christum, sicut Israel tentavit Mosen vel Aaron? Et clarum est à scriptura, non Mosen, Aaronem, dici tentatos, sed Deum. *Psal. 68. 18. Psal. 106. 4.* quod hic de Christo dicitur.

IV. At inquies etiam Moses tentatus est & Aaron. *Num. 21. Resp.* Moses & Aaron non sunt *tentati*, etiamsi Israelitæ dicantur *murmurasse* contra eos. Hinc Moses *Exod. 17. 2.* disertè inter *murmur* ad versum se, & *tentationem* Jehovæ distinguit, *quid* contenditis *mecum quid* tentatis *Iehovam?* non autem dicit quid *tentatis me.* Et v. 7. ejusdem capitis: *Vocavit nomen illius loci Massam & Meribam, propterea quod* contenderant *filii Israelis* cum Mose scil., *& propterea quod* tentaverant *Jehovam*: quibus verbis iterum *tentatio* Dei & *contentio* cum Mose contradistinguuntur; adeo ut hæc propositio sit omni exceptione major: Quem tentarunt Israelitæ is fuit Jehova,

Christum tentarunt, ut liquet à loco allegato. Ergo Christus est Jehova.

V. Simile illud, quo corruptelæ istius loci fucum facit, *Ne fuis refractarii Magistratui, quemadmodum quidam nostrorum majorum fuerunt: non illico concluderes eundem numero Magistratum utrobique designari*, planè est dissimile. Quia 1. etsi non id posset dici de eodem magistratu numero, & persona tamen de eodem specie & munere. 2. Quia Magistratus sunt Dii quidem, sed moriuntur sicut homines, Christus autem & heri, & hodiè idem est. Ergo dico, in ea oratione Apostoli de qua agimus nemo alius præter Christum subintelligi potest: ac consequenter firmissimè ex hoc loco Deitas Christi adstruitur.

Quæst. 50. *E quo verò testimonio docere volunt, gloriam Christi Esaiæ visam?*

Resp. *Ex eo* Ioh. 12. ℣. 14. *Hoc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo.*

Quæst. 51. *Quod verò responsum ad eam rem adfers?*

Resp. *Primùm ea verba ad Christum non necessariò referri hinc apparet, quòd de Deo Patre accipi possint; Etenim verba paulò superiora, de eodem dicuntur,* excæcavit, induravit, sanavit. *Deinde gloria quam Esaias vidit, poterat esse, imò erat, non præsens, sed futura. Etenim proprium est vatibus futura videre, unde etiam videntes appellati fuere. Denique, etiamsi de gloria ea quæ tum præsens erat Esaiæ visa hæc verba accipias, longè tamen aliud est, gloriam alicujus videre, & aliud ipsummet videre. Et in gloria illius unius Dei, vidit etiam Esaias gloriam Christi Domini. Ait enim ibidem vates,* plena est terrâ gloriâ Dei Esai. 6. ℣. 1. *Tum autem hoc re ipsa factum est cum Iesus Christus illi populo primùm apparuit, & post toti mundo annunciatus est.*

I. Ver-

I, Verba *Joh. 12. v. 41.* de Patre accipi posse nego. Antecedentia & consequentia ostendunt de Christo solo rem esse, quod textum vel obliquè intuenti obvium est. *Hæc dixit Esajas quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo.* Quibus duo designat, primum quidem tempus, quando ea loquutus est Esaias: Deinde personam de qua loquutus est. Tempus, *quando vidit gloriam ejus.* Persona indicatur cum addit *loquutus est de eo* scilicet Christo. Licet enim explicitè Christi nomen non memoretur, implicitè tamen per ellipsin manifestam continetur; quemadmodum ex antecedente constat, quoniam ut versu 37. Euangelista dixit primum de Judæis Christi auditoribus malitiosis, *non credebant in eum*, id est, citra controversiam, in Christum, sic deinde amplificat in credulitatem eandem ab impotentia v. 39. *propterea non poterant credere*, scilicet Judæi illi in Christum, idque ratione secundi testimonii ex *Esai. cap. 6.* sic confirmat, quod iterum dixerit *excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum.* Id quod de Christo dicitur, cujus Euangelio & miraculis increduli illi Judæi, suâ malitiosa invidia stimulati magis magisque excæcati sunt & obdurati. Ideoque cum dicitur, *vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo*, voces *ejus* & *eo* non ad Deum Patrem, quod contendunt adversarii, sed ad Christum manifestè referuntur. Idque etiam perspicuè ostendunt proxima verba quæ de Christo citra controversiam loquuntur, *multi tamen ex principibus crediderunt in eum.*

II. Verba *excæcavit*, *sanavit*, *induravit*, non de Patre sed de filio intelligenda dicimus, collato hoc loco cum *Matth. 13. 13, 14.* Porro quod secundo loco respondet, *gloria quam vidit Esaias poterat esse, imò erat, non præsens, sed futura* vanum est; quia Christus eam gloriam habuit antequam mundus fieret. *Et nunc glorifica me Pater eâ gloriâ quam habui apud te prinsquam esset mundus* Joh. 17. 5. Qui locus ut tantò melius intelligatur, explicandum est quæ sit illa gloria, quam hîc à Patre postulat. Ea autem alia non est, quàm gloria filii Dei, hoc est ut Filius Dei quis & quantus, sit agnoscatur. Ita enim hanc gloriam ipse Johannes interpretatur, cum eam vocat gloriam *quasi unigeniti à Patre.* Joh. 1. 14. *Deinde*, eam gloriam postulat sibi dari à Patre, à qua se propter Patris mandatum exinaniverat. Exinaniverat se autem à forma Dei, & illa æqualitate, quam ut filius Dei verus semper habebat. Postulat ergo sibi dari gloriam, non absolutè, quasi eam antea,

non habuerit, sed comparatè, ut ea gloria quam habuit ab æterno, & ad tempus fuit occultata, jam toti mundo innotescat. Quomodo etiam ipse Patrem suum glorificavit, ejus gloriam, quam habuit ab æterno manifestando hominibus.

III. Neque quocunque modo petit ut suæ divinitatis gloria innotescat hominibus; nam super terram ait se jam glorificatum apud homines ℣. 10. sed petit glorificari apud ipsum Deum in cœlo v. 4. *Ego*, inquit, *glorificavi te super terram, nunc Pater glorifica me apud temet ipsum.* Glorificari apud Deum est glorificari eâ gloria, quam habet in cælo apud Deum in sinu Patris, ad dextram Patris, pari cum Patre majestate & honore.

IV. Contra quod ineptiunt adversarii docentes, Christum eam gloriam habuisse apud Patrem ante creatum mundum non *possessione reali* sed tantùm *destinatione.* Quia Christus absolutè dicit se ante mundum gloriam illam habuisse, nullâ re adjectâ, quæ eam locutionem, ad improprium habendi modum, (qualis est habere in prædestinatione) determinaret. Ut verò promissionem & destinationem, futuræ rei denotet, circumstantia aliquâ opus est, quæ id innuat atque indicet.

V. At, inquiunt, particulas illas *apud te*, abundè indicare *prædestinationem*; idem enim est, ac si dixisset in mente tua, in prædestinatione tua. At verò longè aliud eæ denotant particulæ, nempe non prædestinationem, sed existentiam realem apud Patrem, ut sensus sit, quam habui *apud te*, id est, habui cum essem *apud te*, non verò habui in mente & prædestinatione tua. Id ita accipiendum esse verba ipsa docent. Petit enim Christus ut habeat eandem claritatem post ascensionem, quam habuit apud Patrem ante conditum mundum. Quemadmodum igitur, cum petit habere apud Patrem, non petit habere in mente Patris & destinatione, sed re ipsa existendo apud Patrem illam habere; ita cum ait se eam habuisse ante mundum conditum apud Patrem, intelligit se habuisse tunc, cum existeret apud Patrem non autem in mente Patris; adeo ut particulam illa *apud Patrem*; utrobique existentiam apud Patrem non prædestinationem significet, ac proinde argumentum nostrum tale est. Qui habet gloriam apud Deum non *destinatione futurâ*, sed *possessione præsente* ante conditum mundum, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus. Ergo.

VI. Et cum Christus gloriam eam apud Patrem ab æterno reali possessione habuerit, frustra ait, non

non præsentem sed futuram gloriam Christi, intelligi, *eò quòd futura videre soleant vates, unde etiam videntes appellati sunt.* Nam etsi vates futura soleant videre, non in visione tamen futurorum tantùm constitit eorum vaticinium. Quia si futura tantùm vident vates, nec gloriam Dei Patris videre potuit Esaias, quod tamen vult Adversarius responsionis suæ membro tertio; illius enim gloriam non futuram censet sed præsentem.

VII. Quod tertiò responsionis loco adfert, æquè futile est. *Etsi de gloria præsenti*, inquit, *esset, longè tamen aliud est gloriam alicujus videre, aliud ipsummet videre.* Quia quod dicit Euangelista, *hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus*, Propheta ipse ait, *se vidisse Dominum solio elato & excelso.* Adeo ut hîc gloria Dei, sit ipse Deus gloriosus, Christus nempe, de quo Johannes *vidimus gloriam ejus quasi gloriam unigeniti à Patre. Joh. 1.* Cum Johannes dicit se vidisse gloriam unigeniti, nonne eo ipso etiam intelligit ipsum unigenitum? Nihil certius. Pari ergo ratione & hîc, cùm dicit Johannes, quando vidit gloriam ejus, gloria non tanquam abstractum quid, sed concretum personæ considerat.

VIII. Denique in aliam se formam mutat Adversarius dicens: *Et in gloria illius unius Dei, vidit etiam Esaias gloriam Christi Domini, ait enim ibidem vates, plena est terra gloriâ Dei.* Ineptè. Prærogativa hîc est Christi aliqua & eminentia, quando Johannes dicit, vidisse Prophetam gloriam ejus, quæ nulla erit præ gloria etiam fidelium, quæ itidem in gloria Dei conspicua est. Illud verò quod ultimo addit complementum istius vaticinii fuisse, *cum Iesus Christus illi populo primò apparuit*, est contra præscriptionem Propheticam *Esai. 53. 2. Non est forma ei neque decor, & quando intuemur eum, non est species cur desideremus eum*, eventu comprobatam, *Joh. 1. vers. 10. 11. Mundus eum non agnovit; ad sua venit & sui eum non exceperunt,*

Quæst. 52. *E quibus verò Testimoniis scripturæ demonstrare conantur, Christum ut loquuntur, in carnatum esse?*

Resp. *Ex iis ubi secundùm versionem eorum legitur*: Verbum caro factum est *Ioh. 1. 14.* *Qui*, Christus, *cum esset in forma Dei, non arbitratus est rapinam esse, se esse*

æqua-

æqualem Deo, verùm se ipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Phil. 2. ℣ſ. 6, 7. Et, *Deus manifestatus est carne* 1. Tim. 3. ℣ſ. 16 Et, *nec enim angelos apprehendit sed semen Abrahæ apprehendit.* Heb. 2. verſ. 16. Et, *omnis Spiritus, qui confitetur Iesum venisse in carnem ex Deo est* 1. Ioh. 4. verſ. 23. Et, *ingrediens in mundum* Chriſtus *dicit: hostium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.*

I. Verum eſt, ex his & ſimilibus locis in carnationem Chriſti, & humanæ naturæ aſſumptionem probamus: quia verò Catecheſeos autori hæc præcipuè loca arrodere viſum eſt: ea à molitionibus ejus pravis vindicabimus. Videamus quomodo tractet ea verba: *Verbum caro factum est*, quæſtione proximâ.

Quæſt. 53. *Quomodo ad primum respondes;*

Reſp. *Eâ ratione, quòd in eo testimonio non habeatur Deum (ut loquuntur) incarnatum esse, aut quòd natura divina assumserit humanam. Aliud enim est* Verbum caro factum eſt, *aliud Deus incarnatus est, (ut loquuntur) vel natura divina assumsit humanam. Præterea, hæc verba,* verbum caro factum eſt, *vel potius sermo caro factus est; possunt & debent ita reddi,* ſermo caro fuit. *Posse reddi è testimoniis in quibus vox* ἐγένετο, *(quæ hic per* factum eſt, *translata est) verbo* fuit *reddita invenitur apparet: ut in eodem capite* ℣ſ. 6. & Luc. 24. v. 19. *Fuit homo missus à Deo &c.*

Qui

Qui fuit vir Propheta. &c. Debere verò reddi per verbum *fuit*, ordo verborum Iohannis docet, qui valdè in convenienter loquutus fuisset, sermonem carnem factum esse, id est, ut Adversarii interpretantur, naturam divinam assumpsisse, postquam ea jam de illo sermone exposuisset, quæ nativitatem hominis Iesu Christi subsequuta sunt: ut sunt hæc, Iohannem Baptistam de eo testatum esse: illum in mundo fuisse: à suis non fuisse receptum: quòd iis, à quibus receptus fuisset, potestatem dederit, ut filii Dei fierent.

Quæst. 54. *Quá ratione istud intelligendum est, sermonem carnem fuisse?*

Resp. *Quòd is per quem Deus voluntatem suam omnem perfectè exposuisset; & propterea à Iohanne sermo appellatus fuisset, homo fuerit omnibus miseriis & afflictionibus ac morti denique subjectus. Etenim vocem* caro *eo sensu usurpat scriptura, ut ex iis locis perspicuum est, ubi Deus loquitur:* Non contendet Spiritus meus cum homine in æternum, quia caro est *Gen. 6. 3. & Petrus:* Omnis caro ut fœnum.

I. Locis istis, quæ catecheseos autor, harum trium quæstione primâ citavit, probamus Christum Deum assumpsisse humanam naturam, adeoque Deum esse incarnatum. Quid ad singula excipiat videamus. Ad primum locum *Verbum factum caro est*, dupliciter respondet. 1. Negativè; quomodo intelligendus non sit. 2. Affirmativè, qui nam sit genuinus sensus ostendit.

II. Ac primò quidem dicit, *Non haberi in textu Deum in carnatum esse, aut humanam naturam assumpsisse; aliud enim est Deus incarnatus est, vel natura divina assumpsit humanam, aliud Verbum caro factum est.*

est. *Resp*. Cùm sermo sit ipse Deus, ut testatur *Joh. 1. v. 1.* Istæ phrases, Deus est incarnatus; divina natura assumpsit humanam naturam; verbum caro factum utique sunt synonimæ, & non est aliud Deus incarnatus est, aliud verbum caro factum est.

III. *Præterea*, inquit, *hæc verba*, Verbum caro factum est, *possunt & debent ita reddi*, verbum caro *fuit*. De posse concedo. Si enim vocis ἐγένετο usum spectes in genere, nemo Doctorum negat quin ἐγένετο interdum *fuit* non autem *factum est*, notet. Idque etiam demonstrant, cùm hoc cap. *Joh. 1. 6.* ἐγένετο ἄνθρωπος vertunt, *fuit homo missus à Deo*, &c. Interim nulla est consequentia firma; ἐγένετο alibi notat *fuit*, Ergo & hic eandem notationem habet. Non quæritur an *possit* sed an *debeat* ita verti. Nos consideratis loci istius controversi circumstantiis, τὸ ἐγένετο per *fuit*, verti posse negamus.

IV. Rationes sunt. 1. Quia Evangelista simplex *esse* Christi per τὸ εἶναι *esse* toties dixerat. Ergo per verbum subsequens γίνεσθαι aliud quid quàm *esse* simplex indicatur. 2. Quia Johannes in eadem textus serie verbum ἐγένετο de *origine & ortu* usurpat *vers. 3.* omnia per ipsum ἐγένετο *facta* sunt. 3. Quia γίνεσθαι propriè notat fieri, & quando de creaturis prædicatur connotat *esse*, tum præsupponit τὸ *fieri*, dicitque ortus indicium. At à nativa significatione ante non est recedendum, quàm manifesta ejus recessus pateant indicià, quæ hic nulla sunt, adeoque naturalis significatio vocis rectè retinetur.

IV. 4. Quia textus hanc exegesin postulat. Nam *in principio* (sc. creationis, ut supra probatum) *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat illud verbum*, Unde sic colligo: Sermo aut jam tum in principio creationis à Mose descriptæ *fuit* caro, aut post illud in temporis plenitudine *factus est* caro. Non illud. Ergo hoc, & consequenter hoc loco ἐγένετο verti debet *factus est*.

V. Quod 5. probatur ex collatione locorum parallelorum, quibus vox γίνεσθαι explicari necessariò debet per *fieri*, & quidem talibus, quibus simile est cum loco nostro controverso argumentum, ut *Rom. 1. 3. Filio Dei* γενομένου *facto ex semine Davidis*. Gal. 4. 4. 2. *Deus misit filium suum* γενόμενον ἐκ γυναικὸς *factum ex* muliere, γενόμενον *factum* sub lege. 6. Quia γίνεσθαι etsi significet etiam *esse*, tamen cum isti verbo additum est aliquod nomen substantivum, non *esse* simpliciter sed *fieri* necessariò significat. Ut *Joh. 2. 9.* τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, *aqua quæ fuit facta vinum*. τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος,

ergo

ergo quod bonum est mihi factum est *mors*. *Rom*. 7. 13. Confer. 1. *Cor*. 1. 30. Ubi Christus nobis verbo ἐγενήθη dicitur *factus* justitia, & *Gal*. 3. 13. ubi Christus dicitur γενόμενος, *factus* pro nobis execratio.

VI. Denique quia versio Sociniana *verbum caro fuit* sensum absurdum parit. Si enim ita vertatur, tum hic erit sensus: λόγος, id est, *homo erat homo*. Sensus tautologus, Evangelistâ indignus.

VII. Dignâ verò est Franc. Junii vindicatio istius loci, quæ hîc verbotenus transcribatur, ex quâ quidem si nostra deficiat responsio, supplementum peti potest. Sic autem ille, de Trinit. defens. 3. Verbum γίνεσθαι, aut significat esse factum. & γενόμενος factus, expressamque actus notionem habet (atque hæc propria est significatio) aut Metalepticè significat esse, quia res in natura sunt, ex quo factæ sunt, & tamen vi naturali vocis manet eadem ortus principiique notatio, sive (ut Scholastici vocant) connotatio. Sic quando dicitur ἐγένετο, fuit homo notatur fuisse hominem; sed connotatur factum fuisse hominem. Quis enim homo non factus? γενόμενος ortum & principium aliunde habens? Aliter se habet verbum εἶναι quo simpliciter notatur esse rei, citra ortus & principii notationem ullam. Prior itaque significatio propria est verbi γίνεσθαι, posterior figurata. Restat igitur, ut loquutio hæc aut propriè exponatur, *verbum caro factum est*, aut metalepticè *verbum caro fuit*: quàm interpretationem Samosatenus hîc tentat retinere.

VIII. *Pergit*. Nos alterum defendimus. Quur autem? 1. Quia propria est. 2. Quia etiamsi daretur figurata interpretatio: tamen id ipsum, quod Samosatenus fugit, connotatione complectitur. 3. Quia sic Johannes ipse distinguit in hâc narratione tota ab imperfecto ἦν, quo *esse* notatur subjecti, sine ratione ullâ principii aut ortus illius. Nam de simplici *esse*, dicit Johannes: *In principio* erat *verbum*, *& verbum* erat *apud Deum*, *& verbum* erat *Deus*: *hoc* erat *in principio apud Deum*; *in ipso vita* erat, *& vita* erat *lux hominum*: erat *lux illa vera*, *qua illuminat omnem hominem venientem in mundum*: *in mundo* erat; & de Johanne Baptista; *non* erat *ille lux vera*. Hæc omnia verbo ἦν. Sed de eo, quod factum est, aut quod ex ante facto est, altero verbo semper utitur, nimirum γίνεσθαι. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt* & sine ipso *factum est* nihil, quod *factum est*, & mundus per ipsum *factus est*, qui autem receperunt ipsum dedit ipsis hanc potestatem, ut filii Dei *fierent*. 4. Quia etiamsi hoc isto γενέσθαι

significaretur: tamen si ponè sequitur nomen substantivum *fieri* significat, (ac non *esse*) simpliciter, ac necessariò. Ut quum aqua *facta* vinum dicitur. Joh. 2. Quum quærit Apostolus, *ergo quod bonum est mihi* factum *est mors?* Rom. 7. Quum dicit: *Christus* factus fuit, *nobis sapientia à Deo* 1. Cor. 1. 30. *Christus pro nobis* factus *execratio* Gal. 3. 13. & similia multa. 5. Quia rei natura postulat, & narrationis ordo quem ante declaravimus. Quod si aliter sententiam accipi oporteret, nempe pro esse simpliciter, fuisset dicturus Johannes. καὶ ὁ λόγος ἦν σάρξ, non autem ἐγένετο quemadmodum paulò ante dixerat, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, & similia. *Hæc Junius.*

IX. Debere verò reddi per verbum *fuit* contendunt Adversarii, propter ordinem verborum, qui inconveniens foret, si Johannes primo, expositis iis quæ nativitatem hominis Jesu subsequuta sunt, demum assumptionem humanæ naturæ doceret. *Respond.* Socinianos falsâ niti hypothesi, quasi id quod dicitur in antecedentibus, *in mundo fuit, ad suos venit, non fuit receptus à suis, dedit jus fieri filios Dei*, intelligendum esset de præsentia & adventu Christi in carne tantùm. Nam illa quoque de præsentia sermonis ante assumptam carnem in mundo dicuntur; qui non solùm Deitatis suæ essentiâ, sed etiam variis generalibus ad omnium hominum conservationem beneficiis, iis adfuit ac præsentem se ostendit *Act. 14. 17. & 17. 25. & 28.* Coll. cum *Coloss. 1. 16. Heb. 1. 3.* Sed etiam deinde ad Israelitas sibi fœdere junctos peculiariter venit; non quidem in carne, sed illustribus præsentiæ suæ signis: columnâ nubis & ignis, aliisque signis admirandis: & verbo suo ad ipsos per Mosen ac Prophetas Euangelii promissiones exponens *1. Pet. 1. 11.* quod euangelium non acceperunt, sed rejecerunt, *Heb. 3. 16, 17.* Quare necessitas ordinis verborum, quæ verbum ἐγένετο per *fuit* verti cogat, nulla est.

X. Quod verò sensum Socinianum horum verborum, *verbum caro factum est*, quæstione ultimâ indigitatum, attinet, quòd scil. Christus *fuerit homo omnibus miseriis afflictionibus morti denique subjectus*, idque *quia scriptura vocem carnis ita usurpat*, existimat his verbis, *verbum caro factum est*, non describi *incarnationem* verbi essentialis, seu filii Dei æterni; sed hominis ex Maria virgine nati *humiliationem*, hoc sensu; ὁ λόγος id est, homo ille, filius Mariæ natus in paupertate, factus est caro, id est, homo omnibus miseriis subjectus. At inquam ego, hæc expositio foret,

tauto-

tautologa, homo factus est homo: aut si hæc tautologia abesse debet, tum caro non notabit *hominem*, sed tantum *adjunctum ejus*, hoc sensu: Homo ille filius Mariæ factus est *caro*, id est, passioni & morti obnoxius; atque sic Johannis propositio constabit ex subjecto & accidente; cùm tamen describat τῦ λόγυ in initio existentis apud Patrem, & in principio cùm eo creantis mundum, incarnationem.

XII. Vocem *carnis* hoc loco ad humilem hominis Christi conditionem restringere, probatione destituitur justâ, neque id ipsum vi vocis evinci potest. Nam cum homo constet anima & corpore, totus homo interdum unius partis nomine sine discrimine appellari solet. Modò enim anima dicitur *Gen. 46. v. 15. 18. 22. 26. Ezech. 18. 4. 20.* modò caro dicitur, ut Esai. 40. 5. *Revelabitur gloria Jehovæ & videbit omnis caro pariter* Luc. 3. 6. *Et videbit omnis caro salutem Dei* Joh. 17. 2. *Dedisti ei potestatem omnis carnis.* Rom. 3. 20. *Non justificabitur ulla caro*, id est, vivens homo, ut ex loco, unde hæc sententia desumpta *Psal. 143. 2.* & reipsa liquet. Quibus in locis, multisque aliis, *caro* per Synecdochen partis pro toto, simpliciter hominem notat, non autem speciatim cum adjuncto hominem omnibus miseriis, afflictionibus, denique ipsi morti subjectum.

XII. Quo etiam modo ab Euangelista hîc accipitur; *sermo ille caro*, id est, homo factus est, seu assumsit semen Abrahæ *Heb. 2.* carnis & sanguinis particeps est factus *ibid.* Nam licet Christus etiam ærumnosus humilis, miseriis omnibus subjectus sit factus nostrâ causa; illud tamen hoc in loco non spectatur. Neque ea dicta quæ profert adversarius probant vocem *carnis* hoc loco significare hominem *omnibus miseriis subjectum.* Nam licet alicubi ita accipiatur, inde tamen non sequitur, etiam hîc ita debere accipi.

Quæst. 55. *Ad secundum quid respondes?*

Resp. *Neque hîc extare quod adversa pars confectum velit. Aliud enim est quod hîc Apostolus ait*, cùm in forma Dei esset, formam servi assumpsit, *aliud verò, natura divina assumpsit humanam. Etenim hîc forma Dei non potest designare Dei naturam, cùm Apostolus scribat, eam formam*

Christum exinanivisse. Deus verò naturam suam exinanire nullo modo potest. Nec vero forma servi denotat naturam humanam, cùm servum esse ad fortunam & conditionem hominis referatur. Ac ne illud quidem dissimulandum est, scripta novi testamenti hanc vocem formæ semel fortassis tantùm alibi usurpare. Marc. 16. 12. *Idque eo sensu, quo non naturam, sed exteriorem speciem significat, cum ait, Iesum duobus discipulis suis apparuisse in* alia forma.

Quæst. 56. *Ex iis verò verbis, quæ Apostolus paulò post subjecit* habitu inventus est ut homo, *nonne apparet, eum (ut loquuntur) in carnatum esse?*

Resp. *Nullo modo. Etenim ea oratio nihil in se habet ejusmodi; de Samsone enim in sacris literis legimus, quod idem futurus erat* ut *homo* Iud. 16. 7. 11. & Psal. 82. *Asaph iis hominibus, quos Deos & filios altissimi vocaverat, denunciat, quod essent morituri* ut *homines, de quibus certum est, non posse dici, eos (ut adversarii dicunt) in carnatos fuisse.*

Quæst. 57. *Quâ ratione verò totum hunc locum intelligis?*

Resp. *Ad eum modum, quòd Christus qui in mundo instar Dei opera Dei efficiebat, cui sicut Deo omnia parebant, & cui divina adoratio exhibebatur, ita volente Deo, & hominum salute exigente, factus est tanquam servus & mancipium, & tanquam unus ex aliis vulgaribus hominibus, cum ultrò se capi vinciri cædi & occidi permiserit.*

I. Quia hæ tres quæstiones se mutuo excipiunt, operæ pretium duxi eas quoque junctim refutationi præmittere. Locus de quo

contro

controvertitur secundus an scilicet incarnationem Christi probet, est *Phil. 2. v. 6, 7. Qui cum esset in forma Dei non arbitratus est rapinam, se esse aequalem Deo, verùm seipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus habitu inventus est ut homo.* Affirmamus nos, negat Catechesis; eò *quòd aliud sit, in forma Dei esse & assumere formam servi, aliud verò, divina natura assumpsit humanam.*

II. In forma Dei esse, est esse Deum ipsum. Quod enim in alicujus forma & essentia dicitur ὑπάρχειν, id ipsum quoque est, cujus forma & essentia est. Atqui Christus ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχει, in forma Dei subsistit. Non *accidentali*, quia in Deum non cadit: neque aliquid potest dici in accidente subsistere, cùm ipsius accidentis sit inesse & fulciri ab alio, quare substantia non potest dici in accidente subsistere. Ergo Christus subsistit in forma Dei *essentiali*; quae cùm idem sit quod ipse Deus, sequitur, cùm Christus dicitur esse in forma Dei, eo ipso significari eum esse Deum: & consequenter per formam Dei intelligitur natura humana.

III. Quod ipsum etiam ex eo probatur, quia forma servi in membro opposito notat verum hominem. 1. Quia cùm forma servi unà cum mentione hominis de aliquo dicitur, forma hominis denotatur. 2. Quia sicut semen Abrahae assumere est fieri semen Abrahae; sic etiam formam servi hominis accipere est fieri hominem servum. 3. Quia conditio & status servilis veritatem hominis supponunt. His suppositis, ultro sequitur, non esse aliud *in forma Dei esse, & assumere formam servi*, aliud divina natura assumpsit humanam.

IV. Non malè respondet Feurbornius Ostorodo id ipsum excipienti, dicens: Distinguendum esse inter vocis exquisitam notationem, & connotationem. Vox μορφῆς non quidem hîc praecisè & immediatè divinam essentiam & naturam notat. sed eam *connotat*. Quia intelligitur non falsa sed vera Dei forma, quae non potest à Deitate esse separata. secus foret falsa Dei forma, & is qui non est summus Deus, χαρίσματα autem divina habet dici posset esse in forma Dei. Quod tamen scriptura de nullo alio quàm de Christo enunciat.

V. 2. Christus non dicitur λαβὼν accipiens formam Dei sed ὑπάρχων ἐν μορφῇ Θεοῦ, quae ὕπαρξις includit indistinctè divinam οὐσίαν quae cui deest is in S. literis non dicitur ὑπάρχων ἐν μορφῇ Θεοῦ. Hoc ergo argumentum fortiter militat. Qui verè existit in forma Dei, is est verus & summus Deus. *Quis enim*

enim est sicut Dominus Deus noster? Psal. 113. 5. Christus verè existit in forma Dei. Ergo Christus est verus & summus Deus.

V. 3. Hic τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχειν & τὸ εἶναι ἴσα θεῷ indistractè conjunguntur. At nulli personæ nisi quæ Deus altissimus est competit τὸ *aequalem esse Deo*. Confer. 2. *Sam.* 7. *v.* 22. & 2. *Paral.* 18. *v.* 22. *Esai.* 40. *v.* 25. Hoc autem Christo tribuitur, quod sit æqualis Deo. Ergo ex phrasibus istis etiam simul sumptis liquet, per formam Dei divinam naturam intelligendam esse.

VI. Sed negat Catechetes hic posse *formam Dei*, designare naturam Dei, *Quia Apostolus scribit Christum eam formam exinanivisse; Deus verò suam formam exinanire nullo modo potest. Resp.* Tribuitur exinanitio divinæ naturæ, non absolutè sed σχετικῶς. Deus enim absolutè & in se spectatus semetipsum non *exinanit*, ut aliquid per istam exinanitionem deperdat, aut in eo mutetur. Veruntamen Christus ut Deus σχετικῶς consideratus, exinanivit se ipsum, & quidem adhuc in forma Dei existens, non deponendo formam Dei, hoc est, essentiam divinam, sed respectu alio, nempe quatenus forma servi acceptâ, non semper, nec ubivis, nec omnibus quibus potuit modis, suam potentiam gloriam, & majestatem, quæ formam Dei comitantur, exseruit; sed eam libens ad tempus celavit. Atque hoc sensu non repugnat naturæ Dei exinanitio. Hinc dicitur Deus descendisse de cælo & in forma mortalis viri apparuisse. *Gen.* 17. *v.* 1. *Gen.* 18. 2. & 23. *Exod.* 24. *v.* 10. Rex etiam regiam suam majestatem ad tempus ob certas causas quasi dissimulare potest, ornatumque & splendorem regium occultare, idque bono subditorum suorum, ita tamen, ut per istam exinanitionem nihil decedat regiæ ejus dignitati.

VII. Pergit. *Nec verò forma servi denotat humanam naturam; cum servum esse ad conditionem & fortunam hominis referatur. Resp.* Ut iterum cum Feurbornio loquar, *forma servi*, non quidem *formaliter & quidditativè* est ipsa humana natura; (quia Christus formam servi in statu exaltationis deposuit; humanam autem naturam non deposuit, sed eam semper retinuit & retinebit) veruntamen eam prærequirit, includit, connotat & consignificat. Intelligitur enim vera forma servilis humana, id est sors, conditio & status humanus servilis, humilis, & abjectus, qui certè verè & indistractè arguit & subinfert naturam humanam. Humana namque servilis forma non potest esse sine humana substantia & natura, sicut

vera divina forma non potest esse sine Deitate.

VIII. Et, si forma servi principaliter conditionem servilem ac statum & conditionem humilem significat; tum sequetur, Christum terreno alicui Domino, ut servum obligatum fuisse, ad ejus mandatum atque nutum opera servilia exercuisse, quadamque notâ servili exteriùs distinctum ab aliis, incessisse. Ratio enim servi, per quod servus est id quod est, in eo consistit ut referatur ad Dominum. Quippe servus est Domini servus & Dominus servi Dominus. At Christus in terris nullum habuit Dominum, qui prioritatem super eum exerceret, quique Christum servum suum appellaret: quin potius, Dominus, Rabbi, διδάσκαλος audivit perpetuò. Nec ullius jussu aut imperio fecit ea quæ fecit: neque etiam vestem aut simile aliquod symbolum gestavit, quo tanquam servus ab aliis dignosci potuerit. Ergo forma servi non dicit primariò conditionem & statum Christi servilem, quanquam eum non excludit, sed servus quoque esse voluerit; attamen ut servus esset humana natura requirebatur.

IX. Denique, etsi sint quædam voces in scriptura quarum usus est rarior, non tamen sequitur eas voces ideo esse synonymas. Etsi enim vox formæ *Marci 16. 12.* exteriorem speciem significet, non rei essentiam; tamen non sequitur ergo & hoc ad Philip. loco.

X. Ex iis etiam verbis, quibus Paulus postea addit *habitu inventus est ut homo* apparet Christum esse incarnatum. Negat Catechesis. *Ea oratio*, inquit, *nihil habet in se ejusmodi.* Imò verò. Quia *similitudo* & *habitus* hoc loco, denotant proprietates humanas. Ubi autem hæ sunt ibi vera humanitas. Positis enim proprietatibus, necessariò ipsa humana natura asseritur. Ad illud verò quod dicit de Samsone, dici de eo, *eum futurum* ut *hominem*; item *principes morituros* ut *homines* & *tamen ex eo non probari esse incarnatos*. *Resp.* Diversitatem locorum allegatorum, cum eo quem versamus, esse maximam, eò quòd, hîc *ut* sit comparativum, non ratione unius tertii, sed omnium & singulorum quæ de homine prædicari possunt; allegato verò loco de Samsone tantùm ratione imbecillitatis; itemque loco ex *Psal. 8. 2.* comparatio tantùm instituatur ratione mortis. Et tamen & ex hoc utroque loco probatur & Samsonis & Principum vera humanitas.

XI. Exegesis Sociniana super verba Apostoli quæst. ultimâ explicatur: *quòd scilicet Christus qui in mundo instar Dei opera Dei efficiebat,*

& cui sicut Deo omnia parebant &c. Vide resp. ad quæst. tota inepta & multis nominibus vitiosa est. Nam primò *formam Dei* explicat per τὸ *instar Dei*; item τὸ *esse æqualem Deo*, explicat per *instar Dei opera Dei efficere & cui sicut Deo omnia parent, & cui divina adoratio tribuitur.* Sanè *æqualem esse Deo*, esse *in forma Dei* magis quid dicit, quàm instar Dei esse & operari. Formam enim Dei non habet, nisi is qui ejusdem habet essentiam: nec æqualis Deo dici potest in effectione operum divinorum, nisi is qui æqualis sit potentiæ & consequenter essentiæ. Adeo ut contradictio sit crassissima, Christum negare Deum, & tamen illi opera quæ solius Dei sunt, qualia sunt effectiones miraculorum, tribuere.

XII. Ex hac explicatione Sociniana sequitur, Apostolos quoque & omnes eos quibus in primitiva ecclesia facultas θαυματουργικὴ miracula faciendi indulta est, fuisse in forma Dei. Quinimo, Christo præferendi erunt, & majus quippiam de iis dicendum erit quàm id quod his verbis de Christo dicitur; quia de Apostolis dicit Christus *Joh. 14. 12.* eos majora opera facturos, quàm quidem ipse fecisset. Præterea, nisi Christus in forma Dei verus Deus fuisset, omnia illi parere non potuissent; universale enim omnium rerum obsequium creatorem & Dominum dicit, ad cujus nutum omnia ad obsequium & obedientiam sunt promptissima. Itemque adoratio religiosa & divina Christo nequaquam sine Idololatria manifesta deferri potuisset, ni Christus in forma Dei Deus fuisset.

XIII. *Ita volente Deo.* Velle Deum, ut aliquis qui natura Deus non sit, instar Dei, hoc est opera Deo æqualia efficiat: item ut alicui, qui Deus naturâ non est, omnia sicut Deo pareant, illique divina adoratio exhibeatur, falsum est. Quia Deus gloriam suam alteri non tantùm dare non vult, sed nec dare potest. Daret autem, si aliquis qui naturâ Deus non est, paria cum Deo faceret opera, si cuipiam omnia sicut Deo parerent, & si cui, qui naturâ Deus non est, adoratio divina exhiberetur. Neque hæc *salus hominum* exigebat.

XIV. Salute equidem hominum exigente *formam servi* assumpsit sed non *mancipii*. Vocabulum enim δοῦλος *ministrum* in genere notat non *mancipium* in specie. *Matth. 20. 27. Col. 1. 23. 25.* Christus enim libere formam servi assumpsit; at verò qui mancipium est ex obligatione & necessitate tale est. Et quantumvis Christus servi formam assumpserit, tamen etiam erat Dominus &

Deus

Deus noster & quidem Dominus gloriæ, Dominus de cælo. *Math. 1. 23. Luc. 2. 11. Joh. 13. 13. 14. 1. Cor. 2. 8. & 15. 47.* At nullum nostrum mancipium est noster Dominus & Deus. Mancipium est captum vel emptum, vel ex capto emptove natum. At nos Christum neque cepimus, neque emimus, sed ille nos emit & redemit: neque ille ex capta emptave matre fuit natus. Glossa ergo istius dicti Sociniana insulsa est.

Quæst. 58. Ad Tertium verò quid respondes?

Resp. *Primum quidem, quòd in multis exemplaribus vetustis, & in ipsa vulgata non legatur vox* Deus. *Quare ex eo loco certum nihil concludi potest, Deinde etiamsi ea vox legeretur nullam esse causam, cur ad Patrem referri non possit; cum hæc de Patre affirmari possint, eum apparuisse in Christo & Apostolis, qui caro fuerunt. Quòd enim inferius legitur, secundùm usitatam versionem,* receptus est in gloriam, *id in græco habetur* receptus est in gloria, *id est cum gloria, aut gloriosè.*

Quæst. 59. Quæ verò futura est hujus testimonii sententia?

Resp. *Vt eò melius sententiam testimonii hujus assequi valeas, integrum illud recitabo, siquidem Apostolus ait:* Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, fides habita est illi in mundo, receptus est in gloria. *Cujus testimonii sententia hæc est. Religionem Christi plenam esse mysteriis; Nam Deus, id est, voluntas ipsius de servandis hominibus; per homines infirmos & mortales perfectè patefacta*

est; & nihilominus tamen propter miracula & virtutes varias, quæ per homines illos infirmos & mortales editæ fuerant pro vera est agnita: Eadem ab ipsis angelis fuit demum perspecta: non solùm Iudæis, verùm etiam gentibus fuit prædicata: omnes ei crediderunt, & insignem in modum & summa cum gloria recepta fuit.

I. Locus de quo hisce quæstionibus duabus controvertitur, an ex eo Deitas Christi æterna probari possit est 1. *Tim.* 3. 16. *Deus manifestatus est in carne*, &c. Sic autem pro affirmativa argumentamur: Quicunque in N. Test. ita Deus appellatur ut absolutè subjecti locum teneat, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus in N. Test. ita Deus appellatur, ut &c. Ergo Christus est verus & æternus Deus. Major est ipsius Socini in Refut. arg. Bellarmini & Wuieki cap. 6. class. 4. arg. 1. p. 379. Ergo Minorem, negat Catechesis: Christum in N. Test. ita appellari Deum, ut absolutè subjecti locum teneat, nec eam ex hoc loco probari.

II. Rationes negationis sunt. 1. *Quòd in multis exemplaribus vetustis & in ipsa Vulgata non legatur vox Deus. Resp.* Vulgatam editionem non nobis, qui eam ut authenticam non acceptamus, sed Pontificiis objiciat. Nos ad fontes græcos provocamus. Adstipulamur scilicet hâc parte Smalcio, qui sui immemor de Verbi Incarnat. c. 18. scribit: *Nos græcum textum, vulgata longè antepenendum esse censemus: is verò habet* Deum *in carne esse manifestatum.* In Catechesi dicit: *in multis exemplaribus vetustis non legi vocem Deus.* Ubi verum dicat, divina Lector. Græci codices ubique habent; θεὸς ἐφανερώθη teste Stephano, Beza, Casaubono, aliis. Adstipulatur ipse Smalcius lib. & cap. paulò ante citato. OMNIA *exemplaria græca hactenus constanter vocem* Dei *habent.* Quare ex hoc loco certum aliquid concludi potest.

III. 2. *Deinde, etiamsi ea vox legeretur, nullam esse causam cur ad Patrem referri non possit, cum hæc de Patre affirmari possint, cum apparuisse in Christo & Apostolis, qui caro fuerunt. Resp.* 1. Non quæri quid *possit*, sed quid *debeat*. 2. Sed nec referri posse probo. 1. Quia is hîc dicitur in carne manifestatus, qui est caro factus, qui in carne venit, qui missus est in similitu-

litudinem carnis peccati, qui caro factus habitavit inter nos. Atqui non Pater, sed Filius est is qui caro factus est, qui venit in carne, qui particeps est factus carnis & sanguinis *Joh.* 1.14. 1. *Joh.* 4. 2, 3. *Hebr.* 5. 14. Filius itaque hic in carne manifestatus dicitur non Pater. 2. Quia nullibi in tota sacra scriptura occurrit locus, in quo dicatur de *Deo Patre*, quòd in carne se manifestaverit, aut quòd voluntatem suam de hominum salute in carne patefecerit.

IV. 3. Quia Apostolus hic loquitur de tali manifestatione Dei, quæ in N. Test. est *magnum pietatis mysterium.* Mysterium autem origine usuque proprio arcanum & absconditum, quod paucioribus innotuit. At eo modo, quem Adversarii adferunt, Deus voluntatem suam jam in V. Test. per Prophetas patefecerat ut liquet ex *Luc.* 24. 26, 27. & 46. *Act.* 26. 22. coll. cum *Act.* 20. 27. *Psal.* 147. 19. 20. Si dicas uberiorem manifestationem voluntatis divinæ hîc mysterium vocari, quo nomine manifestatio obscurior in V. Test. indignâ fuit: Regero, Magis & minus speciem nequaquam variare.

V. Non quidem inficiamur, carnem in sacris literis frequenter notare idem quod humile, abjectum, hinc illud *omnis caro fœnum* *Esa.* 40. & per talem carnem, hoc est per homines abjectos etiam annunciatam esse voluntatem Dei, quia dicit Apostolus, *habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus.* 2. *Cor.* 4. 7. Sed semper eam esse vocis istius significationem negamus. Adeoque probandum erat Adversario hoc loco non nisi de fragilitate & infirmitate accipi, non nudè asserendum; præsertim cum non dicatur *carne*, seu *per carnem*, sed *in carne.*

VI. 4. Qui à Paulo intelligitur, ab angelis pro magno mysterio visus est. At Deus Pater ab Angelis pro magno mysterio visus non est. *Quia Angeli in cælo semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Ergo hoc non potuit Apostolus tanquam magnum mysterium, hoc est tanquam rem novam & miram, atque incognitam adferre, Deum Patrem visum esse ab Angelis. Si hîc per Deum intelligi voluntatem Dei contendat & hîc nihil mysterii foret; qui enim faciem Patris cælestis vident perpetuò, quid miri est, si iidem etiam dicantur ejus voluntatem videre?

VII. Ad tertium Smalcii effugium, quo dicit: *inferius secundum usitatam versionem non legi receptus est in gloriam, sed in græco haberi receptus est* in gloria, *id est, cum gloria, aut gloriosè*, respondebimus paulò post ubi ordo vindicia-

rum loci istius id postulaverit.

VIII. Ergo quæ sit loci istius sententia Sociniana, Lector in responsione quæstionis secundæ expendat; & mecum homines ad tam absona commenta prolabi posse miretur. Verborum, *Deus manifestatus est in carne*, hic scilicet est sensus: *Deus, id est voluntas ipsius, de servandis hominibus per homines infirmos perfectè patefacta est*. At verò nullibi in sacris Deus manifestatus in carne idem est, quod voluntas Dei patefacta per infirmitatem: nullibi caro, additâ mentione Dei, significat infirmitatem hominum, in specie Christi & Apostolorum. Unico exemplo id probari velim. Eadem ergo facilitate hoc commentum rejicitur, quâ absque authoritate scripturæ adfertur.

IX. Nos verò nostram interpretationem confirmamus. Quia in toto N. Test. immediata manifestatio in carne, non Deo Patri, sed filio tribuitur. Ergo hîc non voluntas Patris, sed filius per Deum in carne manifestatum intelligendus. Antecedens probatur. Quia *1. Joh. 4. vs. 2. & 3.* dicitur de Christo, quod *in carne* venerit, quod idem Apost. explicat *1. Epist. 3. 8.* ad hoc manifestatus est filius Dei ut opera diaboli dissolvat.

X. *Justificatus est Spiritu* sensu Sociniano idem est quod, *& nihilominus tamen propter miracula & virtutes varias quæ per homines illos infirmos & mortales edita fuerant pro vera est agnita.* Rectè ex Varrone proclamat Beemanus.

Postremo nemo ægrotus quidquam somniat
Tam infandum quod non aliquis dicat Philosophus.

Ego verius: *Quod non aliquis dicat Photinianus.*

Ubi in sacris voluntas Dei dicitur justificata spiritu, id est, pro vera habita? *Justificatus Spiritu*, nihil aliud est, quàm declaratus θεάνθρωπος in spiritu: scilicet, potentiâ divinâ sese in doctrina operibusque ejus exerente, sicut *Rom. 1. 4. Declaratus filius Dei in potentia secundùm Spiritum*. Justificatus item est Christus spiritu, cum in baptismo ejus spiritus Sanctus tanquam columba è cælo descendit, ac super eum mansit. Respicit etiam procul dubio Apostolus ad verba Christi, *cum venerit paracletus arguet mundum de justitia*, hoc est, convincet mundum de eo, quòd Christus, quem tanquam seductorem & impium doctorem occiderant Judæi, fuerit justus & innocens. *Ille* inquit *Spiritus veritatis me glorificabit Ioh. 16: 8. 14.*

XI. *Eadem* scilicet voluntas, *ab ipsis angelis demum fuit perspecta*, commentarius est Socinianus super verba Apostoli, *apparuit* vel *visus est*

est Angelis. Quasi verò & antehac voluntas Dei non fuerit angelis patefacta, cum promptam voluntatis Dei exequutionem eorum laudet Psaltes *Psal. 103.* & perpetuò videant faciem Patris cælestis. Et quantumvis per incarnationem Christi Angeli voluntatem Dei de salute hominum plenius cognoverint; attamen hîc de ista voluntatis divinæ perfectiore cognitione sermo non est. Non enim dicit Apololus *ἀπεκαλύφθη* sed *ὤφθη τοῖς ἀγγέλοις* non *Dei voluntas*, sed *Deus*, Sensus Orthodoxus est: Notum quidem fuisse angelis Christum esse filium Dei altissimi, servatorem mundi, eumque dominaturum esse in æternum, *Luc. 1. 32, 33. 35. Luc. 2. 21.* Nihilominus tamen, quod illis *mysterium magnum* erat, videbant eum in præsepi jacentem, *Luc. 2. 12.* à Satana tentatum, *Matth. 4. 11.* in monte olearum mæstitiâ & angore obrutum *Luc. 22. 43.* Crucifixum, mortuum, sepultum, resurgentem, in cælos ascendentem. Hoc inquam modo Christus visus est angelis: & hæc sunt quæ Angeli introspicere cupiverant.

XII. *Prædicatus est gentibus.* Glossa Sociniana est. *Non solùm Judæis, sed etiam gentibus est prædicata*, scilicet voluntas Dei. Concedimus voluntatem Patris etiam gentibus prædicatam, quia filius illis absque Patre prædicari non potuit. Hic tamen non voluntatem Patris intelligi, sed ipsum Christum, certum est, ex coll. *1. Cor. 1. 13. Prædicamus* Christum crucifixum *Judæis quidem offendiculum*, græcis *verò stultitiam.* Hinc etiam Christus dicitur *lumen ad revelationem* gentium Luc. 2. 32. *Ita oportuit Christum pati, & prædicari ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes* gentes. *Luc. 24. 46. 47.*

XIII. *Fides illi est habita in mundo.* Commentarius Socinianus est, *Omnes ei crediderunt.* Cui? voluntati Patris revelatæ? Nego. Quia *Deo manifestato in carne*; is enim omnium harum propositionum subjectum est. Hinc fides etsi Patri non derogetur; tamen fides in Christum specialiter à Christianis flagitatur. *Joh. 3. 17, 18. 35. 36. Ioh. 6. 40. Act. 10. vs. 43. Gal. 2. vs. 16.*

XIV. *Receptus est in gloriam.* Dicit Catechetes Smalcius, quæstione istarum duarum primâ, *in græco non haberi receptus est in gloriam*, sed *in gloria*, id est cum gloria, aut gloriosè, quare super verba textus sic commentatur: *& insignem in modum & summa cum gloria recepta fuit*, scilicet Dei voluntas. Quoties effugio locus non est Adversariis, toties versiones culpare solent. Dicunt hîc verti debere

non

non *in gloriam* ut denotetur locus vel terminus quo Christus ascenderit, sed *in gloriâ* ut denoterur voluntatem Dei cum gloria receptam esse. De voluntate Dei hic non agi jam aliquoties est evictum, ergo de Christo. De hoc autem, sive dicas *in gloriam*, sive *in gloria* assumptum, perinde res habet; quia & *in gloriam* assumptus est. *Nonne Christum hæc oportebat pati & ingredi εἰς τ δόξαν αὐτ* IN *gloriam suam?* Luc.24.26. Et *in gloria*. Quia ascendit cum jubilo in altum captivam ducens captivitatem *Eph* 4 8. exspoliata imperia ac potestates cum triumpho traduxit. *Col.* 2. 15. Præterea *in gloriâ* ascendit,quia præsentibus discipulis,aliisque fidelibus, item angelis assumptus est. *In gloriâ*, quia â nube susceptus *Act.* 1. 9. Quia in corpore immortali ascendit, *Rom.* 6. 9. Quia sublatus ad dexteram Dei *Marci* 16. 19.

XV. Excipiunt Sociniani. Non agi hic de ascensione Christi in cælum, eò quòd Paulus referat ista verba *receptus est in gloria* post relationem de prædicatione gentibus facta: cùm tamen illa prius contigerit. Verùm exceptio frivola est. Fatetur quippe ipse Smalcius ὑστερολογίας interdum dari in scriptura, adeo, ut ex ordine verborum nihil certi inferri queat. Quantumvis ex superabundanti responderi possit, adscensionem Christi hic postponi prædicationi gentibus factæ, eò quòd multi in mundo non tantùm Judæi, sed & ex gentibus in eum crediderint, quia utrisque, etsi his parciùs prædicatus fuit. Magi tanquam gentium primitiæ Christum exceperunt. Confer. *Matth.* 4. 24. *Tunc emanavit fama ipsius in totam Siriam* Matth. 4. 15. *Et obivit Iesus totam Galilæam prædicans Evangelium regni*; intelligitur autem *Galilæa gentium vs.* 15. Multi etiam Samaritanorum crediderunt in Christum *Ioh.*4.39.41,42. Quia ergo in historia ordinis ratio maximopere habetur, ideo non malè Paulus hic prædicationem Christi gentibus factam eorumque fidem in eum, adscensioni Crhisti in cælū præmittit.

Quæst. 60. *Ad quartum ut respondes?*

Resp. *In eo ne similitudinem quidem incarnationis (ut vocant) apparere: cum is scriptor non dicat Christum assumpsisse (ut quidam reddunt, & vulgo eo sensu accipiunt,) sed asumere: nec dicit naturam humanam, sed semen Abrahæ: quod in literis sacris notat eos, qui in Christum crediderunt, ut* Gal. 3. 29. *videre est.*

Quæst.

Quæst. 61. *Qui verò sensus hujus erit loci?*

Resp. *Id sibi vult is scriptor, Christum non esse servatorem Angelorum sed hominum credentium, qui quoniam & afflictionibus & morti subjecti sunt, (quam rem superius expressit per participationem carnis & sanguinis) propterea Christus ultro se illis submisit, ut fideles suos à mortis metu liberaret, & in omni afflictione iisdem opem ferret.*

I. Mera hæc sunt effugia, & scripturarum torturæ. Clarissimè istis verbis: *Non semen angelorum, sed semen Abrahæ assumpsit*, Christi incarnatio probatur. Ille tamen dicit, *ne similitudinem incarnationis apparere.* Deum precare ut det tibi oculos ad videndum. Sed cur non appareat effare. Quia non dicit *assumpsisse* in præterito; sed *assumere* in præsenti. Verùm, quis ignorat temporis enallagen præsertim in narrationibus rerum gestarum esse frequentissimam? Ergo ἐπιλαμβάνεται, pro ἐπελάβετο positum est.

2. Per semen Abrahæ intelligi quandoque credentes omnes collectivè concedo. Sed hîc hoc sensu sumendum nego. Christus enim eo sensu dicitur semen Abrahæ assumpsisse, quo sensu *Gal.* 3. 16. ipse dicitur semen Abrahæ. Adeoque quid de glossa hujus loci, quam quæstione secundâ pro vera obtrudit, statuendum sit, Lector circumspectus non potest non judicare. Quippe quæ nititur falsâ quoque paraphrasi verborum ex eodem capite ad *Heb.* 2. 14. quasi verò participare de carne & sanguine, idem sit, quod morti & afflictionibus subjectum esse. Certè, cum pueri dicuntur participes esse carnis & sanguinis, non tantùm indigitatur, eos esse morti & afflictionibus subjectos; sed id vel præcipuè docetur, eos esse veros homines carne & sanguine constantes. Cum ergo idem de Christo prædicetur non hoc tantùm dicitur, quòd morti, quòd afflictionibus fuerit obnoxius; sed etiam quòd ex carne & sanguine tanquam parte humanæ naturæ altera constiterit. Præterea ἐπιλαμβάνεται notare *suscipere in curam, & in afflictionibus opem ferre*, falsum est. 1. Nam sic assumpsit filius Dei illud semen, ut ipse sit & dicatur *semen Abrahæ Gal.* 3. 16. At cum Deus suscipit hominem in tute-

[illegible] o- [illegible] Deus [illegible] homo. [illegible] omnibus [illegible] ipse non [illegible] nec hi sunt ipse Deus. 2. Etiam Deus Pater opem fert afflictis, præcipuè afflicto semini Abrahæ; nec tamen vel Pater vel filius dicitur [illegible] Abrahæ assumpsisse.

[illegible] Quomodo verò respondes ad quintum testimonium [illegible] in eo nihil prorsus de incarnatione, (quum [illegible] [illegible]eri. Etenim quod apud quosdam legitur, venit in [illegible] *in Græco habetur,* venit in carne: *Præterea, non [illegible] Johannes, quod* Spiritus qui confitetur, quòd Iesus Christus in carne venerit, ex Deo est. *Verùm, quod* Spiritus qui confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est, *quorum verborum sensus est: Eum Spiritum ex Deo esse, qui confitetur Iesum illum, qui mundo [illegible] sine ulla pompa & ostentatione mundana, summa cum humilitate, quoad externam speciem, summoque cum contemptu obierit, mortem denique ignominiosam oppetierit, esse Christum [illegible] populi Dei Regem.*

1. Mirè frontem perfricuit Smalcius, verbis 1 *Joh.* 4. 2. & 3. *Omnis [illegible] qui credit Iesum Christum venisse in carnem,* dicens nihil prorsus de incarnatione haberi. Eò quòd in græco non habeatur venit in carnem sed in carne. *In carne* autem venire, dictante Ostorodo, nihil aliud est, *quàm non cum potentia & gloria, sed cum [illegible], [illegible] & [illegible] venire.* [illegible] autem. [illegible] non male veni [illegible] carnem; [illegible] Scriptura poni pro [illegible] 1. *Thess.* 1. 8. & 4. 7. Debere verò [illegible] in carnem hoc est, incarnatus est verè, probatur. Quia sic Johannes exorditur primam suam Epistolam c. 1. *vs.* 1. Quòd erat in principio, nempe creationis à Moise descriptæ, teste Johanne in Evang. *cap.* 1. *vs.* 1. 10. Ergo qui venit in carnem,

præ

præextitit ante illum adventum, & in temporis plenitudine incarnatus est: & consequenter λόγος τῆς ζωῆς est ipse æternus Dei Patris filius, qui exiens à Patre & in mundum veniens, in carnem etiam venit, & sic etiam incarnatus est. 2. Deus Pater filium suum unigenitum misit servatorem in mundum ut vivamus per eum *1. Ioh. 4. 9. 14.* Ergo filius ante illam carnis assumptionem extitit.

II. Deinde dato quòd ἐν σαρκὶ vertendum sit *in carne*, nihilominus solidè hinc pro incarnatione filii Dei argumentamur. Quia venisse *in carne*, necessariò supponit venisse *in carnem*. Imò quia venit Christus *in carne*, ideo infertur aliquid, in quod venerit. Nusquam enim aliquis in infirmitate venisse legitur. Venit igitur Christus *in carne*, id est, in humana natura, tanquam verus homo. Et distinguitur apertè is, qui venit, nempe Jesus Christus & in quo venit, nimirum in carne. Rectè *Franciscus Iunius de Trinit. defens. 3.* Non quidem negamus carnis appellatione pro locorum natura; etiam abjectionem maximam & conditionem miseram interdum connotari: sed propriè semper notatur caro & persona carnea velut subjectum istarum qualitatum, quæ de supposito carneo prædicantur.

3. Falsa proinde est glossa Sociniana super hæc verba, *qui credit Iesum Christum venisse in carnem.* Quod Christus *munus suum in terra sine omni pompa mundana, summa cum humilitate quoad exteriorem speciem, summoque cum contemptu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit.* Falsitatem probo. 1. Quia dicitur quòd omnis spiritus qui credit Jesum Christum venisse in carne ex Deo sit. At multi spiritus confessi sunt, Christum absque pompâ & splendore externo, in magno contemptu mundo apparuisse, suumque officium ad ministrasse, qui tamen ex Deo non sunt, sed potius ex diabolo. 2. Cum Christus demum circa annum ætatis trigesimum auspicatus sit officium suum, sequetur, Christum demum ætatis anno trigesimo in carne venisse, antea verò ἄσαρκον fuisse. 3. Quia vox *Carnis* de Christo usurpata in sacris literis, non notat solùm infirmitatem, calamitatem, ac humilem conditionem, exclusâ naturâ humanâ, quod probandum fuisset Smalcio.

Quæst. 63. *Quid ad sextum respondes?*

Resp. *Ne hîc quidem de in carnatione (ut vocant) ul-*

& cui sicut Deo omnia parebant &c. Vide resp. ad quæst. tota inepta & multis nominibus vitiosa est. Nam primò *formam Dei* explicat per τὸ *instar Dei*; item τὸ *esse aequalem Deo*, explicat per *instar Dei opera Dei efficere & cui sicut Deo omnia parent, & cui divina adoratio tribuitur.* Sanè *aequalem esse Deo*, esse *in forma Dei* magis quid dicit, quàm instar Dei esse & operari. Formam enim Dei non habet, nisi is qui ejusdem habet essentiam: nec æqualis Deo dici potest in effectione operum divinorum, nisi is qui æqualis sit potentiæ & consequenter essentiæ. Adeo ut contradictio sit crassissima, Christum negare Deum, & tamen illi opera quæ solius Dei sunt, qualia sunt effectiones miraculorum, tribuere.

XII. Ex hac explicatione Sociniana sequitur, Apostolos quoque & omnes eos quibus in primitiva ecclesia facultas θαυματουργικὴ miracula faciendi indulta est, fuisse in forma Dei. Quinimo, Christo præferendi erunt, & majus quippiam de iis dicendum erit quàm id quod his verbis de Christo dicitur; quia de Apostolis dicit Christus *Joh. 14. 12.* eos majora opera facturos, quàm quidem ipse fecisset. Prǽterea, nisi Christus in forma Dei verus Deus fuisset, omnia illi parere non potuissent; universale enim omnium rerum obsequium creatorem & Dominum dicit, ad cujus nutum omnia ad obsequium & obedientiam sunt promptissima. Itemque adoratio religiosa & divina Christo nequaquam sine Idololatria manifesta deferri potuisset, ni Christus in forma Dei Deus fuisset.

XIII. *Ita volente Deo.* Velle Deum, ut aliquis qui natura Deus non sit, instar Dei, hoc est opera Deo æqualia efficiat: item ut alicui, qui Deus naturâ non est, omnia sicut Deo pareant, illique divina adoratio exhibeatur, falsum est. Quia Deus gloriam suam alteri non tantùm dare non vult, sed nec dare potest. Daret autem, si aliquis qui naturâ Deus non est, paria cum Deo faceret opera, si cuipiam omnia sicut Deo parerent, & si cui, qui naturâ Deus non est, adoratio divina exhiberetur. Neque hæc *salus hominum* exigebat.

XIV. Salute equidem hominum exigente *formam servi* assumpsit sed non *mancipii*. Vocabulum enim δοῦλος *ministrum* in genere notat non *mancipium* in specie. *Matth. 20. 27. Col. 1. 23. 25.* Christus enim libere formam servi assumpsit; at verò qui mancipium est ex obligatione & necessitate tale est. Et quantumvis Christus servi formam assumpserit, tamen etiam erat Dominus & Deus

Deus noster & quidem Dominus gloriæ, Dominus de cælo. *Math. 1. 23. Luc. 2. 11. Joh. 13. 13. 14. 1. Cor. 2. 8. & 15. 47.* At nullum nostrum mancipium est noster Dominus & Deus. Mancipium est captum vel emptum, vel ex capto emptove natum. At nos Christum neque cepimus, neque emimus, sed ille nos emit & redemit: neque ille ex capta emptave matre fuit natus. Glossa ergo istius dicti Sociniana insulsa est.

Quæst. 58. Ad Tertium verò quid respondes?

Resp. *Primum quidem, quòd in multis exemplaribus vetustis, & in ipsa vulgata non legatur vox* Deus. *Quare ex eo loco certum nihil concludi potest, Deinde etiamsi ea vox legeretur nullam esse causam, cur ad Patrem referri non possit; cum hæc de Patre affirmari possint, eum apparuisse in Christo & Apostolis, qui caro fuerunt. Quòd enim inferius legitur, secundùm usitatam versionem*, receptus est in gloriam, *id in græco habetur* receptus est in gloria, *id est cum gloria, aut gloriosè.*

Quæst. 59. Quæ verò futura est hujus testimonii sententia?

Resp. *Vt eò melius sententiam testimonii hujus assequi valeas, integrum illud recitabo, siquidem Apostolus ait:* Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, fides habita est illi in mundo, receptus est in gloria. *Cujus testimonii sententia hæc est. Religionem Christi plenam esse mysteriis; Nam Deus, id est, voluntas ipsius de servandis hominibus; per homines infirmos & mortales perfectè patefacta*

est; & nihilominus tamen propter miracula & virtutes varias, quæ per homines illos infirmos & mortales editæ fuerant pro vera est agnita: Eadem ab ipsis angelis fuit demum perspecta: non solùm Iudæis, verùm etiam gentibus fuit prædicata: omnes ei crediderunt, & insignem in modum & summa cum gloria recepta fuit.

I. Locus de quo hisce quæstionibus duabus controvertitur, an ex eo Deitas Christi æterna probari possit est 1. *Tim.* 3. 16. *Deus manifestatus est in carne*, &c. Sic autem pro affirmativa argumentamur: Quicuncque in N. Test. ita Deus appellatur ut absolutè subjecti locum teneat, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus in N. Test. ita Deus appellatur, ut &c. Ergo Christus est verus & æternus Deus. Major est ipsius Socini in Refut. arg. Bellarmini & Wuieki cap. 6. class. 4. arg. 1. p. 379. Ergo Minorem, negat Catechesis: Christum in N. Test. ita appellari Deum, ut absolutè subjecti locum teneat, nec eam ex hoc loco probari.

II. Rationes negationis sunt. 1. *Quòd in multis exemplaribus vetustis & in ipsa Vulgata non legatur vox Deus. Resp.* Vulgatam editionem non nobis, qui eam ut authenticam non acceptamus, sed Pontificiis objiciat. Nos ad fontes græcos provocamus. Adstipulamur scilicet hâc parte Smalcio, qui sui immemor de Verbi Incarnat. c. 18. scribit: *Nos græcum textum, vulgata longè antepenendum esse censemus: is verò habet* Deum *in carne esse manifestatum.* In Catechesi dicit: *in multis exemplaribus vetustis non legi vocem Deus.* Ubi verum dicat, divina Lector. Græci codices ubique habent: Θεὸς ἐφανερώθη teste Stephano, Beza, Casaubono, aliis. Adstipulatur ipse Smalcius lib. & cap. paulò ante citato. OMNIA *exemplaria græca hactenus constanter vocem* Dei *habent.* Quare ex hoc loco certum aliquid concludi potest.

III. 2. *Deinde, etiamsi ea vox legeretur, nullam esse causam cur ad Patrem referri non possit, cum hæc de Patre affirmari possint, eum apparuisse in Christo & Apostolis, qui caro fuerunt. Resp.* 1. Non quæri quid *possit*, sed quid *debeat*. 2. Sed nec referri posse probo. 1. Quia is hîc dicitur in carne manifestatus, qui est caro factus, qui in carne venit, qui missus est in simili-

litudinem carnis peccati, qui caro factus habitavit inter nos. Atqui non Pater, sed Filius est is qui caro factus est, qui venit in carne, qui particeps est factus carnis & sanguinis *Joh.* 1. 14. 1. *Joh.* 4. 2, 3. *Hebr.* 5. 14. Filius itaque hic in carne manifestatus dicitur non Pater. 2. Quia nullibi in tota sacra scriptura occurrit locus, in quo dicatur de *Deo Patre*, quòd in carne se manifestaverit, aut quòd voluntatem suam de hominum salute in carne patefecerit.

IV. 3. Quia Apostolus hic loquitur de tali manifestatione Dei, quæ in N. Test. est *magnum pietatis mysterium*. Mysterium autem origine usuque proprio arcanum & absconditum, quod paucioribus innotuit. At eo modo, quem Adversarii adferunt, Deus voluntatem suam jam in V. Test. per Prophetas patefecerat ut liquet ex *Luc.* 24. 26, 27. & 46. *Act.* 26. 22. coll. cum *Act.* 20. 27. *Psal.* 147. 19. 20. Si dicas uberiorem manifestationem voluntatis divinæ hic mysterium vocari, quo nomine manifestatio obscurior in V. Test. indignâ fuit: Regero, Magis & minus speciem nequaquam variare.

V. Non quidem inficiamur, carnem in sacris literis frequenter notare idem quod humile, abjectum, hinc illud *omnis caro fœnum Esa.* 40. & per talem carnem, hoc est per homines abjectos etiam annunciatam esse voluntatem Dei, quia dicit Apostolus, *habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus.* 2. *Cor.* 4. 7. Sed semper eam esse vocis istius significationem negamus. Adeoque probandum erat Adversario hoc loco non nisi de fragilitate & infirmitate accipi, non nudè asserendum; præsertim cum non dicatur *carne*, seu *per carnem*, sed *in carne*.

VI. 4. Qui à Paulo intelligitur, ab angelis pro magno mysterio visus est. At Deus Pater ab Angelis pro magno mysterio visus non est. *Quia Angeli in cælo διαπαντὸς vident faciem Patris, qui in cælis est.* Ergo hoc non potuit Apostolus tanquam magnum mysterium, hoc est tanquam rem novam & miram, atque in cognitam adferre, Deum Patrem visum esse ab Angelis. Si hic per Deum intelligi voluntatem Dei contendat & hic nihil mysterii foret; qui enim faciem Patris cælestis vident perpetuò, quid miri est, si iidem etiam dicantur ejus voluntatem videre?

VII. Ad tertium Smalcii effugium, quo dicit: *inferius secundum usitatam versionem non legi receptus est in gloriam, sed in græco haberi receptus est* in gloria, *id est, cum gloria, aut gloriosè*, respondebimus paulò post ubi ordo vindicia-

rum loci istius id postulaverit.

VIII. Ergo quæ sit loci istius sententia Sociniana, Lector in responsione quæstionis secundæ expendat; & mecum homines ad tam absona commenta prolabi posse miretur. Verborum, *Deus manifestatus est in carne*, hic scilicet est sensus: *Deus, id est voluntas ipsius, de servandis hominibus per homines infirmos perfectè patefacta est.* At verò nullibi in sacris Deus manifestatus in carne idem est, quod voluntas Dei patefacta per infirmitatem: nullibi caro, additâ mentione Dei, significat infirmitatem hominum, in specie Christi & Apostolorum. Unico exemplo id probari velim. Eadem ergo facilitate hoc commentum rejicitur, quâ absque authoritate scripturæ adfertur.

IX. Nos verò nostram interpretationem confirmamus. Quia in toto N. Test. immediata manifestatio in carne, non Deo Patri, sed filio tribuitur. Ergo hîc non voluntas Patris, sed filius per Deum in carne manifestatum intelligendus. Antecedens probatur. Quia *1. Joh. 4. ✝︎. 2.* & *3.* dicitur de Christo, quod *in carne* venerit, quod idem Apost. explicat *1. Epist. 3. 8.* ad hoc manifestatus est filius Dei ut opera diaboli dissolvat.

X. *Justificatus est Spiritu* sensu Sociniano idem est quod, *& nihilominus tamen propter miracula & virtutes varias quæ per homines illos infirmos & mortales edita fuerant pro vera est agnita.* Rectè ex Varrone proclamat Becmanus.

> *Postremo nemo ægrotus quidquam somniat*
> *Tam infandum quod non aliquis dicat Philosophus.*
>
> Ego verius: *Quod non aliquis dicat Photinianus.*

Ubi in sacris voluntas Dei dicitur justificata spiritu, id est, pro vera habita? *Justificatus Spiritu*, nihil aliud est, quàm declaratus θεάνθρωπος in spiritu: scilicet, potentiâ divinâ sese in doctrina operibusque ejus exerente, sicut *Rom. 1. 4. Declaratus filius Dei in potentia secundùm Spiritum.* Justificatus item est Christus spiritu, cum in baptismo ejus spiritus Sanctus tanquam columba è cælo descendit, ac super eum mansit. Respicit etiam procul dubio Apostolus ad verba Christi, *cum venerit paracletus arguet mundum de justitia*, hoc est, convincet mundum de eo, quòd Christus, quem tanquam seductorem & impium doctorem occiderant Judæi, fuerit justus & innocens. *Ille* inquit *Spiritus veritatis me glorificabit Ioh. 16. 8. 14.*

XI. *Eadem* scilicet voluntas, *ab ipsis angelis demum fuit perspecta*, commentarius est Socinianus super verba Apostoli, *apparuit* vel *visus est*

est Angelis. Quasi verò & antehac voluntas Dei non fuerit angelis patefacta, cum promptam voluntatis Dei exequutionem eorum laudet Psaltes *Psal. 103.* & perpetuò videant faciem Patris cælestis. Et quantumvis per incarnationem Christi Angeli voluntatem Dei de salute hominum plenius cognoverint; attamen hîc de ista voluntatis divinæ perfectiore cognitione sermo non est. Non enim dicit Apololus ἀπεκαλύφθη sed ὤφθη τοῖς ἀγγέλοις non *Dei voluntas*, sed *Deus*, Sensus Orthodoxus est: Notum quidem fuisse angelis Christum esse filium Dei altissimi, servatorem mundi, eumque dominaturum esse in æternum, *Luc. 1. 32, 33. 35. Luc. 2. 21.* Nihilominus tamen, quod illis *mysterium magnum* erat, videbant eum in præsepi jacentem, *Luc. 2. 12.* à Satana tentatum, *Matth. 4. 11.* in monte olearum mæstitiâ & angore obrutum *Luc. 22. 43.* Crucifixum, mortuum, sepultum, resurgentem, in cælos ascendentem. Hoc inquam modo Christus visus est angelis: & hæc sunt quæ Angeli in-introspicere cupiverant.

XII. *Prædicatus est gentibus.* Glossa Sociniana est. *Non solùm Judæis, sed etiam gentibus est prædicata*, scilicet voluntas Dei. Concedimus voluntatem Patris etiam gentibus prædicatam, quia filius illis absque Patre prædicari non potuit. Hic tamen non voluntatem Patris intelligi, sed ipsum Christum, certum est, ex coll. *1. Cor. 1. 13. Prædicamus* Christum crucifixum *Judæis quidem offendiculum*, græcis *verò stultitiam.* Hinc etiam Christus dicitur *lumen ad revelationem* gentium Luc. 2. 32. *Ita oportuit Christum pati, & prædicari ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes* gentes. *Luc. 24. 46. 47.*

XIII. *Fides illi est habita in mundo.* Commentarius Socinianus est, *Omnes ei crediderunt.* Cui? voluntati Patris revelatæ? Nego. Quia *Deo manifestato in carne*; is enim omnium harum propositionum subjectum est. Hinc fides etsi Patri non derogetur; tamen fides in Christum specialiter à Christianis flagitatur. *Joh. 3. 17, 18. 35. 36. Ioh. 6. 40. Act. 10. vs. 43. Gal. 2. vs. 16.*

XIV. *Receptus est in gloriam.* Dicit Catechetes Smalcius, quæstione istarum duarum primâ, *in græco non haberi receptus est in gloriam*, sed *in gloria*, id est cum gloria, aut gloriosè, quare super verba textus sic commentatur: *& insignem in modum & summa cum gloria recepta fuit*, scilicet Dei voluntas. Quoties effugio locus non est Adversariis, toties versiones culpare solent. Dicunt hic verti debere

non

non *in gloriam* ut denotetur locus vel terminus quo Chistus ascenderit, sed *in gloriâ* ut denotetur voluntatem Dei cum gloria receptam esse. De voluntate Dei hic non agi jam aliquoties est evictum, ergo de Christo. De hoc autem, sive dicas *in gloriam*, sive *in gloria* assumptum, perinde res habet; quia & *in gloriam* assumptus est. *Nonne Christum hæc oportebat pati & ingredi εἰς τ̀ δόξαν αὐτοῦ* In *gloriam suam?* Luc. 24.26. Et *in gloria*. Quia ascendit cum jubilo in altum captivam ducens captivitatem *Eph. 4. 8.* exspoliata imperia ac potestates cum triumpho traduxit. *Col. 2. 15.* Præterea *in gloriâ* ascendit, quia præsentibus discipulis, aliisque fidelibus, item angelis assumptus est. *In gloriâ*, quia à nube susceptus *Act. 1. 9.* Quia in corpore immortali ascendit, *Rom. 6. 9.* Quia sublatus ad dexteram Dei *Marci 16. 19.*

XV. Excipiunt Sociniani. Non agi hîc de ascensione Christi in cælum, eò quòd Paulus referat ista verba *receptus est in gloria* post relationem de prædicatione gentibus facta: cùm tamen illa prius contigerit. Verùm exceptio frivola est. Fatetur quippe ipse Smalcius ὑστερολογίας interdum dari in scriptura, adeo, ut ex ordine verborum nihil certi inferri queat. Quantumvis ex superabundanti responderi possit, adscensionem Christi hic postponi prædicationi gentibus factæ, eò quòd multi in mundo non tantùm Judæi, sed & ex gentibus in eum credidissent, quia utrisque, etsi his parciùs prædicatus fuit. Magi tanquam gentium primitiæ Christum exceperunt. Confer. *Matth. 4. 24. Tunc emanavit fama ipsius in totam Siriam* Matth. 4. 15. *Et obivit Iesus totam Galilæam prædicans Evangelium regni*; intelligitur autem *Galilæa gentium vs. 15.* Multi etiam Samaritanorum crediderunt in Christum *Ioh. 4. 39. 41, 42.* Quia ergo in historia ordinis ratio maximoperè habetur, ideo non malè Paulus hic prædicationem Christi gentibus factam eorumque fidem in eum, adscensioni Crhisti in cælū præmittit.

Quæst. 60. *Ad quartum ut respondes?*

Resp. *In eo ne similitudinem quidem incarnationis (ut vocant) apparere: cum is scriptor non dicat Christum assumpsisse (ut quidam reddunt, & vulgo eo sensu accipiunt,) sed assumere: nec dicit naturam humanam, sed semen Abrahæ: quod in literis sacris notat eos, qui in Christum crediderunt, ut* Gal. 3. 29. *videre est.*

Quæst.

Quæst. 61. *Qui verò sensus hujus erit loci?*

Resp. *Id sibi vult is scriptor, Christum non esse servatorem Angelorum sed hominum credentium, qui quoniam & afflictionibus & morti subjecti sunt, (quam rem superius expressit per participationem carnis & sanguinis) propterea Christus ultro se illis submisit, ut fideles suos à mortis metu liberaret, & in omni afflictione iisdem opem ferret.*

1. Mera hæc sunt effugia, & scripturarum torturæ. Clarissimè istis verbis: *Non semen angelorum, sed semen Abrahæ assumpsit*, Christi incarnatio probatur. Ille tamen dicit, *ne similitudinem incarnationis apparere.* Deum precare ut det tibi oculos ad videndum. Sed cur non appareat effare. Quia non dicit *assumpsisse* in præterito; sed *assumere* in præsenti. Verùm, quis ignorat temporis enallagen præsertim in narrationibus rerum gestarum esse frequentissimam? Ergo ἐπιλαμβάνεται, pro ἐπελάβετο positum est.

2. Per semen Abrahæ intelligi quandoque credentes omnes collectivè concedo. Sed hic hoc sensu sumendum nego. Christus enim eo sensu dicitur semen Abrahæ assumpsisse, quo sensu *Gal.* 3.16. ipse dicitur semen Abrahæ. Adeoque quid de glossa hujus loci, quam quæstione secundâ pro vera obtrudit, statuendum sit, Lector circumspectus non potest non judicare. Quippe quæ nititur falsâ quoque paraphrasi verborum ex eodem capite ad *Heb. 2. 14.* quasi verò participare de carne & sanguine, idem sit, quod morti & afflictionibus subjectum esse. Certè, cum pueri dicuntur participes esse carnis & sanguinis, non tantùm indigitatur, eos esse morti & afflictionibus subjectos; sed id vel præcipuè docetur, eos esse veros homines carne & sanguine constantes. Cum ergo idem de Christo prædicetur non hoc tantùm dicitur, quòd morti, quòd afflictionibus fuerit obnoxius; sed etiam quòd ex carne & sanguine tanquam parte humanæ naturæ altera constiterit. Præterea ἐπιλαμβάνεται notare *suscipere in curam, & in affi[?]ictionibus opem ferre*, falsum est. 1. Nam sic assumpsit filius Dei illud semen, ut ipse sit & dicatur *semen Abrahæ Gal. 3. 16.* At cum Deus suscipit hominem in tutelam

lam suam eique in afflictionibus opem fert; tamen non statim fit Deus ille homo, nec Deus fit homo. Nam Deus opitulatur omnibus credentibus; at propterea ipse non est omnes credentes: nec hi sunt ipse Deus. 2. Etiam Deus Pater opem fert afflictis, præcipuè afflicto semini Abrahæ; nec tamen vel Pater vel filius dicitur semen Abrahæ assumpsisse.

Quæst. 62. *Quomodo verò respondes ad quintum testimonium?*

Resp. *Etiam in eo nihil prorsus de incarnatione, (quam vocant) haberi. Etenim quod apud quosdam legitur,* venit in carnem, *in Græco habetur,* venit in carne: *Præterea, non scribit Iohannes, quòd* Spiritus qui confitetur, quòd Iesus Christus in carne venerit, ex Deo est. *Verùm, quòd is* Spiritus qui confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est, *quorum verborum sensus est: Eum Spiritum ex Deo esse, qui confitetur Iesum illum, qui munus suum sine ulla pompa & ostentatione mundana, summa cum humilitate, quoad exteriorem speciem, summoque cum contemptu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit, esse Christum ac populi Dei Regem.*

I. Mirè frontem perfricuit Smalcius, verbis 1. *Joh.* 4. 2. & 3. *Omnis spiritus qui credit Iesum Christum venisse in carnem*, dicens nihil prorsus de incarnatione haberi. Eò quòd in græco non habeatur venit *in carnem* sed *in carne. In carne* autem *venire*, dictante Ostorodo, *nihil aliud est, quàm non cùm potentia & gloria, sed cum ignominia, calamitate & dolore venire. Resp.* autem. ἐν σαρκὶ non malè verti in *carnem*; ἐν enim in scriptura poni pro εἰς est usitatissimum 1. *Thess.* 1. 8. & 4. 7. Debere verò ἐν σαρκὶ *in carnem* hoc est, incarnatus est verti, probatur. Quia sic Johannes exorditur primam suam Epistolam *c.* 1. *vs.* 1. Quòd erat in principio, nempe creationis à Mose descriptæ, teste Johanne in Euang. *cap.* 1. *vs.* 1. 10. Ergo qui venit in carnem,

pra

præextitit ante illum adventum, & in temporis plenitudine incarnatus est: & consequenter λόγος τῆς ζωῆς est ipse æternus Dei Patris filius, qui exiens à Patre & in mundum veniens, in carnem etiam venit, & sic etiam incarnatus est. 2. Deus Pater filium suum unigenitum misit servatorem in mundum ut vivamus per eum *1. Ioh. 4. 9. 14.* Ergo filius ante illam carnis assumptionem extitit.

II. Deinde dato quòd *ἐν σαρκὶ* vertendum sit *in carne*, nihilominus solidè hinc pro incarnatione filii Dei argumentamur. Quia venisse *in carne*, necessariò supponit venisse *in carnem*. Imò quia venit Christus *in carne*, ideo infertur aliquid, in quod venerit. Nusquam enim aliquis in infirmitate venisse legitur. Venit igitur Christus *in carne*, id est, in humana natura, tanquam verus homo. Et distinguitur apertè is, qui venit, nempe Jesus Christus & in quo venit, nimirum in carne. Rectè *Franciscus Iunius de Trinit. defens. 3.* Non quidem negamus carnis appellatione pro locorum natura, etiam abjectionem maximam & conditionem miseram interdum connotari: sed propriè semper notatur caro & persona carnea velut subjectum istarum qualitatum, quæ de supposito carneo prædicantur.

3. Falsa proinde est glossa Sociniana super hæc verba, *qui credit Iesum Christum venisse in carnem.* Quod Christus *munus suum in terra sine omni pompa mundana, summa cum humilitate quoad exteriorem speciem, summoque cum contemptu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit.* Falsitatem probo. 1. Quia dicitur quòd omnis spiritus qui credit Jesum Christum venisse in carne ex Deo sit. At multi spiritus confessi sunt, Christum absque pompâ & splendore externo, in magno contemptu mundo apparuisse, suumque officium ad ministrasse, qui tamen ex Deo non sunt, sed potius ex diabolo. 2. Cum Christus demum circa annum ætatis trigesimum auspicatus sit officium suum, sequetur, Christum demum ætatis anno trigesimo in carne venisse, antea vero ἄσαρκον fuisse. 3. Quia vox *Carnis* de Christo usurpata in sacris literis, non notat solùm infirmitatem, calamitatem, ac humilem conditionem, exclusâ naturâ humanâ, quod probandum fuisset Smalcio.

Quæst. 63. *Quid ad sextum respondes?*

Resp. *Ne hîc quidem de in carnatione (ut vocant) ul-*

lam mentionem factum, cum is mundus, in quem ingressum Iesum is autor ait, sit ille mundus futurus, ut superius demonstratum est. Unde etiam ingredi in illum mundum, non nasci in mundum, sed in cælum ingredi significat. Deinde illis verbis, corpus aptasti mihi, *corporis vox (ut ex eo apparuit ubi de ingressu hoc in mundum actum est) pro corpore immortali accipi potest.*

Quæst. 64. *Quæ sententia ejus loci est?*

Resp. *Deum Iesu tale corpus aptasse postquam in cœlum est ingressus, quod ad obeundum munus Pontificis summi aptum & accommodatum foret.*

I. Christum incarnatum esse probatur denique ex *Heb. 10. 5. Quapropter ingrediens mundum, dicit: sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.* Dicit Smalcius: *Ne hic quidem ullam mentionem de incarnatione factam.* Quare verò? *Quia is mundus in quem Iesus ingressus est, est mundus futurus.* Nego. Quia Ascensio in cœlum non *ingressus in mundum*; Sed *egressus ex mundo* dicitur in scriptura. *Exivi à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.* Joh. 16. 28. Adeo ut per istam phrasin *ingredi* vel *venire in mundum* nuspiam intelligatur cœlum & sedes beatorum. Est quidem vox mundi ambigua valde, cœli tamen eam habere significationem verum non est.

II. De quo autem mundo Apostolus loquatur, clarissimè liquet, ex ℣. 7. *Ecce adsum ut faciam, Deus, voluntatem tuam*, cujus parallelum est. *Ioh. 6. 38. Descendi è cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Illa verba, *corpus aptasti mihi* pro corpore immortali, *inquit*, accipi *possunt.* Proba debere. Non posse nec debere ex eo constat. Quia 1. falsam hypothesin supponit hanc, nimirum corpus Christi immutatum substantialiter, ita ut ex carneo & osseo factum sit spirituale, ut loquitur Smalcius *Hom. 6.* in *cap. 1. Iohan.* cum tamen Christus etiamnum dicatur Esse ex Patribus secundùm carnem. *Rom. 9. 5.* 2. Quia supponit Christo debuisse tale corpus spirituale

tuale adaptari ad obeundum munus sacerdotis in cœlis, cùm Christus sacerdos noster in terris quoque fuerit, ut infra, ubi de munere sacerdotali acturi sumus, ostendemus; Adeo ut duabus hisce quæstionibus pura puta sit petitio principii & falsum suum per æquè falsum adstruat Smalcius.

Quæst. 65. *Exposuisti hactenus scripturas, è quibus id docere de Christo volunt, quod in iis non habetur: cedo etiam eas scripturas, è quibus illi perperam conclusiones suas adstruere instituunt.*

Resp. *Eæ scripturæ è quibus illi conclusiones suas perperam conficiunt, aut Christum directè respiciunt, aut per quandam accommodationem ad eum referuntur.*

Quæst. 66. *Quænam sunt quæ directè Christum respiciunt?*

Resp. ***Sunt eæ in quibus Christus, aut Deus, aut unum esse cum Deo, aut æqualis Deo, aut Filius Dei viventis, aut filius Dei proprius, aut unigenitus, aut primogenitus totius creaturæ, aut omnia habens quæ Pater habet, aut Pater æternitatis, aut verbum Dei, aut imago Dei invisibilis, aut character substantiæ ejus, aut is, quo viso videtur Pater, dicitur; aut is, in quo habitat omnis plenitudo Dei corporaliter, aut is, qui gloriam habuit apud Patrem antequam mundus esset, aut quòd spiritus ipsius in Prophetis fuerat, aut is, qui de cœlo descendit, à Patre exiit, & in mundum venit, à Patre missus fuerat in mundum, aut quòd unicus esset Dominus, Dominus gloriæ, Rex Regum, Dominus Dominorum, & ad quem fides & honor divinus pertinet.***

I. Ita est, ex his & similibus scripturæ dictis per conclusiones firmissimas & consequentias proximas, divinam Christi naturam adstruimus. Quid ad singulas horum locorum argumentationes respondeat Adversarius, videamus.

Quæst. 67. *In quibus verò scripturis Christus vocatur Deus?*

Resp. *Ioh.* 1. 1. & Verbum fuit Deus, & *cap.* 20. 28. *Thomas ad Christum ait*: Dominus meus & Deus meus; & Rom. 9. 5. *Apostolus schribit, Christum esse* Deum benedictum *in secula.*

Quæst. 68. *Quid his Testimoniis effici potest?*

Resp. *Naturam divinam in Christo ex iis demonstrari non posse, præter ea quæ superius allata sunt hinc manifestum est, quòd in primo testimonio agatur de verbo, quod Iohannes testatur apud illum Deum fuisse: in secundo Thomas eum appellet Deum in cujus pedibus & manibus clavorum, & latere lanceæ vestigia depræhendit: & Paulus eum qui secundùm carnem ex Patribus erat, Deum supra omnia benedictum vocat. Quæ omnia dici de eo, qui naturâ Deus sit nullo modo posse planum est. Etenim ex eo sequeretur duos esse Deos, quorum alter apud alterum fuerit. Hæc verò, vestigia vulnerum habere, ex Patribus esse, hominis sunt prorsus, quæ ei, qui naturâ Deus sit, ascribi nimis absonum esset. Quod si illud distinctionis naturarum velum quis prætendat, jam superius illud amovimus & docuimus hanc distinctionem nullo modo posse sustineri.*

I. Quomodo ex *Ioh.* 1. *vers.* pro natura Christi divina argumentemur, vide supra ad *quæst.* 9. de persona Christi, quemadmodum enim

enim evincitur ejus æternitas, ita etiam probatur ejus divinitas. Nec obest quòd hoc *verbum* dicatur *fuisse apud Deum*, ex quo Smalcius exsculpere conatur, *duos fore Deos, quorum unus apud alterum esset.* Quo sensu Sociniani Christum doceant fuisse *apud Deum*; explicatum est supra de Persona Christi ad *quæst. 10. th. 63. & seqq.* Phrasis autem *apud Deum esse*, non *apud* physicum & locale significat, sed ὑπερphysicum, quale Deo scilicet competit; adeo, ut, cum hîc sermo dicatur fuisse apud Deum, nihil aliud significetur, quàm sermonem istum esse ejusdem cum Deo Patre essentiæ.

II. *Dominus meus & Deus meus*, quod Thomas *Ioh. 20. 28.* dixit, Divinam naturam Christi non probare ait, eò quòd *eum appellat Deum, in cujus pedibus & manibus clavorum & lancea vestigia in latere deprehendit, quod adscribere illi qui natura Deus sit, nimis absonum esset.* *Resp.* Etsi Paulus eum appellet Deum & Dominum suum, in cujus manibus pedibusque stigmata clavorum vidit, tamen non secundùm id, secundùm quod clavorum vidit stigmata, sed secundùm aliud eum Dominum & Deum suum appellavit, nempe secundùm divinam naturam; cui si adscriberentur stigmata, nimis absonum esset. Ergo cùm secundùm aliud Thomas eum vocet Dominum & Deum suum, secundùm aliud verò viderit stigmata clavorum, absoni nihil est.

III. Idem autem repono ad dictum Pauli ex *Rom. 9. 5.* Christum non quà Deum dici esse ex Patribus, sed secundùm carnem. Ergo hactenus firmum est argumentum. Distinctionem naturarum nuspiam sustulit Smalcius, etsi omni nisu adlaborarit.

Quæst. 69. *Ubi verò scriptura testatur Christum cum Patre unum esse?*

Resp. Ioh. 10. ℣s. 29, 30. *ubi Dominus ait:* Pater qui mihi oves dedit, major omnibus est, & nemo eas rapere potest è manibus Patris mei. Ego & Pater unum sumus.

Quæst. 70. *Quâ ratione respondes ad id testimonium?*

Resp. *Ex eo, quòd dicatur Christus esse cum Patre unum,*

effici

efficì non posse, esse unum cum eo naturâ, verba Christi, quæ ad Patrem de discipulis habuit, demonstrant. Ioh. 17. 11. Pater sancte serva eos in nomine tuo, ut sint unum, quemadmodum & nos unum sumus; *& Paulo inferiùs:* Ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, quemadmodum & nos unum sumus. *Quod verò Christus sit unum cum Patre, hoc aut de voluntate, aut de potentia in salutis nostræ ratione accipi debere, unde naturam divinam non probari ex eodem loco constat, ubi Christus ait Patrem omnibus esse majorem, ac proinde etiam ipso Domino, quemadmodum idem Dominus etiam expressè fatetur, & quòd eas oves dederit.*

I. Vindicationem istius loci Lector videat Cap. I. de Essentia Dei *p. 127. th. 117. ad 122.* inclusivè. Quo loco etiam videbit, quàm angusta sit Sociniana exegesis super hoc loco, quæ eum tantùm de unitate consensus Patris & Christi interpretatur. Præter illa hic notatu digna est fluctuans expositio Smalcii. Dicit enim: *Quod verò Christus sit unum cum Patre, hoc* aut *de voluntate* aut *de potentia in salutis nostræ ratione accipi debet.* Ita ut ipse sibi vix constet quem sensum approbet. Voluntatis consensus essentiæ unitatem in divinis non destruit; sed arguit & supponit. Potentia eadem in salutis nostræ ratione; Christi unitatem essentiæ cum Patre manifestè probat.

II. Quia in salutis nostræ negotiò infinita requiritur potentia ratione demeriti infiniti, quod tollendum erat, ratione boni infiniti quod conferendum erat, per munus Christi propheticum, sacerdotale, Regium; Quis enim corda hominum illuminare regenerare posset, nisi is, qui infinitæ est potentiæ? quis infinitis numero & demerito peccatis sufficiens peccati λύτρον dare, applicare, nisi cui infinita sit potentia? Quis denique Ecclesiam gubernare, regere & per universum orbem ab insultu hostium tum spiritualium tum corporalium defendere, nisi qui de infinita potentia gloriari possit? Atqui Christus is est, qui illuminat omnem hominem venientem in mun-

mundum; qui dat animam pro ovibus suis. Qui Ecclesiam suam regit, gubernat, fatentibus ipsis Socinianis priore & posteriore membro. Ergo Christus infinitæ est potentiæ, & proinde essentiæ. Quia potentia infinita non nisi in essentiam infinitam cadere potest.

III. Quòd porro Catecheseos autor ex eo divinitatem Christi negat, quòd Christus eodem loco dicat: *Patrem omnibus majorem esse, ac proinde etiam ipso Domino*, scilicet Christo, futile est. Quia id dicitur tum ratione humanæ naturæ, tum ratione numeris mediatorii, ad quod se ipse Christus voluntariè exinanivit non, exutâ Deitate, sed eâ ad tempus occultatâ, & non exsertâ; ratione cujus spontaneæ exinanitionis in munere mediatorio Pater major dicitur Christo, non absolutè ratione essentiæ, quæ ex eo evicta est. *Ego & Pater unum sumus.*

IV. Neque ex eo quicquam efficitur quòd *Pater eas oves dederit Filio.* Argumentum tale erit. Qui aliquid dat alteri, ille major est eo qui accipit. Subsumo. Nos aliquid damus Deo, subditi aliquid dant Magistratui; *date Deo qua Dei sunt, Cæsari qua sunt cæsaris.* Ergo nos Deo majores; ergo subditi Magistratu majores. Dices aliud est dare ex *officio*, quale est dare nostrum ratione Dei, & subditorum ratione Magistratus, ex quo dantis majoritas inferri non potest, præ eo qui accipit; aliud verò dare *ex libertate*: ex hoc accipientis minoritas apparet. Nego; potest enim dare æqualis æquali, non ex *indigentia*, sed ex mutuo *amore*.

Quæst. 71. *At Deo æqualem ubi eum scriptura vocat?*

Resp. *Ioh.* 5.18. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi tollere, quòd non solùm Sabbathum solveret; verùm etiam Patrem suum Deum diceret, æqualem se ipsum faciens Deo: & *Phil.* 2.6. Qui (*Christus*) cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo.

Quæst. 72. *Quî porrò ad ea loca respondes?*

Resp. *Quòd Christus sit æqualis Deo, id divinam naturam*

in eo nullo modo probat, imò hinc res adversa colligitur. Nam si Christus Deo, qui naturâ Deus est æqualis, efficitur, quòd is idem Deus esse non possit. Æqualitas verò Christi cum Deo in eo est, quòd eâ virtute, quam in eum contulit Deus ea omnia effecerit & efficiat, quæ ipsius Dei sunt, tanquam Deus ipse.

I. Argumentum ex locis istis tale est pro divina Christi natura. Qui est Deo æqualis, scilicet per omnia, est verus Deus. Christus est per omnia Deo æqualis. Ergo. Major certa est. 2. *Sam*. 7. 12. *Magnus existis Jehova: nec est par tibi*. Psal. 113. 5. *Quis par Jehova Deo nostro, qui altissimè habitat?* Mich. 7. 18. *Quis est Deus fortis par tibi?* Minorem ex locis à Catechete allegatis probamus. Negat ille majorem, quæ scripturæ est, & à pari sic probatur: Qui per omnia homini est æqualis, est etiam homo. Fæmina est per omnia homini æqualis. Ergo est etiam homo.

II. Imò sic negat Adversarius Majorem, ut contrarium ex illa æqualitate probet, hoc modo: Qui Deo æqualis est, is non est is idem Deus.. Atqui Christus est æqualis Deo. Ergo non est is idem Deus, Sed ad Majorem *Resp*. Qui Deo est æqualis is non est idem Deus. scilicet personâ, quòd verùm est; id tamen non obstat, quo minus sit idem Deus essentiâ. Quemadmodum enim fæmina quæ homini est æqualis, etsi non sit eadem cum homine cui æqualis dicitur, personâ; est tamen eadem quoad essentiam scilicet specificam, etsi non numericam. Ergo hîc etiam, etsi filius quoad personam non sit idem Deus quoad personam; quia filius non est Pater; est tamen idem cum eo essentia numerica.

III. Explicationes Socinianæ horum locorum; quòd scilicet æqualitas Christi cum Deo in eo sit, *quòd eâ virtute quam in eum contulit Deus ea omnia effecerit & efficiat quæ ipsius Dei sunt tanquam Deus ipse*. hæc absurda implicant. 1. Quòd si is, cui Deus divinam confert virtutem aliquam, sit æqualis Deo, tum hâc ratione & Apostoli fuissent Deo æquales; quia illis magna vis miracula efficiendi concessa à Deo. 2. Quod virtutem suam omnem hoc est potentiam suam in aliquem conferre possit, qui Deus non sit. Potentia enim Dei Deus est, & ita solius Dei attributum, ut non nisi æquali naturâ conferri queat: aut sequetur Deum ex non Deo facere posse Deum, ex infirmo omni

nipotentem, ex finito infinitum. 4. Quòd aliquis omnia ea opera quæ ipsius Dei sunt efficere possit, qui Deus non est. Opera paria arguunt eandem causam & principium. Quorùm eadem natura, eorum etiam eadem est operatio: & quorum operatio diversa est, eorum quoque diversa est essentia, inquit Damascenus. *ὧν ἡ φύσις ἡ αὐτὴ τούτων καὶ ἡ ἐνέργεια ἡ αὐτή. καὶ ὧν ἡ ἐνέργεια μία τούτων καὶ ἡ οὐσία μία.* Ergo inverto argumentum. Qui ea omnia efficit quæ ipsius Dei sunt tanquam Deus ipse, is est verus Deus, Patri coessentialis. Atqui Christus, fatente Smalcio &c. Ergo.

Quæst. 73. *Filium autem Dei* viventis, *Filium Dei* proprium & uuigenitum *esse Christum ubi habetur?*

Resp. *De hoc Math. 6. 16. legimus ubi Petrus ait.* Tu es Christus Filius Dei *viventis. & Rom. 8. 32. ubi Apostolus ait:* Qui (*Deus*) *propriò* filio non pepercit, verùm eum propter nos tradidit *&c. & Ioh.* 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum *unigenitum* daret, *& paulo inferiùs vers.* 18. Et qui non credit jam judicatus est, quód non crediderit in nomen *unigeniti Filii Dei.*

Quæst 74. *Quomodo verò ad hæc loca respondetur?*

Resp. *Ex iis omnibus attributis Christi nullo modo probari posse naturam ejus divinam. Nam quòd ad primum attinet notissimum est Petrum fateri, quod filius hominis sit Christus & filius Dei viventis, quem constat divinam naturam, qualem illi comminiscuntur, non habuisse: Præterea testatur scriptura de aliis hominibus, quòd sint filii Dei viventis, ut ex Osea* Rom. 9. 26. Et erit loco ejus, ubi eis dictum est. Non populus meus estis vos, illic vocabuntur filii Dei viventis. *Quod verò secundum & tertium locum attinet, in his legi-*

mus proprium & unigenitum Dei filium in mortem traditum, quod de eo, qui natura Deus sit, dici non potest. Imò verò ex eo, quòd Christus filius Dei sit, apparet Deum illum non esse, alioquin sibi ipsi filius esset. Causa verò cur Christo competant ista attributa, hæc est, quòd inter omnes Dei filios & præcipuus sit & charissimus: quemadmodum Isaac, quia Abrahamo charissimus & hæres extitit, unigenitus *vocatus est, licet fratrem Ismaelem habuerit: & Salomon unigenitus coram matre sua licet plures ex eadem matre fratres fuerint.*

I. Locis quæstione primâ allegatis probatur in Christo præter humanam divina quoque natura, & primò quidem ex verbis Petri: *Tu es Christus filius Dei viventis.* Profitetur scilicet Petrus his verbis, quid de Christo credat, tam quoad officium, quàm quoad naturam. Quoad officium quidem, quòd sit Christus, hoc est, unctus in Prophetam Sacerdotem & Regem. Quoad naturam quòd sit. *Filius Dei viventis*, quibus verbis non tantùm profitetur eum filium hominis, seu hominem, qualem videbat, sed & filium Dei veri naturalem.

II. Filium autem non *adoptione*, sed *natura* intelligit. Nam adoptione filium appellando nihil supra Baptistam, Jeremiam, Eliam ei tribueret, quos etiam filios Dei viventis adoptione esse constabat. Ad fidem quoque filii adoptivi non fuisset peculiari revelatione opus; de qua tamen Christus: *Caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis* ꝟ. 17. Quia scilicet *nemo novit quis sit filius, nisi Pater. Luc. 10. 22.* de quo ipsemet testatus est: *hic est filius meus* dilectus &c. *Math 3. 14.* Adeo ut Petrus istâ confessione majus quid, quàm vel naturam humanam, vel adoptionis excellentiam in Christo indigitarit. Ad *Rom. 9. 26.* ex *Osea 2. 23.* agi de filiis Dei viventis, qui adoptionis sunt, certum est. Si quid allegatione istius enstaseos effectum vellet Adversarius, probare debuisset, etiam de istis filiis Dei viventis, tam insignia, præter istam nomenclationem, Dei fuisse effata, qualia de Christo probata fuere aliquoties. *Filius meus es tu hodiè genui te.*

III. Ex eo quoque probatur divina Christi natura, quòd dicatur *proprius Filius* Dei *Rom. 8. 32.* Nemo

Nemo enim nescit, filios, qui naturaliter ex parentibus generantur proprios eorundem dici; eos verò qui ex ipsis naturaliter geniti non sunt, non proprios, sed alienos appellari, ita ut proprii & alieni filii non nisi secundùm naturam dicantur. Cum igitur scriptura Christum non qualemcuncquè filium Dei asserat, sed proprium, manifestè vult esse naturalem, ex essentia Patris genitum, & proinde Deum.

IV. Solennè est Adversariis excipere contra hoc argumentum: Vocem *proprii* non habere in scriptura aliam vim significandi, quàm aliquid quod est omnino suum, quale nullus alius habeat. 1. *Cor.* 15. 38. *Et unicuique seminum dedit* próprium *corpus*. *Resp.* Triplicem esse significationem *proprii*, eamque vulgatam apud omnes 1. *Proprium* accipitur pro eo, cui opponitur *commune*, ita dicitur propria domus, non tantùm quæ aliena non est, sed quæ alteri cum altero communis non est. 2. *Proprium* opponitur *alieno* quale est illud 1. *Cor.* 6. 18. *Qui scortatur* in proprium *corpus peccat*. 3. Opponitur *metaphorico*. Ita Aaron Melchisedech proprii fuerunt sacerdotes. At fideles tales sunt *metaphoricè* *Apoc.* 1. & 5.

V. Si quæras: quomodo vox proprii accipitur cum de Christo dicitur, quòd sit *proprius Dei filius*? *Resp.* prout opponitur metaphorico, ut liquet à subjecta materia. Nam Christus dicitur filius Dei proprius, prout opponitur adoptivis. At adoptivi sunt metaphoricè filii ut in vulgus notum. Argumentum ergo firmum est. Qui est proprius, id est naturalis Dei filius ex essentia Patris genitus, is est Deus. Atqui Christus &c. Ergo.

VI. Quòd dicit Adversarius, naturam divinam hinc non inferri posse, *eò quòd is proprius dicatur in mortem traditus, quod de eò qui natura Deus est, dici non potest*. Nihil est. Quia filius Dei in mortem traditus dicitur, non secundùm id, secundùm quod est filius Dei, sed secundùm quod est filius hominis, id est verus homo. Natura enim divina impatibilis est. Sed quia humana in unionem divinæ assumpta est, rectè de tota persona prædicatur, quod secundùm alterutram personæ naturam verificatur, quo sensu & illud *Act.* 20. 28. dicitur *Deus redemit Ecclesiam proprio sanguine*.

VII. Nec illud alicujus est momenti, quod addit: *Imò verò ex eo quòd Christus filius Dei sit, apparet Deum illum non esse, alioquin sibi ipse filius esset*. Quia, cum Christus dicitur filius Dei, vox Dei non essentialiter sumitur, sed hypostaticè; adeoque non dicitur filius essentiæ Dei, sed dicitur filius personæ Patris. Quod si Christus diceres

ceretur Filius essentiæ Dei, ipse autem est essentiâ Deus, sequeretur quod infert adversarius. At verò observato eo, quòd Christus dicatur filius hypostaseos Patris, neqtaquam procedit, quod infertur.

VIII. Accedit robori argumenti nostri, quòd Christus non tantùm dicatur *proprius Dei Filius*, sed quòd etiam Patrem vocet *proprium suum Patrem πατέρα ἴδιον. Joh. 5. 18.* Quam obcausam lapidibus à Judæis tantum non est obrutus; quòd si Christus eâ nomenclatione non nisi adoptivam suam filiationem indigitasset, non habuissent Judæi, quo tantopere offenderentur, & ex quo illi objectassent paritatis affectationem cum Deo.

IX. Hîc regerere solent Adversarii. *Proprium dici Christum, quia sit peculiaris*, quòd scilicet omnes alios superet. At falluntur. Nullus enim alia de causa dicitur esse proprius alicujus filius, nisi qui ex ipsius substantia & sanguine est genitus, ita, ut si ex ejus substantia non sit genitus, dici non possit ejus proprius filius. 2. Confundunt proprium & peculiarem filium, cum ista duo distincta sint. Potest quis esse proprius filius, qui nihil peculiare præ aliis habeat ut si unus Pater plures habeat filios naturales, singuli erunt proprii filii, quia de substantia Patris geniti; neque tamen aliquid peculiare præ aliis. Similiter potest quis peculiari ratione alicujus filius dici, qui tamen non erit proprius filius. Etenim filius adoptivus, quantamcunque excellentiam peculiarem præ aliis habeat, nunquam ea peculiaris excellentia efficiet eum proprium filium.

X. Argumentamur & ex eo pro divina Christi natura, quòd Christus dicatur *filius Dei unigenitus*. Quo nomine Christum insigniri dicimus, quia solus ex essentia Patris genitus est; illi quippe soli dictum: *Filius meus es tu, hodiè genui te Heb. 1.* Unigenitus non potest dici propter adoptionem; hâc enim ratione unigenitus non esset, quia plures sunt adoptivi. Ergo unigenitus, quia naturalis Dei filius, ac proinde ejusdem essentiæ cum Patre Deus.

XI. Hic varia quærunt Adversarii effugia. Quibusdam solenne est dicere: Non dici eum *primogenitum* simpliciter, sed *quasi* primogenitum *Joh. 1. 14.* Ad quod dicimus particulam quasi hic non *assimilativam* sed *expressivam* veri esse, eò quòd aliis locis dicatur absolutè unigenitus.

XII. Alii dicunt. Dici Christum *unigenitum, pro illo tempore* quo nullus adhuc esset filius Dei scilicet adoptionis. Sed hic falsum sup-

supponitur hoc, nimirum adoptionem filiorum Dei demum factam post Christum in carnem exhibitum. Quis Patres Vet. Test. neget esse filios adoptionis fuisse?

XIII. Alii ineptiores censent Christum dici unigenitum *propter excellentiam donorum* in ipsum collatorum. At verò ex eo non *unigenitus* esset dicendus filius, sed *magis filius*, præ iis in quos tanta dona non fuissent collata.

XIV. Quartam denique rationem nomenclationis urgent, quam & Catechetes premit, *quia inter omnes Dei filios, præcipuus sit & Deo charissimus: quemadmodum Isaac quia Abrahamo charissimus & hæres extitit unigenitus, vocatus est, licet fratrem Ismaelem habuerit: & Salomon unigenitus coram matre sua, licet plures ex eadem matre fratres fuerint.* Sed & hæc ratio nullius est ponderis. Quia quod Isaacum attinet, is non dictus unigenitus quia charissimus, sed quòd revera unigenitus ex Sara esset, unde etiam hic unicus hæres fuit ejecto Ismaele *Gal. 4. 34.* Locus verò ex *Prov. 4. 3.* impertinenter allegatur, quia in textu originali non est *unigenitus* sed *unicus* וְיָחִיד לִפְנֵי אִמִּי *Unicus* coram facie matris meæ.

Quæst. 74. *Quæ scriptura eum vocat primogenitum omnis creaturæ?*

Resp. *Colossenses* 1. 15.

Quæst. 75. *Quid ad eam respondes?*

Resp. *Neque hinc naturam divinam Christum habere exsculpi posse. Etenim cum Christus primogenitus omnis creaturæ sit, eum unum è numero creaturarum esse opportere necesse est. Ea enim in scripturis vis est primogeniti, ut primogenitum unum ex eorum genere quorum primogenitus est, esse necesse sit. Ut verò unus è rebus conditis creationis veteris existat Dominus Iesus, nec Adversarii quidem concedent, nisi Ariani esse velint. Unum igitur esse è novæ creationis genere Dominum Iesum concedant oportet. Unde non solùm divina Christi natura effici non potest; verùm etiam*

tiam quòd nullam naturam divinam Christus habeat, firmiter conficitur. Quod verò eo nomine vocatur ab Apostolo Iesus, eò fit, quòd tempore & præstantià res omnes novæ creationis longè antecedat.

I. Producitur à multis ad probandam divinam Christi naturam locus *Col. 1. 15.* quod Christus dicatur *primogenitus omnis creaturæ*, id est, genitus ante omnes creaturas, & sic ab æterno. Quia ante omnes creaturas nihil aliud fuit quàm mera æternitas. Hinc phrasi scripturæ, per esse ante creaturas, ante mundùm, antequam montes, antequam colles, antequam quicquam esset, æternitas notatur.

II. Contra hoc argumentum *Excipiunt* Sociniani. *Cum Christus primogenitus omnis creaturæ sit, eum unum è numero creaturarum esse oportere necesse est. Ea enim in scripturis vis est primogeniti, ut primogenitum unum ex eorum genere quorum primogenitus est, esse necesse sit.* Sed, *Primogenitus* est vel *propriè* vel *metaphoricè* talis. De eo qui propriè est primogenitus, & in familia primus natus est, is meritò censetur esse ex ordine eorum, qui post eum nati sunt. Atqui sic Christus primogenitus non est. Nec id probatur ex *Col. 1. 18.* ubi dicitur *primogenitus ex mortuis*. Alia quippe est locutio, hoc versu, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν; versu 15. dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως; illic *primogenitus ex mortuis*, hîc *primogenitus omnis creaturæ*. Fuit ergo Christus primogenitus ex mortuis, ita ut fuerit ex ordine mortuorum, sed non primogenitus ex ordine creaturarum. Fuit *primogenitus ex mortuis*, non quòd primus resurrexerit, sed quòd primus suâ propriâ vi resurrexerit ex mortuis. *Primogenitus omnis creaturæ*, quòd sit ante omnes creaturas, id est ab æterno.

III. Nam quando primogenitus construitur cum Genitivo, tum insinuatur vel *causa procreans* (ut primogenitus Israëlis *Gen. 25. 13.* id est ab Israële genitus) *vel prioritas & antecessio geniti*. At verò hîc causa procreans non indicatur; quia Christus non est genitus ab omni creatura. Ergo indicatur Christi prioritas, quòd nempe prius fuerit, quàm ulla creatura extitit, scilicet ab æterno.

IV. Deinde fallit illa consequentia Christus est primogenitus creaturæ; Ergo ex ordine creaturarum est. Deus *Dan. 2. 47.* *Deus Deorum* dicitur. Ergo ex ordine eorum Deorum est, quorum Deus dicitur? Nihil minus. Item: Deus est ens entium, scilicet dependentium. Ergo

Ergone ille ipse ex numero entium dependentium erit? Absurdissimè.

V. Dico quod res est. Christum hoc loco dici primogenitum impropriè, ad modum nimirum primogenitorum inter Judæos, qui possessores erant & hæredes ac Domini domus familiæ, adeo ut hic per istam primogenituram Christi indicetur, jus, potestas, Dominium, quod habet in omnes creaturas, ita ut eas possideat hæreditaris jure, & inverti queat argumentum. Qui est ita primogenitus ut sit hæres, Dominus omnis creaturæ, is non est in ordine creaturarum collocandus. Atqui Christus ita est primogenitus. Ergo.

VI. Primogenitum autem Dominum dicere liquet ex *Psal. 89. 28.* ubi de Davide vel Salomone ut typo Christi dicitur: *Primogenitum constituam eum supra reges terra excelsum:* & intellectum hunc esse hujus vocis liquet ex *Colloss. 1.* versu 18. *ut ipse inter omnes primas teneat.* Ideoque etiam mox *vers. 16.* addit rationem cur eum *primogenitum omnis creatura*, id est principem ac Dominum dixerit, quia scilicet omnia condidit. Ergo falsum est, Christum dici primogenitum, vel quòd in ordine veteris creaturæ vel novæ reputandus. Præfertur enim secundùm genuinam loci interpretationem omni creturæ, & dicitur primogenitus, quia Dominus. Ergo non procedit dilemma, Christus aut est vetus, aus nova creatura; quia datur tertium, nec hoc nec illud, sed Dominus & hæres omnis creaturæ. Ergo rectè ex hoc medio termino primogeniture talis, divina Christi natura evincitur.

VII. Dicunt agi hoc loco de nova creatione, adeoque Christum esse primogenitum novæ creaturæ. Quid autem hoc sibi vult? Vel hoc, quòd ille se habeat tanquam genitus primus ex nova creatura. At hoc absurdum est. Quia ut Christus nunquam fuit vetus homo, ita nunquam fieri novus per regenerationem potuit. Deinde novam creaturam fecisse Christum novam creaturam insolens est modus loquendi. Vel hoc, quòd post incarnatum Christum demum facta nova creatura, adeo ut ante eum incarnatum nulla fuerit. Quod ut absurdum & impossibile, jam aliquoties refutatum. Vel hoc, quòd Christus sit autor novæ creaturæ. At verò ego ex eo ipso probo divinam Christi naturam, tanquam ex opere soli Deo competente.

VIII. Præterea de nova creatione id est de regeneratione locum agere falsum est. 1. Quia

omnia dicuntur hoc loco per Christum condita. At nuspiam invenimus omnia simpliciter adjici creaturæ, ubi de nova creatione agitur. 2. Quia hoc loco dicuntur condita omnia visibilia. Atqui non omnia visibilia invisibilia regenerantur. 3. Quia per eum hoc loco dicuntur conditi Angeli. At verò Angeli, quia vetustate peccabili maculati non fuerunt, non possunt dici nova creatura facti.

IX. Fingunt equidem Sociniani eos posse dici factos novas creaturas, quatenus Christus homo est eorum Dominus & moderator factus. Sed an hinc non sequatur, etiam oves boves, pisces aves, esse novas creaturas factas per Christum, quia Christus est earum ut & reliquarum omnium creaturarum Dominus factus *Psalmo 8.* Imò verò annon ipsi Diaboli hâc ratione possint dici per Christum nova creatura facti, quoniam Christus factus est eorum Dominus *Phil. 2. 9.* Lector æquùs judicet.

X. Adeoque his ut veris suppositis, ratio ista quam Catechetes reddit nomenclationis primogenituræ Christi, quòd scilicet talis dicatur, quòd tempore & præstantia res omnes novæ creationis longè antecedat tantùm abest ut veritatem attingat, ut falsissima sit. Imò verò si omnem novam creaturam tempore antecedit, nova autem creatura non demum post ejus incarnationem cepit, sed fuit ante Christum incarnatum, quia fuit Ecclesia non sterilis, sed fæcunda, habens cor circumcisum, &c. Christum etiam ante incarnationem suam fuisse necesse est. At non fuit secundùm humanam naturam; fuisset enim sic homo antequam homo fuit natus in plenitudine temporis. Ergo secundùm divinam naturam.

Quæst. 76. *Ubi verò scriptura eum omnia quæ Pater habet habere asserit?*

Resp. Ioh. 16. 15. *Christus ait:* Omnia quæ Pater habet mea sunt *& infra cap. 17. vs. 10.* Mea omnia tua sunt & tua mea.

Quæst. 77. *Quid tu ad hæc?*

Resp. *Vox* omnia *ad subjectam materiam ut supra aliquoties demonstravimus, ferè semper refertur. Quare ex ejusmodi*

modi locis non potest ullo modo quod volunt effici. Materia verò subjecta capite 16. est id, nimirum, quòd Spiritus S. Apostolis ad Christi regnum spectans revelaturus erat: & 17. capite constat apertissimè agi de discipulis ipsius Iesu, quos ipsi Deus dederat, unde eos etiam suos vocat. Præterea, cùm quicquid Christus habeat, habeat Patris dono, non autem à se ipso, hinc apparet, ipsum divinam istam naturam habere nullo modo posse. Cum naturâ Deus omnia à se ipso habeat.

I. Citiùs Herculi clavam extorserit Catechetes quam nobis verba ista Christi *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt. Joh. 16. 15. & cap. 17. 10.* de æterna Deitate Christi agentia. Militat pro sententia nostra verborum Christi cum proximè antecedentibus connexio. Quibus asseritur Spiritus sancti a Filio processio: *Quia de meo accipiet.* Variis equidem modis illud λήψεται ἐκ τοῦ ἐμοῦ exponitur, quæ tamen expositiones non opponendæ sunt, sed sibi invicem subordinandæ. Alii hæc verba intelligunt, ut Spiritum S. intueantur tanquam legatum ac si Christus diceret: Quia legationem suam à me habebit, itaque ad meum utpote legantis gloriam omnia referet. Adeo ut quemadmodum Filius in hunc mundum à Patre missus dicit, *se glorificasse Patrem super terram* Joh. 17. 4. quia *non quæsivit suam gloriam* Joh. 8. 50. Sed omnia ad gloriam Patris, à quo missus erat retulit; sic cum de Spiritu S. dicitur, *de meo accipiet, & annunciabit* sensus est, quòd Spiritus S. in Christi nomine & quasi mandatis ab eo acceptis tanquam legatus sit mittendus.

II. Alii dicunt, his verbis, *de meo accipiet*, Christum insinuare, Spiritum sanctum non novam doctrinam, multominùs illi quam Apostoli ab ipso Christo audiverant contrariam, sit allaturus, sed eandem ipsam, ipsis sit suggesturus, eosque in ea magis magisque informaturus & confirmaturus. Quæ quidem explicatio facilè ex priore deducitur. Quia enim Spiritus S. legatus Christi esse debuit, non aliam præterquam ipsius Christi doctrinam docturus erat.

III. Alii sic interpretantur, *de meo accipiet*, id est, mea beneficia & merita per verbum hominibus offeret, thesauris à me acquisi-

quisitis eos ditabit & quod caro pretio acquisivi, illud velut cælestis promuscondus per verbum & sacramenta in regno gratiæ distribuet.

IV. Primariò tamen ac præcipuè verba de æterna processione Spiritus S. à Filio Dei accipienda sunt, ut patet tum ex addita rationis confirmatione, *Omnia quæcunque Pater habet, mea sunt, propterea dixi, quòd de meo accipiet, & annunciabit vobis*, id est, quia Spiritus S. à Patre procedit, & verò omnia quæ Pater habet etiam mea sunt, ideo etiam à me ab æterno procedit; tum ex rei ipsius & phraseos consideratione. Persona enim divina nihil accipit nisi ab eo, aquo est. (sive per generationem ut Filius, sive per processionem, ut Spiritus S.) Spiritus S. à Filio accipit. Ergo à Filio procedit.

V. Quando ergo Christus dicit, Spiritus S. *de meo accipiet*, sensus est, de mea scientia, quæ mihi essentia est, per æternam processionem novit quicquid novit, essentiam, & sapientiam à me procedendo habet. Ut non loquitur à se ipso, sed quæcunque à me audit, loquitur, ita quoque *de meo accipiet*, hoc est, *de me suum* esse habet. Pronomen enim *meum* hîc non accipitur *possessivè* quomodo dicimus, *hæc domus mea est*, *hic ager meus est*. Sed *essentialiter*, quomodo dicimus *hæc natura mea est*, *hæc anima mea est*.

VI. Cui expositioni non obest: 1. Quòd Christus loquatur in futuro *accipiet*, cum tamen processio Spiritus S. statuatur ab æterno; quia, cum æternitas quasi coextendatur omni tempori, ideo de ea verbis præteriti præsentis & futuri temporis indifferenter loquitur scriptura. Sic ergo Christus de Spiritu S. per modum futuri dicit *accipiet*, cum tamen ab æterno à Filio acceperit, quicquid est & habet, sicut paulò ante in futuro dixerat *quæcunque audierit*; quia cum processio sit æterna, per verba omnium temporum designatur.

VII. Nec obstat 2. quòd Christus non dicat *de me*, sed *de meo*. Quia diximus paulo ante pronomen *meum* hîc non *possessivè*, sed *essentialiter* accipi. Nec illud quod tertio loco obtenditur, alicujus est momenti, *nullam scilicet fore textus cum præcedentibus cohærentiam*. Dico enim optimam esse. *Spiritus S. me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. id est, quia scientiam illam divinam, quâ futura vobis annunciabit Spiritus S. per æternam processionem à me accipit, ideo per hanc ipsam futurorum annunciationem, scientiâ divinâ à me acceptâ

ceptâ factam me glorificabit.

VIII. Dixerat ergo Christus de Spiritu S. *ille me glorificabit*, subdit rationem hujus, *quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Ut hæc ratio sit illustrior, confirmationem subnectit: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quòd de meo accipiet & annunciabit vobis.* Connexio igitur talis est. 1. Versabatur Christus in statu exinanitionis, in *forma servi Phil. 2. 7.* ne cui ergo de verbis illis magnificis *Spiritus sanctus de meo accipiet, & annunciabit vobis*, dubitatio suboriretur, largum scilicet Christum fuisse nimis in promissis, ideo confirmationis loco addit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt, propterea dixi, quòd de meo accipiet.*

IX. Ut argumentum Christi tale sit: Omnia quæcunque habet Pater mea sunt. Iam verò Pater habet, ut ab illis, quæ ipsius sunt accipiat Spiritus sanctus, hoc est, ut Spiritus S. ab ipso æternâ processione essentiam suam accipiat. Ergo etiam ego hoc habeo, ut Spiritus S. *de meo accipiat*, hoc est, ut Spiritus S. à me æternâ processione essentiam suam accipiat. Cum in Patre & in me sit una essentia, una voluntas, una virtus, ideo quemadmodum Spiritus S. procedit à Patre, ita quoque à me procedit, quoniam id, per quod Patri competit spirare, est in me, videlicet una numero divina essentia.

X. 2. Docuerat Christus, se *non posse quicquam facere à se ipso* Joh 5. 19. *non loqui à semet ipso Joh. 14. 10.* Ne ergo huic doctrinæ contrarium videretur, quod de Spiritu S. dicit, *de meo accipiet*, ideo declarat, quo sensu hoc sit accipiendum, subjiciens: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*: id est, sicut à Patre per æternam generationem habeo divinam essentiam, ita quoque à Patre hoc habeo, ut de meo accipiat, sive á me procedat Spiritus S.

XI. 3. Exposuerat Christus hactenus, quæ beneficia tum à se Filio, tum à Spiritu sancto in negotio salutis ad nos homines proficiscantur. Ne ergo ab opere salutis Pater videretur exclusus, ideo addit, *omnia quæ Pater habet, mea sunt*, id est, quicquid in negotio salutis à me & Spiritu S. peragitur, illud voluntate & εὐδοκίᾳ Patris cælestis agitur. Quia una inter me & Patrem & Spiritum sanctum essentia & quia essentia una, una etiam voluntas & doctrina. Atque sic ex connexione & textus serie apparet, Christum his verbis, *omnia quæcunque Pater habet, mea sunt ὁμοούσιαν* suam & Patris voluisse assertam.

XII. Liquet id ipsum ex diligenti singulorum verborum inspe-

ctione. Nam primò Christus non dicit *indefinitè*, quæ Pater habet nec *particulariter*, quædam quæ Pater habet, sed *universaliter* omnia quæcunque Pater habet. Super quæ verba Augustinus olim serm. 60. de temp. & nos ex eo: *Dum dicit omnia, nihil hic reliquit, quod minus haberet à Patre, omnia id est, unius Deitatis potentiam, substantiam, majestatem. Quis eum minorem dicere non extremiscat, qui se Patri generaliter & per omnia veridicus testis exæquat?*

XIII. Deinde Christus non dicit: Quæ *habet Deus*, sed *quæcunque habet Pater, mea sunt*; quasi dicat: quia ipse Pater, ego Filius ab æterno ex ipsius essentia genitus, inde atque ideo, quæ Pater habet, mea sunt, videlicet per & propter æternam ex ipso generationem.

XIV. Denique Christus non dicit, *quæ habet Pater*, erunt *mea*, sed *mea sunt*. Nondum cœlos ascenderat, nondum ad dextram Dei consederat, & tamen dicit, *omnia quæ Pater habet, mea sunt*. Ergo propriè loquitur de divina sua natura, juxta quam essentialiter & invariabiliter omnia habet quæ Pater habet.

XV. Hunc esse quem diximus verborum istorum sensum, *Omnia quæ Pater habet, mea sunt*, evincunt etiam parallela loca. Quod enim hic dicitur *omnia quæ Pater habet, mea sunt*, illud alibi sic exponitur. *sicut Pater habet vitam in se ipso; ita Filio dedit habere vitam in se ipso Joh. 5. 26.* Vita autem Patris nihil aliud est quàm essentia Patris. Pater non vivit aliquo suæ essentiæ superaddito, sed per se ipsum per suam essentiam, cum sit essentialiter ipsa vita. Ergo Pater dando Filio vitam, Filio dedit essentiam. Confer etiam, *Joh. 10. 30. & 14. 9.*

XVI. Eodem modo *Joh. 17. 10.* Christus dicit, *mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Illud vers. 5. sic exponitur: *glorifica me Pater apud te ipsum claritate quam habui apud te, priusquam mundus esset.* Ergo ea quæ sunt Patris, eo modo sunt Filii, ut Filius apud Patrem habuerit claritatem priusquam mundus esset, hoc est, ut gloriam & majestatem divinam ab æterno habuerit, videlicet per æternam generationem sibi à Patre communicatam. Venerandæ antiquitatis hanc quoque fuisse mentem super hunc locum, invenies apud Commentatores.

XVII. Quid ad hæc reponat Catechetes, attendamus. Primò in genere ait: *Vox* omnia *adsubjectam materiam referri debet.* Sic est. At verò inquit materia subjecta *cap. 16. 15.* est id, *quod Spiritus S. Apostolis, ad regnum Christi spectā ns*

erat revelaturus. Tantum! nego. ex probatis contrarium liquet. Universalitatis nota ostendit, non posse nec debere in essentialibus limitationem concedi. Qui enim dicit omnia, ille nihil excludit. Si filius non est naturâ verus Deus, ut volunt Adversarii, utique Pater infinita habebit, quæ non habet Filius. Quâ ergo veritatis specie Filius dicere potuisset *omnia quæcunque habet Pater mea sunt?* Contra potius sic inferendum: Patris est æterna Deitas, infinita potentia, divina majestas. Ergo hæc omnia etiam habet Filius; quia omnia quæcunque habet Pater, ea etiam sunt Filii.

XVIII. *Capite* inquit 17. 10. *constat apertissimè agi de discipulis ipsius Iesu, quos ipsi Deus dederat, unde eos etiam suos vocat.* Sed, si vox πάντα *omnia* tantùm de Apostolis accipi debet, tum ἀδολεσχία in verbis Christi admittenda erit. Scopus Christi est demonstrare, quòd Apostoli sint sui proprii. Probat illud ex eo, quia sunt Patris; argumentum ergo illius sic habet: Qui sunt Patris proprii illi etiam sunt mei proprii. Sed Apostoli sunt Patris proprii. Ergo & mei. Majorem confirmat ex sua & Patris ὁμοουσίᾳ. *Omnia mea sunt Patris, & omnia Patris sunt mea.* Finge vocabulum πάντα de solis Apostolis agere, sequetur, Christum idem probare per idem, hoc sensu: Apostoli sunt mei, quia sunt mei. Absurdum! Rectè Theophilactus in hunc locum. *Si Filius Patre minor esset, quomodo ausus fuisset dicere, omnia tua mea sunt? Nam Dominus quidem omnia habet quæ sunt servi, servus autem non omnia, quæ sunt Domini.*

XIX. Addit denique: *Præterea, cum quicquid Christus habeat, habeat Patris dono, non autem à seipso &c.* Christus quicquid habet ratione humanæ naturæ dono habet, quippe de illa Apostolus usurpat istam vocem ἐχαρίσατο, *Phil.* 2. 9. Sed juxta divinam naturam, eum ea quæ Patris sunt dono habere negamus. Contrarium probamus ex *Joh.* 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso, ita Filio dedit vitam habere in seipso.* Jam verò Pater vitam habet in se ipso essentialiter & per naturam. Ergo etiam Filius in se ipso habet vitam essentialiter & per naturam.

XX. Socinus alicubi excipit: *Omnia Christus habet, quæ sunt Patris, eo modo, quo omnia quæ maritus habet dicuntur esse uxoris.* Sensus hic non elicitus est, sed illatus textui. Quo sensu Christus dicat se habere omnia quæ Pater habet, tum hoc ipso loco, tum aliis scripturis id exposuit. Hoc loco ex eo probat Spiritum S. à se (Dei Filio) accipere omnia, (per æter-

nam

nam processionem) quia omnia, quæ Pater habet, sunt etiam Filii, id est, quia Patris & Filii una est essentia: ac proinde, ut Spiritus à Patre procedit, & per æternam processionem omnia ab ipso accipit; ita quoque à Filio procedit, & per æternam processionem omnia ab ipso accipit.

XXI. Alibi verò illud sic declarat, quòd eo modo omnia, quæ Pater habet, sint Filii, ut Pater & Filius unum sint, ut Filius sit in Patre & Pater in Filio; ut Filius omnia similiter operetur, quæ Pater operatur: quæ omnia simul sumpta, unitatem potentiæ, essentiæ, & operationis in Patre & Filio evidenter probant.

XXII. Rectissimè ergo ex his verbis colligitur Filii Dei vera Deitas. Omnia quæ habet Pater sunt Filii. Pater habet æternam Deitatem. Ergo & Filius eam habet. Concludo cum Dionys. Carth. in hunc locum. *Omnia quæ Pater habet, mea sunt, non solùm per fruitionem, ut dixerunt hæretici; sed per substantialem identitatem, continentiamque realem; id est, totam suam essentiam, potestatem, perfectionem Pater Filio communicavit, imò quicquid Patri convenit, competit Filio, solâ relatione seu proprietate notionali, in qua distinguitur, exceptâ.*

XXIII. Ex ultimis Carthusiani verbis etiam facilè respondetur ad illud contra nostram explicationem commentum: *quòd scilicet de Filio non possit dici omnia habere quæ Pater habet, cum ipsam Paternitatem non habeat.* Respondeo enim, illud πάντα accipiendum de omnibus illis, quæ Patri sunt essentialia, non autem de proprietate Patris personali, per quam à Filio & Spiritu S. distinguitur, illud patet ex his ipsis verbis, in quibus Christus se ipsum à Patre distinguit. At si personalis proprietas Patris Filio tribueretur, Filius non esset distincta à Patre persona. *Ideo bona cum cautione dictum est, quæcuncque habet Pater, ut Patrem nominans ipse pro Patre non haberetur, utpote qui non dixit, ego sum Pater, sed quæcuncque habet Pater mea sunt.* Athanas. orat. 4. cont. Arian. pag 328.

Quæst. 78. At quæ scriptura Christum *Patrem æternitatis* vocat?

Resp. *Esa. 9. 6.*

Quæst. 79. *Tu verò quid ad hæc?*

Resp.

Resp. *Ex eo naturam divinam probari non posse, cùm certam ob causam Pater æternitatis Christus sit vocatus, ex ipsis verbis ibidem paulò superius expressis, videre est. Mirum verò est, adversarios hunc locum, ubi agitur de Patre æterno, ad Filium referre, quem constat secundùm eos ipsos Patrem non esse. Pater verò æternitatis aut futuri seculi propterea dictus est Christus, quòd sit princeps & antor vitæ æternæ, quæ futura est.*

I. Ex *Esa. 9. 6.* ubi Christus dicitur *Pater æternitatis* dicit divinam naturam probari non posse. Miram in exegesi istius loci animadvertas hominum vertiginem. *Primò* ergo non agere locum de Christo sed de Patre ajunt. At agitur de tali æternitatis Patre, qui puer esse debebat, qui Filius esset. At Deus Pater nec puer dicitur, nec filius est, ergo de Patre non dicitur.

II. Filio autem nomen Patris competit, non quidem ratione Patris cælestis, ratione cujus nequaquam est Pater, sed semper Filius ab æterno genitus; sed ratione nostri, propter paternum scilicet erga nos & *affectum* & *effectum*. Unde nos etiam dicimur παιδία pueri ipsius *Heb. 2. 13.* siquidem in ipso per Euangelium regignimur. *1. Cor. 4. 15.*

III. Miram dixi hic animadverti istorum hominum vertiginem. Nam postquam negassent locum agere de Christo, sed de Deo Patre, rationem nihilominus dant, cur Christus *Pater æternitatis* vocetur. At verò si Christus Pater non vocetur, ratione istius nomenclationis non est opus. Sed cur quæso dicitur *Pater æternitatis?* aut Pater futuri sæculi? certè non vi vocis; quia vox עַד vel עד naturâ suâ non significat futurum seculum, sed seculum simpliciter, vel æternitatem, ut inductione locorum facile esset probare; quare necessitas nulla cogit, vocem genericam naturâ suâ, ad significationem speciei certæ detorquere.

IV. Sed ait: Pater æternitatis est Christus: *quòd sit autor & Princeps vitæ æternæ.* Argumentare. Qui est author vitæ æternæ, ille non habet naturam divinam. Imò verò inverto: Qui est author vitæ æternæ ille habet naturam divinam.

nam. Quia vitam æternam dare non potest, nisi is, qui Deus sit. Rom. 6. *ult. Vita æterna est donum Dei.*

V. Et sanè, cum Christus ex mente Sociniana non fuerit redemptor efficiens & meritorius sed exemplaris tantùm, unde Christo tantum jus, tanta potestas conferendi vitam æternam? Si Christus ideò potest dici author vitæ æternæ, quòd doctrinâ & exemplo suo vitam ad eam ostenderit atque patefecerit, etiam illi qui primi aditum ostenderunt ad insulas ante hac ignoratas, authores earum insularum dici poterunt. Quid autem hoc absurdius?

Quæst. 80. *At his encomiis, quod verbum Dei, imago Dei inconspicui, & character hypostaseos ejus sit, & qui videat Iesum eum videre Patrem, & in Iesu habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, quæ scripturæ Iesum insigniunt?*

Resp. *Ioh.* 1. 1. *In principio erat verbum, conjuncto eo cum quod* Apoc. 19. 13. *scribitur à Iohanne* verbum Dei. Col. 1. 15. Heb. 1. 3. Ioh. 14. 9. Col. 2. 9.

Quæst. 81. *Quid tu ad hæc?*

Resp. *Ex eo, quòd verbum Dei sit Christus, doceri divina in Christo natura non potest. Imò adversum potius colligitur. Cùm enim ipsius unius Dei verbum sit, apparet eum non esse ipsum unum Deum. Quod etiam ad singula hæc testimonia simul responderi potest. Verbum verò vel sermo Dei Iesus ideo nuncupatur, quòd omnem voluntatem Dei nobis exposuerit, ut ibidem Iohannes inferius exposuit. vers.* 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius qui in sinu Patris est, ipse nobis enarravit. *Quemadmodum etiam eodem sensu & via & veritas dicitur. Atque hoc idem dici potest de eo, quod imago Dei incon-*

inconspicui vocetur. Quòd vero character hypostaseos *ejus dictus sit hoc intelligi debet, Deum quicquid nobis promisit, jam reipsa in eo exhibuisse. Quod vero attinet ad dictum Domini Iesu:* qui me videt, videt Patrem, *neque hinc naturam divinam probari cuiquam certum esse potest, cum ea ratio videndi non possit de essentia Dei accipi, quæ invisibilis sit prorsus; verùm de cognitione eorum, quæ dixit & fecit Christus, ut ibidem* 10. *vers. Christus declarat. Nec illis denique verbis, quod* plenitudo divinitatis in eo habitat corporaliter *probatur natura divina. Primùm enim vox hæc* divinitas *designare potest voluntatem Dei, eamque orationem cùm Apostolus opponat non personis, sed Philosophiæ & legi, hinc perspicuum est eam de doctrina Domini Iesu, non de persona accipi. De hac vero voce* corporaliter, *quid ea notet, inferius sua loco audies.*

I. Quomodo divina Christi natura probetur ex *Joh. 1. 1.* ubi Christus vocatur verbum Dei, cui perallelum est. *Apoc.* 19. 13. *Vocaturque nomen ejus Sermo Dei*, supra jam dictum est aliquid *cap. 1.* de Persona Christi *pag. 187. 188.* Ea non repetimus, ibi videantur. Cum Christus dicitur λόγος verbum, non *accidentale* quale vel ore profertur vel verò scribitur intelligimus, sed *essentiale:* Dicitur autem Christus λόγος θεοῦ. 1. Quia est character existentiæ Patris. Ut enim λόγος ἐνδιάθετος, quo intelligens se sibi perfectè representat, intelligentis perfectissima est imago; ita Filius est Patri λόγος & εἰκὼν καὶ δόξα τοῦ πατρός. 2. Quia ut in sermone oritur cogitatio & voluntas hominis, quatenus ille à cogitatione & voluntate loquentis procedit, ita in Filio cognoscitur quænam sit naturalis sanctitas, quæ item misericors Dei Patris voluntas. Ille enim solus dignus est θεὸν ἐξηγεῖσθαι, quia in sinu ipsius est, & videt Patrem *Joh. 1. 18.* 3. Quia de eo loquutus est Deus omni suo sermone

Psalm. 40. v. 8. In volumine libri scriptum est de me; & objectum est sermonis Euangelici. Docetur ergo ex eo divina Christi natura, & adversum ex isthac nomenclatura non sequitur. Istud enim verbum ita dicitur esse ipsius unius Dei verbum, ut idem verbum absolutè dicatur Deus: & cùm Deus non nisi unus sit, sequitur, quòd hoc verbum sit idem cum Patre Deus. Ergo, verbum accidentale si Christus esset, unum cum Patre non esset. At cum essentiale sit, idem omnino est cum Patre Deus.

II. Rationem autem cur Christus dicatur *verbum* vel *sermo Dei* Catechetes hanc dat. *Quòd omnem voluntatem Dei nobis exposuerit*. Quæ ratio nomenclationis ab ipso Slichtingio explosa. *Non sufficit*, inquit ille *ad tituli illius vim & significationem exhauriendam, dicere, quòd nobis voluntatem Dei revelet, & loco ipsius nos alloquatur; cum idem de omnibus & Prophetis & Apostolis & doctoribus Ecclesiæ denique dici possit.* Si enim revelatio divinæ voluntatis faciat, ut inde aliquis vocetur λόγος, etiam alii hanc denominationem merebuntur. Et Paulo quidem Apostolo singulari jure & nomine debebitur; quia *Act. 20. 27.* coram Ephesina Ecclesia protestatur, se illi *omne consilium Dei annuntiasse*, nec quicquam subticuisse. Frivola ergo est ista nomenclaturæ ratio & ipso Slichtingio judice insufficiens & inepta.

III. Quòd autem Adversarius hanc rationem nominis explicare satagit à nomenclatura simili, *quemadmodum inquit etiam* (Christus) *eodem sensu vita & veritas dicitur.* Quibus quidem verbis gratìs supponit Christum tantùm vitam dici, quòd vitam salutis prædicarit, exemplo suo præmonstrarit adipiscendam; cum ipse quæstionibus præcedentibus dixerit dici Patrem æternitatis, quòd sit author vitæ æternæ. Christus ita vita est, ut vitam à se ipso habeat. *Joh. 5. 26.* ut ovibus suis det vitam æternam. Ergo sic argumentor: Qui ita est vita, ut vitam habeat in se ipso, sicut Deus Pater habet, ille est verus Deus. Atqui Filius Dei est ita vita, &c. Ergo.

IV. Deinde etiam *veritas* Christus dicitur, non tantùm quòd viam veritatis docuerit, sed quòd sit veritatis autor. Hinc Spiritus S. qui ducturus erat Apostolos in omnem veritatem, dicitur de iis quæ Christi erant accepturus, *de meo accipiet* & annunciabit vobis. Unde inverto argumentum. Qui ita est sermo Dei, sicut est vita & veritas is est Deus. At Christus ita est sermo Dei; sicut est vita & veritas. Ergo est Deus. Est autem vita Christus sic, ut eam in se

habeat, eamque, ut dictum, fidelibus largiatur; itemque veritas, cujus ille solus est autor primus.

V. *Atque hoc idem dici potest de eo quòd imago Dei inconspicui vocatur*, inquit. Quidnam? quòd scilicet Christus vocetur *imago Dei inconspicui*, quòd Imaginem Dei inconspicui *nobis fecerit manifestam?* & per Christum nobis Deum insigniter apparuisse, ita ut ipsummet Deum in Christo conspicere & contemplari nobis licuerit ut alicubi loquitur Socinus? Hoc quidem verùm est, sed nec totum nec satis est; Id ipsum rotundis verbis Apostolus jam dixerat, *Deum nobis per filium loquutum*, nempe non ut olim per Prophetas, sed apertissimè, sed clarissimè. *Heb.1.1.* adeoq; id ipsum non opus fuit obscuriori voce denuò innuere.

VI. Quæritur ergo quomodo filius dicatur *Patris character* & *imago Deo inconspicui*? Videtur enim quod nullo modo Patrem nobis repræsentet. Secundùm enim divinitatem est ipse inconspicuus, quomodo igitur res inconspicua erit rei inconspicuæ imago? secundùm carnem est corporeus. At res corporea rei incorporeæ imago esse non potest.

VII. Dico: Filius gemino respectu dicitur imago, *Patris* & *nostri*, Patris respectu, Filius in se ab æterno est imago substantialis Patris; quam angeli in cælis etiam ante carnem à filio assumptam fuerunt intuiti. Si enim in humanis filius rectè dicitur imago Patris, quia patrem naturâ, ingenio, formâ, staturâ, moribus refert: & alter idem, nisi quòd non est ipse pater. Quantò magis in divinis filius erit imago essentialis Patris. Quia eandem habet cum Patre essentiam, per æternæ generationis modum filio propriam, patrem perfectissimè referens: & est alter idem, nisi quòd non sit ipse pater & ingenitus sicut Pater. Oportet enim imaginem ab archetypo aliquâ proprietate distinctam esse; alioqui non esset imago, sed ipsum archetypum. Sic filius rectè à Veteribus vocatur imago substantialis Patris, seu Dei inconspicui, licet non sit imago conspicua nobis. Talis enim in se fuisset in omnem æternitatem, si vel nunquam in carne fuisset factus conspicuus: licet sic non fuisset imago conspecta à nobis.

VIII. Quando verò Christum vocat characterem & imaginem Patris, non est ei propositum tantùm docere, quid filius in se ab æterno sit & fuerit, sed etiam, quid per incarnationem factus sit nobis, & quomodo imago inconspicui Dei sit revelata & facta conspicua nobis, absque quo si fuisset,

Deus perpetuò nobis mansisset absconditus.

IX. Necessariò ergo Christus etiam consideratur ut imago Dei relatè ad nos quoniam filius in carne manifestatus naturam & voluntatem Patris, divinâ sua sapientiâ, cælesti doctrinâ, mirandis operibus ad vivum expressit: Deumque inconspicuum nobis conspicuum fecit, juxta quod dixit ipse: *Philippe qui videt me videt Patrem. Joh. 14. 9.* Adeo ut fides nostra in hac imagine Dei salutarem fructum veræ cognitionis Dei accipiat.

X. Manet ergo hoc argumentum firmum: Filius est imago Dei inconspicui & character hypostaseos Patris, non *accidentalis*, quia nihil tale de Deo fingendum, sed *substantialis.* Ergo est Deo Patri consubstantialis & coæternus. Nulla proinde ratio istius nomenclaturæ est, quam Catechetes producit. Quòd propterea sit dictus Character hypostaseos Patris, *quòd Deus quicquid nobis promisit, jam reipsa exhibuerit in eo.*

XI. Sensu enim Sociniano, hîc per Patrem intelligenda erit, promissio Patris; & per characterem substantiæ, promissionis istius paternæ complementum. Monstra paraphraseos.

XII. Pergit: Quod verò attinet ad dictum: *Qui me videt, videt Patrem* ex eo divina probari non potest natura, *quia ea ratio videndi non potest de essentia Dei accipi, quæ est prorsus invisibilis.* Agit Christus de visione mentis non oculorum corporis, hoc est, de cognitione, ut sensus sit: qui me cognoscit esse verum Deum, etiam Patrem novit, ut liquet ex verbis immediatè præcedentibus *Joh. 14. 5. tantùm temporis vobiscum sum & non nostis me. Item ex vers. 10.* Provocat ille ad ℣. 10. sequentem; ac ex eo suam istorum verborum vult confirmari exegesin. Sed frustra. Ita enim habet. *Non credis me in Patre, & Patrem in me esse?* id est non credis nos esse unius essentiæ?

XIII. At dices sequentia verba id videntur innuere, quibus Christus dicit: *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Sed Pater qui in me manet ipse facit opera. Resp.* Christus dicit quòd non à se ipso loquatur, non ob *defectum autoritatis* propriæ; dicit enim alibi Spiritum S. de suo accepturum; sed *ob inseparabilitatem naturæ.*

XIV. Denique ad verba Pauli Col. 2. 9. *in quo habitat omnis Deitatis plenitudo corporaliter* commentatur. *Primùm* inquit *vox* divinitas *designare potest voluntatem Dei.* At non quæstio est de eo quid *possit*, sed quid *debeat* ex usu vocis, atque analogia textus. Sanè eo usu vocem

vocem divinitatis accipi probabit authoritate scripturarum nulla. Deinde ait, divinitatem istam *non de persona Christi sed de ejus doctrina interpretandam*. quare? *quia Apostolus eam orationem opponit, non personis, sed Philosophia & legi*. Imò verò oppositio est inter personas per Philosophiam seducentes & Christum; videte ne *quis* vos seducat per Philosophiam inanem; *ἀντίθεσις* inquam est inter personas seducentium inani philosophiâ tumentes, ac turgidas, & Christi personam, in qua erat vera Deitas corporaliter, inter seductores *homines* & Christum *Deum*.

XV. Ostenditur id ex versu 10. divinitatem non esse explicandam de doctrina, quâ Christus dicitur esse caput *πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας*, caput omnis principatus & potestatis. Jam autem, qui est caput omnis principatus & potestatis, is non tantùm divinam habet Doctrinam, sed & divinam potestatem, ac proinde Deitatem. Quid vox *corporaliter* significet, inferiùs nos audituros ait, sensum ergo ejus Socinianum tantisper ignorare licebit.

Quæst. 82. *At ubi scriptura ait de Christo eum habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus fieret?*

Resp. Ioh. 17. 5. *Ipse Dominus in sua ad Deum precatione ait:* Et nunc glorifica me Pater apud temet ipsum ea gloria, quam apud te habui, antequam mundus fieret.

Quæst. 83. *Quid ad hoc respondes?*

Resp. *Neque hinc naturam divinam probari. Posse enim aliquem gloriam habere, antequam mundus fieret, apud Patrem, nec tamen hinc effici eum esse Deum, apparet.* 2. Tim. 1. 9. *Ubi ait Apostolus de credentibus, illis datam fuisse gratiam ante tempora secularia. Præterea, hic scriptum est Iesum rogare hanc gloriam, quod naturæ divinæ prorsus repugnat. Loci verò sententia est: Ut ei gloriam reipsa det, quam habuerit apud Deum in ipsius decreto, antequam mundus fieret.*

1. Ei

I. *Et nunc glorifica me Pater apud temetipsum gloriâ, quam habui apud te, antequam mundus esset.* Hinc argumentum: Si Christus Filius Dei apud Patrem revera habuit gloriam divinam antequam mundus fuit, tum habuit eam ab æterno, ita ut ipse actu ipso ab æterno extiterit. Habere enim est actus ejus rei quæ existit reipsa; Nemo n. potest dici habere paterna bona antequam natus est. Posteri Abrahami, quibus terra Canaan promissa erat, non potuerunt dici eam habuisse, antequam nati essent. Adeo ut ab hoc *est tertii adjecti*, ad *est secundi adjecti* valeat consequentia: & habere supponat existere.

II. Ad uberiorem loci intelligentiam 1. Tenendum est, quæ sit illa gloria quam hic Christus à Patre postulat. Ea verò alia non est, quàm gloria Filii Dei, hoc est, ut Filius Dei, agnoscatur. Ita enim hanc gloriam Christi Johannes ipse interpretatur, cum eam vocat gloriam *quasi unigeniti à Patre. Ioh. 1. 14. Dinde*, eam gloriam postulat sibi dari à Patre, à quâ se propter Patris mandatum exinaniverat, factus obediens usque admortem. Exinaniverat, se autem à forma Dei, & illa æqualitate, quam ut verus Filius semper habebat.

III. Considerandum porro est, quâ ratione sibi hanc gloriam dari postulet, cum semper eam habuerit? Ad quòd respondendum, etiamsi eam semper habuerit, tamen tempore exinanitionis fuisse occultatam, adeoque eum petere manifestationem gloriæ suæ. Sicut enim ipse Patrem se glorificasse dicit, non quòd ei gloriam, quam non habuerit, contulerit; sed quòd eam quam actu habuit Pater, manifestam atque notam fecerit hominibus *vers. 4, 6, 26.* Ita vicissim petit glorificari à Patre, ut gloria sua innotescat hominibus.

IV. Neque quocunque modo suæ divinitatis gloriam petit; nam super terram ait se jam glorificatum apud homines *vers. 10.* Sed petit glorificari apud ipsum Deum in cælo. *Pater glorifica me apud temetipsum, vers. 4.* Glorificari apud Deum, est glorificari eâ gloria, quam habet in cælo apud Deum, in sinu Patris, in dextra Patris, pari cum Patre majestate & honore. Hæc enim est illa gloria quæ nondum erat mundo cognita.

V. Denique, *gloria quam habui apud te prinsquam mundus esset* dicit Christus: *& nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum.* Quod si Christus non extitit revera ab æterno, tum neque Pater extitit ab æterno Pater.

Nemo enim reali existentiâ est Pater per naturam, nisi realiter existentem habeat filium. Cùm ergo Christus dicitur habuisse gloriam antequam mundus esset, eo ipso æternus,& consequenter Deus probatur. Quia, ut sæpius dictum, hæc phrasis, antequam mundus esset, æternitatis est descriptio.

VI. Catechetes dicit ex hoc loco divinam Christi naturam non probari, eò quòd hîc *habere* non significet *reipsa possidere*, sed *habere in Dei decreto & prædestinatione*. Quòd si verum esset, consequentia nulla foret in argumento. At Christus absolutè dicit, quòd gloriam habuerit, nullâ re adjectâ, quæ eam loquutionem ad improprium habendi modum, (qualis est habere in prædestinatione) determinaret. Et,si Christus à communi significatione verbi *habere* recedere voluisset,æquè facilè poterat dicere: *Gloriam quam promisisti*, vel *quæ mihi destinata est*. Ergo loquutio ista absolutè posita, rem ipsam, non promissionem aut destinationem significat. Et probandum fuisset Adversario vocem *habendi* absolutè positam, significare idem, quod aliquid habere in prædestinatione.

VII. Quòd si Sociniana obtineat glossa, non dicendum fuisset Christo, gloria quam habui *apud te*, sed quam habui *in te* vel *in mente tua*. At non eum esse sensum liquet. Quia Christus eâ gloriâ petit glorificari *apud Patrem*, quam habuit *apud Patrem* ante mundum conditum.Quemadmodum autem, cum petit glorificari *apud Patrem*, non petit glorificari in mente Patris & prædestinationè, sed reipsa existendo apud Patrem illam habere; ita cum ait, se eam habuisse ante mundum conditum apud Patrem, intelligit se habuisse tunc cum existeret apud Patrem *Joh. 1. v. 1.* non autem in mente Patris. Jam, sicut glorificari *apud Patrem*, significat non in mente & prædestinatione Patris glorificari, ita nec *apud Patrem* gloriam habere, prædestinatione habere, significare potest. De nullo electorum dicit scriptura, quòd gloriam ante mundum conditum apud Deum habuerit; cùm tamen omnes electi prædestinati fuerint ad gloriam ante mundum conditum.

VIII. Roborare hanc suam exegesin adeoque vim consequentiæ nostræ enervare conatur adversarius, allegatione loci *2.Tim.1. 9.* Ubi electis dicitur *gratia data ante tempora secularia*. Sed Apostolus nequaquam dicit nos vel gratiam vel gloriam *apud Deum habuisse* ante tempora secularia, sed gratiam Dei nobis *datam esse in Christo* juxta divinam suam natu-

ram ab æterno apud Patrem existente.

IX. Maxima ergo inter hunc locum, de quo controvertitur, & verba Apostoli, est diversitas. Hic agitur de unigenito Dei filio, qui est in *sinu Patris*, Joh. 1. 18. *unigenitus apud Patrem* vers. 4. *unum cum Patre Joh. 10. 30.* illic verò de hominibus in tempore in filios Dei adoptatis. Hic absolutè & simpliciter Christus dicit, se *apud Patrem gloriam habuisse, antequam mundus esset*; illic verò Apostolus gratiam ante tempora secularia nobis datam κατ' ἰδίαν πρόθεσιν secundùm suum propositum, verbis immediatè antecedentibus, quæ manifesta est prædestinationis descriptio, ait. Potest ergo Deus non existentibus aliquid antequam mundus est *dare*, id est, *decernere*; sed is qui antequam mundus est, non existit, non potest dici aliquid *habere*. Manet proinde firmum argumentum. Qui gloriam habuit ante mundum conditum is est æternus Deus. Atqui Christus. Ergo.

Quæst. 84. *Quo autem loco scriptura ait Spiritum Christi fuisse in Prophetis?*

Resp. 1. *Pet.* 1. *vers.* 10. 11. De qua salute ex quisiverunt & perscrutati sunt Prophetæ, qui de illa in eos gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, &c.

Quæst. 85. *Quid ad hoc respondes.*

Resp. *Neque hinc naturam Christi divinam effici. Nam hic Spiritus qui in Prophetis erat, Christi dici potest, non quòd à Christo datus fuerit, sed quòd ea quæ Christi fuerunt prænunciarit, ut ibidem Petrus ait,* prænuncians illas in Christum passiones & posthæc glorias. *Quem loquendi modum etiam* 1. Ioh. 4. 6. *habes: Hinc cognoscimus* Spiritum veritatis & Spiritum erroris, *ubi non propterea Spiritus veritatis & erroris Spiritus dicitur, quòd veritas & error tanquam perso-*

personæ eum Spiritum conferant. Verùm eò, quòd Spiritus veritatis loquatur quæ veritatis sunt, & Spiritus erroris quæ sunt erroris.

I. Imò verò ex eo, quòd is Spiritus, qui in Prophetis fuit, Christi dicitur, Deitas Christi efficitur. Ratio quam pro negativa adfert Adversarius, rem à nobis effectam, infectam non reddit. Dicit enim Spiritus Christi ideo *dici potest*. quòd *ea quæ Christi* fuerint prænunciârit. Iterum de *posse* non quæritur sed de *debere*. Per τὸ *posse* omnia sic scripturæ loca in alienum sensum detorquere haud difficilè esset.

II. Deinde Spiritus ita dicitur Christi sicut dicitur Patris, Dei, Filii. At cum Spiritus dicitur Patris, Dei, ideo talis dicitur, quòd eum Pater, Deus, dat, ideo Filii dicitur quod eum Filius à Patre mittat. Ergo etiam, cum Christi Spiritus dicitur; non quòd de Christo prænunciarit, sed quòd eum Christus Prophetis dederit. Et, sicut cum dicitur Patris, Dei, Filii, non eò dicitur Patris, Dei, Filii, quòd de Patre, Deo, Filio prænunciarit, sed quòd eum Pater det, Filius mittat; ita etiam cum dicitur Christi, non dicitur quia de Christo prænunciavit, sed quòd eum Christus Prophetis dedit.

III. Glossæ verò Socinianæ nihil verisimilitudinis accedit ex 1.*Joh*.4.6. ubi de Spiritu veritatis & erroris sermo est, *ubi* inquit *Spiritus erroris, veritatis, non ideo dicitur, quòd veritas & error, Spiritum tanquam persona conferant, sed quòd de veritate, errore agat*. Ratio utrobique dissimilima. Causa hîc in promptu est, cur veritas, error, non possint dici Spiritum conferre, ut personæ. Quia scilicet error & veritas personæ non sunt. At Christus persona est. Ergo de illo hoc prædicari potest, quòd Spiritum conferat, Imò quòd Prophetis contulerit.

Quæst. 86. *Ubi verò scriptura de Christo ait, quod de cælo descendit, à Patre exivit, & in mundum venit?*

Resp. *Ioh*. 3. 13. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit è cælo Filius hominis qui est vel erat è

 cœlo.

cœlo. *& inferius capite* 10. 16. Me quem Pater ſanctificavit & in mundum miſit. *& inferius cap.* 16. 28. Exivi à Patre & veni in mundum, rurſus relinquo mundum & eo ad Patrem, *& inferius cap.* 17. 18. Sicut me miſiſti in mundum, *&c.*

Quæſt. 87. *Quid ad hæc reſpondes?*

Reſp. *Ex iis non probari divinam naturam hinc apparere, quòd primi teſtimonii verba,* deſcendit de cælo *poſſint figuratè accipi, quemadmodum Iac.* 1. 17. Omne datum bonum & donum perfectum deſurſum eſt. *& Apoc.* 21. 2, 10. Vidi civitatem ſanctam Hieruſalem novam deſcendentem à Deo è cœlo, *&c. Quod ſi propriè accipi debeant, quod nos perlibenter admittimus, apparet, non de alio illa dicta, quàm de filio hominis, qui cum perſonam neceſſariò habeat, Deus naturâ eſſe non poteſt. Porro, quòd ſcriptura teſtatur de Chriſto, quòd Pater eum miſerit in mundum, idem de Apoſtolis Chriſti legimus, in iiſdem verbis citatis ſuperius.* Quemadmodum me miſiſti in mundum & ego miſi eos in mundum. *Ea verò verba quòd Chriſtus* à Patre exierit, *idem valent, quod* de cælo deſcendit. *Venire verò in mundum, id ejusmodi eſt, quod ſcriptura poſt nativitatem Chriſti extitiſſe oſtendit* Ioh. 18. 37. *Ubi ipſe Dominus ait:* Ego in hoc natus ſum, & in mundum veni, ut teſtimonium perhibeam veritati. *&* 1. Ioh. 4. 1. *ſcriptum eſt. Multos falſos Prophetas exiviſſe in mundum. Quare ex ejuſmodi loquendi modis natura divina in Chriſto probari non poteſt.*

potest. In omnibus verò his loquutionibus quàm divinum muneris Christi principium fuerit duntaxat describitur.

I. Ex his locis quoque divina natura Christi colligitur apertissimè. Nam Christus toties de cælo descendisse dicitur. At non ratione carnis & quâ homo, sic enim è virgine natus est. Ergo respectu alterius de cælo descendit, nempe respectu divinæ naturæ Argumentum tale est. Qui descendit de cælo, quâ talis non est natus in terra. Christus descendit de cælo. Ergo quâ talis non est natus in terra. Sicut enim cælum & terra termini sunt oppositi, ita etiam descendere è cælo & nasci in terra. Ergo Christus descendit è cælo velut homo, vel alterius respectu.

II Ac de humana natura descensum hunc non posse explicari certum est ex ipso Socino, quia Christi naturam humanam non tantum è Maria virgine natam concedit, sed etiam contra Mennonitas probat. Ergo superest ut de divina natura descensus iste intelligatur.

III. Duo tamen hîc prætendunt effugia ad eludendum istud dictum *Joh*. 3. 13. 1. *Christum ab initio sui ministerii subvectum fuisse in cælum & inibi à Patre edoctum, ac postmodum plenariè scilicet de voluntate Patris edoctus iterum descendisse*. Sed quia talem ascensum nullus liber euangelicus narrat, nulla pagina sacra docet, nullus Prophetarum prædixit, nullus Apostolarum docuit, vidit, de eo se audivisse testatur, meritò eum à à Socinianis ad eludenda talia scriptura dicta præter scripturam imò contra scripturam confictũ esse persuasum habemus Smalcius etsi alibi commentum urgeat, hîc tamẽ in Catechesi aliter respondendum censet.

IV. Nimirum verba ista *descendit de cælo figuratè posse accipi* quemadmodum dicitur *omne bonum donum descendit desuper*. & *vidi civitatem sanctam descendentem à Deo*. Quanti ipsemet faciat hoc effugium, sequentibus ostendit, quibus dicit *se perlibenter admittere* verba ista *propriè accipi debere*. Cui ergo bono istæ ambages de possibilitate figuratæ acceptionis? Nimirum prævidebat nihil ad rem facere, quia prior locus agit de dono accidentali: posterior locus ænigmaticus est & visionis, adeoque eum non probare nisi propriè intellectum. Ergo concedit verba *descendit de cælo* propriè esse accipienda.

V. Accipimus quod dat, de Filio hominis id dictum fuisse. At verò id de natura ejus humana,

ut pote quam non cælitus detulit, sed ex Maria habet, fatentibus Socinianis. Ergo de alia natura id intelligendum est. Filius hominis non dicit personam humanam, sed concretâ phrasi istâ totus Christus utraque naturâ constans indigitatur. Quod si limites. Ergo saltem filius hominis, quâ talis personam humanam dicet. Dico, quòd filius hominis quâ talis non *personam humanam* sed *naturam humanam* notet. *Hanc* Christus assumpsit, non *illam*.

VI. Ex eo, quod Christus à Patre sit missus in mundum jam superius cap. I. de essent. Dei th. 114. p. 126. argumentati sumus. Dictum ibi, de nemine dici posse, quòd mittatur ab alio, nisi prius sit apud eum, qui mittit ipsum, antequam ab eo mittatur. Frustra verò, *excipit* ad hoc, de Apostolis Christi idem legi. *Quemadmodum me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Quia aliud est loqui de missione, hoc est, de nativitate Christi, aliud de de missione Apostolorum ad officium. Vox missionis de nativitatè Christi intelligitur, per quam dicitur in mundum *missus, natus ex muliere.* Gal. 4. 4. At cum de Apostolis usurpatur, de missione ad munus intelligenda est. Nullibi enim dum Apostoli nati dicuntur, voce missionis Spirit. S. utitur.

VII. Jam sic argumentor: sicut cum Apostoli dicuntur missi ad munus, supponuntur jam extitisse antequam mitterentur, ita etiam cum Christus per nativitatem dicitur missus in mundum, supponitur jam extitisse, non quidem secundùm id, secundùm quod nascebatur, sed secundùm aliud, nempe secundùm divinam naturam. Ergo nullius est momenti, quod addit: *venit in mundum, ejusmodi esse, quod post nativitatem fuit.* Quia mitti in mundum etiam de ipsa nativitate Christi dicitur, ut ostensum ex *Gal. 4. 4.*

VII. Quare & illud quod de *exire falsorum Prophetarum in mundum* attexit, nihil est, quia ille exitus eorum, non de nativitate eorum, sed de exitu ad seductionem accipitur. Et sicut illi non possunt dici exivisse ad seductionem istam, nisi extitissent antea; ita Christus non posset dici exivisse in mundum, nisi priùs extisset. Ergo ex istiusmodi loquendi modis natura divina Christi probari potest contra quam statuit Adversarius. Et consequenter falsum illud: *his loqutionibus duntaxat describi, quàm divinum muneris Christi principium fuerit.*

Quæst.

Quæst. 88. *At quæ scriptura Christum Dominum unum, Dominium gloriæ, Regem regum & Dominum Dominorum perhibet?*

Resp. 1. *Cor.* 8. 6. Nobis unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per eum. 1. *Cor.* 2. *v.* 8. Nam si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. & *Apoc.* 17. 14. Cum agno pugnabunt & agnus vincet eos, quòd Dominus Dominum sit & Rex regum: & *inferiùs capite* 19. 16. Et habet in veste & fæmore suo nomen scriptum, Rex regum & Dominus Dominorum.

Quæst. 89. *At quid adfers ad hæc testimonia?*

Resp. *Quod ad primum attinet, ex eo quòd Christum Apostolus Dominum unum vocet, natura divina effici nequit. Nam eum primo manifestè ab illo Patre, quem ibidem Deum unum fatetur secernit, quem solum naturâ Deum esse superius docuimus. Deinde, hoc ipsum, quod de eo dicit,* omnia per ipsum, *eum naturâ Deum esse non ostendit: cùm, ut superius demonstratum est, hâc particulâ* per, *non primam, verùm secundam causam designari constet, quod de eo, qui naturâ Deus est, dici nullo modo potest. Et licet de Patre interdum scriptura loquatur,* Per eum omnia, *aliter tamen hæc de Patre quam de Christo accipiuntur. De patre enim hæc ideo dici constat, quòd omnes causæ mediæ per quas fit aliquid, non aliunde sint, nisi ab ipso, nec sint ejusmodi, ut sine iis ille agere non possit: de Christo verò dicuntur, quod per eum alius quis nempe Deus omnia*

nia operetur, *ut* Eph. 3. 9. *expressè habetur. Ne commemorandum mihi sit*, *verbum* omnia (*uti superius ostensum est*) *ad subjectam materiam referri. Quod ita habere inde apparet*, *quòd Apostolus agit de iis omnibus rebus*, *quæ ad populum Christianum pertinent*, *ut duo hæc verba demonstrant* Nobis & Pater. *Unde efficitur*, *Christum non simpliciter & absolutè*, *verùm certa de causa vocatum Dominum unum*, *per quem omnia. Quare hinc divina natura non probatur. Quod verò attinet ad secundùm testimonium*, *cùm in eo agatur de eo qui crucifixus sit*, *apparet ex eo divinam naturam non probari*, *cùm de hac illud dici nequeat*; *verùm de homine*, *qui ideo* Dominus gloriæ *dicitur*, *hoc est Dominus gloriosus*, *quod à Deo gloria & honore coronatus sit.*

In tertio vero testimonio, *cùm agatur de eo qui agnus est & qui vestimenta habet*, *quem & occisum*, *& sanguine suo nos redemisse apertissimè idem Iohannes fatetur*, *quæ referri*, *ad divinam naturam nulla ratione possunt*, *apparet eo divinam naturam Christi astrui non posse. Omnia vero quæ hîc Christo in his testimoniis tribuuntur*, *singularem ipsius potestatem*, *quàm Deus Christo in iis quæ ad novum fœdus pertinent dedit arguunt.*

I. Firmius est ex locis allegatis pro divinitate Christi argumenmentum, quàm ut exceptiunculis istis à Smalcio prolatis eludatur. Argumentum ex loco tale est. Dominus omnium non est nisi Deus. Christus est Dominus omnium. Ergo Deus. *Ex hoc*, inquit, *quòd Christus dicitur* Dominus unus, *naturâ divina non efficitur. Quare? Nam eum manifestè à Patre distinguit.* Quid tum? Ergo Chri-

Christus Deus ille unus non est? Est essentia, unus idemque, & si persona sit alius, quod istâ contradictione innuitur non verò ab unitate Deitatis excluditur. Edocuisse se, solum Patrem esse unum illum Deum naturâ, vana est Sociniani spiritus gloria. Ad eum quem respicit Smalcius locum provoco.

II. Deinde, inquit, *τὸ per quem omnia* eum non esse naturâ Deum ostendit, *quia* per *secundam causam denotat*. At verò id ipsum jam *aliquoties* falsitatis est convictum. vide inter alia, p. 151 152. Tertiò aut *τὸ* Per, *aliter de Patre, aliter de Christo accipi, De Patre, quòd omnes causa media, per quas fit aliquid non aliundè sint nisi ab ipso.* At verò hæc ratio & in filium quadrat, ut liquet è doctrina conservationis rerum. Filius enim conservat omnia, quædam mediatè, quædam immediate, quæ ut in conservari ab ipso dependent, ita etiam in esse, & consequenter non sunt nisi ab ipso.

III. *De Christo verò, quòd per eum alius quis nempe Deus omnia operetur*, ut *Eph. 9 ℣. 3. habetur.* Deus omnia condidit *per* Christum. Qui locus nostro præsenti minimè opponendus, sed subordinandus est; sicuti enim Pater, judicat orbem, per Christum *Act 17. 31.* ut nihilominus idem Christus sit revera judex vivorum & mortuorum. Ita etiam Pater condidit per eum omnia, ut simul etiam ipse sit creator. Ordo modusque agendi hic innuitur, non a. ratio instrumenti, quod causæ principi subservit. Quippe creatio tanquam opus immensæ potestatis, nihil causæ organicæ aut mediæ requisivit.

IV. Et si *τὸ per* hoc loco infert minoritatem Filii ratione Patris, sitque nomenclatio & argumentum causæ secundariæ instrumentalis, quòd Deus dicatur per Christum omnia condidisse, tum, etiam Spiritus Sanctus, *Per* quem clamamus Abba Pater, loco causæ instrumentalis habendus erit, eò quòd nos dicamur aliquid *per* eum efficere. Atqui hoc absurdum est Ergo & illud.

V. *Quartum* effugium ad hunc locum est, *agi de omnibus rebus, qua ad populum Christianum pertinent, idque demonstrari verbis Nobis & Pater.* Ad quod replico: Falsum esse agi hoc loco de rebus Ecclesiæ, 1. quia manifestum est, eodem sensu dici *τὰ πάντα* esse ex Deo Patre & *Rom. 11. v. 16, per eum.* 2. Quia sequitur, *& nos per ipsum*, quod non nisi de redemptione nostra commodè intelligi potest. Alioqui verba ista redundantia erunt; si enim prius dixit per eum esse curata quæ ad

populum Christianum pertinent, quid attinebat repetere *& nos per ipsum*, cùm si omnia etiam nostra intelligantur per eum curata & perfecta, etiam nos intelligamur redempti.

VI. Si verò τὸ & *nos per ipsum* interpretetur, de nostri formatione. aut de radicali formatione Adami id intelligendum erit, aut de singulorum hominum formatione Si prius, fuit ergo Christus, cùm Adam formaretur. Si posterius, aut homines veteris aut Novi Testamenti intelliguntur. *Illos* non dicet, quia Christus ex mente eorum nondum fuit, adeoq; per Christum esse non potuerunt. Quia id quod non est, per id aliquid physicè tanquàm instrumentum fieri nequit. Ergo *hi* intelligendi erunt. Jam danda est ratio cur tempore novi Testamenti Deus homines formet per instrumentalem causam, in veteri non.

VII. Particulæ *Pater* & *Nobis* non evincunt *agi de rebus populi Christiani* Quia Deus etsi speciali modo Pater sit electorum; quis tamen nescit, etiam reproborum esse Patrem? Omnes illi dicere tenentur *Pater noster*. Et particula *nos* vel *nobis* collectiva est, judicio charitatis, non tantùm nos individuo notans qui de Paterno Dei affectu speciali persuasi sumus, sed etiam proximorum nostrorum, qui etsi judicio nostro filii adoptionis Dei habeantur, tamen judicio Dei tales esse non possunt.

VIII. Sed dato, locum intelligendum esse, *de rebus Ecclesiæ, Christiani populi*. Christumque dici *Dominum Ecclesiæ*, & quòd per eum omnia sint effecta, *quæ ad populum Christianum spectant*, adhuc tenemus adversarium, dupliciter. Quia 1 populus Christianus etsi non *nomine* tamen *re* talis fuit in Vet. Test. si ergo de rebus populi Christiani agatur, ergo etiam de rebus illius populi: aut non agitur de rebus omnis populi Christiani. Et si etiam illi illorumque res per Christum dicantur effectæ, Christum tum concedant fuisse oportet ratione essentiæ, quia meriti efficaciam & extensionem ad eum populum, ut & modernum negant.

IX. 2. Quia si Christus omnia efficiat quæ sunt populi Christiani & Ecclesiæ, is autem populus per universum mundum sit dispersus. innumeros & potentissimos habeat hostes, multis prematur calamitatibus, urgeatur necessitatibus, infinita sanè ad hoc requiritur potentia ad populum istum conservandum, defendendum, ad illi benefaciendum, & si potentia etiam essentia; quià illa

extra

extra hanc esse non potest. Et deinde ad redimendum etiam populum Christianum infinito fuit merito & efficacia opus, quale Christi non fuisset, nisi fuisset talis Dominus, qui simul verus Deus esset.

X. Ad secundum locum: *Dominum gloriæ crucifixerunt*. ait, non probari ex eo divinam Christi naturam, *quia agit de eo qui crucifixus est*. Sed ineptè. Quia Dominus gloriæ dicitur crucifixus secundùm alteram sui naturam in qua se crucifigi poterat, puta humana Vi autem communicationis idiomatum rectè prædicatur de tota persona, quod tantùm alterius est naturæ. Quod si Christus ideò Dominus gloriæ dicatur, quod à Deo gloria & honore coronatus sit, etiam homines *Dii gloriæ* nuncupari poterunt, quia sensu Sociniano de homine dicitur *Psal. 8. 6. gloria & majestate Coronasti eum.*

XI. Ad ultima loca, quibus Christus dicitur *Dominus Dominorum*, *Rex regum*, quoque dicit, ea divinam naturam nequaquam probare. *Eo quòd is Dominus* dicatur, *agnus occisus*, *sanguine suo redemisse Ecclesiam.* Sed cum hæc dicantur de natura humana, quæ in hypostasin divinæ assumpta est, divinam naturam non negant, sed toti personæ tribuunt quod secundùm quid & quoad naturam alteram verificatur.

XII. Agnus quippe Christus fuit ratione humanæ naturæ, occisus ratione ejusdem, redemit sanguine suo Ecclesiam ratione humanæ naturæ *meritoriè*, ratione divinæ efficienter.

XII. Ergo lòca illa perillustre sunt argumentum tum divinitatis Christi, tum personæ θεανθρώπε Agni Christi. *Rex regum* enim & *Dominus Dominantium*, non nisi unus & æternus Deus 1. *Tim. 6. v. 15.* Si igitur Christus Rex regum est, & Dominus Dominantium, utique cum Patre unus & æternus Deus est. Agnus porro Christi hominis mediatoris significativum est. Mactatus enim dicitur, quia homo mediator se ipsum tradidit ἀντίλυτρον. Si igitur agnus est Rex regum, Dominus Dominantium, æternus Deus, ubiq; homo Christus in unitate personæ idem est Rex regum, Dominus Dominantium æternus Deus.

XIII. Datur quidem hic titulus Artaxerxi & Nebucadnezari *Esdra 7. 11. Dan. 2. 37.* Sed dici posset de Artaxerxe eum sibi hoc nominis non de *jure*, sed de *facto* vendicasse. Res tamen eo non videtur expediri; quia Nebucadnezari de jure is titulus competebat. Erat enim hic Rex regum,

 quia

quia plures reges terrenos sibi habuit tributarios. Christus alio sensu rex regum dicitur, nimirum non quorundam, sed omnium omnino: tum ratione divinitatis, cunctis Monarchis & Regibus superior, ac potentior: tum ratione officii, quo tanquam mediator Dei & hominum ac generis humani servator θεάνθρωπος à l dexteram Dei exaltatus super omnem principatum ac nomen, quod nominari potest in cælo & in terra.

XIV. Adeo ut Christus Rex regũ & Dominus Dominantium dicatur, quia est monarcha cæli & terræ cui soli *data est omnis potestas in cælo & in terra.* Data non solùm in tempore secundùm œconomiam carnis per evectionem ad dextram Dei; sed ab æterno secundùm naturam Deitatis per æternam generationem à Patre. *Sicut enim Pater habet vitam in se ipso ab æterno, sic & filio dedit vitam habere in se ipso ab æterno ut sicut omnes honorant Patrem, sic omnes honorent & filium.* Joh. 5. vs 26. Ideo hunc titulum *Rex regum, Dominus Dominantium* cum Patre habet communem, ut Deus unus cum Patre, quem Apostolus hoc elogio proprio insignit. *1. Tim. 6. v. 15.* Et consequenter falsa sunt quæ sub finem quæst. dicit: *Christo hæc* omnia tribui, ut singularem ipsius potestatem, quam Deus Christo in iis, quæ ad novum fœdus pertinent dedit, arguunt.

XV. Et vel ex eo evinceretur, si res ita haberet, divina Christi naturâ, quia talem potestatem, pangendi fœdus & sanciendi & ratificandi non habet, nisi is, qui verus est Deus.

Quæst. 90. *At quæ testimonia scripturæ proferri possunt pro fide in Christum & honore divino asserendo?*

Resp. *Ioh. 14. 1. ait ipse Dominus.* Creditis in Deum, credite in me. *Et Ioh. 5. 22. vs. 23.* Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem. *Et Phil. 2. 9, 10, 12.* Propterea eum Deus superexaltavit & donavit ei nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu

su omne genu curvetur cælestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Iesus Christus est Dominus in gloriam Dei Patris. *Et aliis multis locis.*

Quæst. 91. *Quid ad hæc respondes?*

Resp. *Quod ad primum locum attinet, tantùm abest, ut ex eo, probetur Christum naturâ esse Deum, ut potius longè diversum effici perspicuum sit. Etenim apertè hîc Christus inter se & Deum unum discrimen ponit, de quo hîc agi, articulus in græco additus est indicio. Quòd verò ipsi ajunt, fidem non attribui nisi Deo ipsi, hoc Christus in alio loco solvit ipse, dum Ioh.* 12. 44 *ait:* Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. *Vnde perspicuum est Christum eam fidem sibi non arrogare quam ipsi Deo debemus, etenim ea fides ipsi Deo attribuitur, quæ in ipso terminatur, quæque eum ut rerum omnium primum authorem respicit: eam vero fidem Christo non attribui constat. Etenim eo in Christo fidem collocamus, quod nos felices efficiendi à* Deo *potestatem acceperit, & ei muneri sit præpositus, atque ad eum modum fides nostra in Christum per eum ad ipsum Deum tanquam ultimum finem dirigitur: quod etiam testatur Petrus cum ait:* Per eum creditis in Deum qui, eum à mortuis excitavit & gloriam ei dedit, ut fides & spes vestra in Deo sit.

I. Quia ex ipsius Dei ore maledictus est, qui in nudum ac merum hominem fiduciam collocat *Ierem.* 17. 5. & verò Christus

disertis verbis hic requirit, ut discipuli æquè in se ac in Deum credant, ex eo immotè colligitur Christum esse verum cum Patre Deum: & rectè argumentatur Augustinus tract. in Joh 67. *Consequens est ut si in Deum creditis, & in me credere debeatis, quod non esset consequens, si Christus non esset Deus.*

II. Attamen hoc argumentum floccifacit Adversarius, dicens: *tantum abest, ut ex eo probetur, Christum esse Deum* ut *potius longè diversum effici perspicuum sit.* Dic cur sodes! *Etenim*, inquit, *inter se & unum Deum discrimen ponit.* Ita, scilicet ratione personæ, secundùm quam Filius alius est à Patre. Ex articulo addito nihil probatur, quia græci sermonis ea est libertas, ut vel cum, vel sinè articulo personam indigitet: quod ostensum supra. Adeo ut evidens testimonium Deitatis Filii hoc loco proponatur. Quod si enim Christus ea ratione unum est cum Patre, ut qui credit in eum, necessariò etiam credat in Patrem. utique est verus Deus & ejusdem cum Patre essentiæ.

III. At dicit Adversarius, ex istis verbis: *creditis in Deum, credite etiam in me*, nihil sequitur, quia *Christus in alio loco hoc ipsum solvit, dum ait:* Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. *Unde perspicuum est, Christum eam fidem sibi non arrogare, quam ipsi Deo debemus.* Verùm ad hoc tenendum est, Christum *Joh. 12. 44.* (quibus verbis adversarius docere conatur, Christum sibi non arrogasse eam fidem quæ soli Deo debetur) loqui ex hypothesi Judæorum, qui eum nudum hominem esse putabant; adeo ut locus non simpliciter, sed comparativè & per ellypsin quandam sit intelligendus.

IV. Judicium de eo fiat ex similibus, ellypticis loquutionibus, quibus negativa *non*, ponitur pro *non solùm, non tàm*, quorum oppositæ sunt, *sed etiam, quàm*. Exemp gr. *Gen. 32. v 28. & 35. 19. Non Jacob* (solum) *vocetur ulterius nomen tuum, sed* (etiam) *Israel:* quam ellypsin hîc statuendam esse ostendit historica subsequens narratio, in qua nomen Jacobi retinetur. Vide *v. 29, 30, 32.* & *Exod. 16 8. Non contra nos fiunt murmurationes vestræ, sed contra Jehovam.* id est, *non tam* contra nos, *quàm* contra Jehovam, non contra nos *solum, sed etiam* contra Jehovam. *1. Sam. 8. v. 7. Non te spreverunt* (solùm) *sed* (etiam) *me*, quod patet ex fine sequentium, quibus dicitur; *dereliquerunt me, & coluerunt Deos alienos, sic ipsi faciunt & tibi.* Sic *Marc. 9. 37. Quicunque me susceperit, non me excipit* (solùm) *sed eum* (etiam) qui

qui misit me. Joh. 7. 16. *Mea doctrina non est* (solùm) mea, *sed ejus* (etiam) *qui misit me.* Act. 5. 4. Non mentitus es *hominibus.* sicque negatio in his & similibus dictis posita non tam negat, quam exaggerat, & est potius αὐξητικὴ quàm ἐκκλειστική.

V. Accommodo hoc ipsum ad locum præsentem: *Qui credit in me, non credit in me,* sc. solùm, ut vos falsò opinamini, qui me nudum hominem esse arbitramini *sed in eum* (etiam) *qui misit me,* tum quia honor misso delatus redundat in mittentem, tum quia sum unius naturæ & essentiæ cum Patre. Quam explicationem confirmat phrasis quâ Christus utitur. Non enim dicit qui credit *mihi,* verbis meis scilicet fidem adhibendo, sed qui credit *in me,* sc. fiduciam cordis in me collocans, quâ ratione in solum Deum credere oportet.

VI. Negatio ergo hoc loco non simpliciter negat, nec *exclusivè* est accipienda, quia aliis locis in se credere jubet. Quando igitur hoc loco dicit, *qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me,* nequaquam absolutè & simpliciter negat in se credendum esse, sed credendo in se etiam in Patrem credi asserit, ut sit sensus. Quemadmodum qui in Patrem credit in verùm Deum credit; ita qui in me credit in verùm Deum credit; *quia ego & Pater unum sumus.* Joh. 10. 30.

VII. Hinc etiam Christus suam cum Patre ὁμοουσίαν evidentius exprimit quando vers. 45. subjungit. *Et qui videt me, videt eum qui misit me,* ostendens se adeo cum Patre unum esse, ut se viso etiam Pater videatur. At si viso filio statim etiam videtur Pater, consequens est, aut Patris & Filii unam esse personam, aut utriusque unam & indivisam esse essentiam. Prius repugnat illis scripturæ dictis, quibus se Christus ut alium frequenter Patri contra distinguit. Ergo posterius, videlicet, quòd Patris & Filii una eademque sit essentia, propter quam, viso, id est, cognitio filio, videatur & & cognoscatur etiam Pater.

VIII. Ac proinde Christus cum eundem cultum qui Patri debetur sibi deferendum exigit, nihil quippiam sibi quod suum non est arrogare dicendus est, cum ait: *creaitis in me, & in Deum credite,* quia *omnes honorare debent Filium, sicut Patrem honorant* Joh. 5. 23. quem locum quidem allegaverat in quæstione, ut & verba Pauli ex *Phil. 2. v. 9, 10, 12* ad quæ tamen nihil respondet, fortè quia quod responderet, non haberet. Hactenus ergo argumentum nostrum ex iis locis ductum, firmum est.

Nos

IX. Nos fidem in Christum collocare, *quòd* (tanquam Mediator) *nos felices efficiendi potestatem acceperit, nostramque fidem per eum* (tanquam mediatorem) *in Deo terminari*. Verùm est, quòd etiam Petrus loco allegato vult, sed hæc non est formalis ratio fidei nostræ in ipsum; cùm ea ultimatè in eum ut ultimùm fidei objectum tandem resolvatur. *Credo in Jesum Christum*, quia est *Deus benedictus in secula*. Rom. 9. 5.

Quæst. 92. *Verùm illi ex Ieremia afferunt, quòd maledictus sit, qui confidit in homine.*

Resp. *Respondeo: Non dictum est absolutè, maledictum esse qui confidat in homine: verùm qui ita confidit, quòd carnem ponat brachium suum, hoc est, in ipsis tantùm viribus humanis suam spem defigat, sine Spiritus & virtutis divinæ auxilio. Id enim per vocem* caro *prorsus intelligitur, cui etiam addita sunt verba*, & à Domino recedit cor ejus. *Verùm, qui in Christo spem collocamus, non statuimus carnem brachium nostrum, neque recedimus corde à Deo, imò Christo confidendo Deo confidimus, & sic cor nostrum accedit ad Deum, non à Deo recedit.*

I. *Maledictus qui confidit in homine.* Atqui Christus secundùm Adversarios est homo purus, & potestas quæ ipsi concessa est non excedit hominem; Ergo in Christum nisi Deus sit, non fuerit confidendum, aut si fuerit confidendum, non propter aliud quid confidendum fuerit, quàm quòd sit æternus Deus.

II. Duplex effugium hic commenti sunt Adversarii, Primum videre est apud ipsum Socinum in resp. ad arg. Bellarm. cap. 4. class. 2. arg. 1. ubi dicit: *Soli Deo tanquam felicitatis nostræ authori, & primæ causæ confidendum esse, non tamen*, inquit, *sequitur, ergo nulli confidendum esse, tanquam causæ minus principali. Et certè*, inquit, *verba Jerem. non excludunt Angelos, quominus quis in illis confidere possit: nullus enim Angelus est homo, etiam si nullus similiter sit ille Deus.*

Qua-

Quare si quis probare vellet in angelis minime confidendum esse, alio certè illi utendum esset argumento.

III. Sed quæ consequentia; in verbis Jeremiæ non fit expressa angelorum mentio, ergo angeli non excluduntur: Ergo in angelis confidere possumus. Quæ scriptura uspiam testatur in angelis confidendum esse? Et quoties scriptura idololatriam damnans, Deo aliquid tribuit, idolis a. adimit, toties id soli Deo competit. Atqui hoc loco populi Israelitici idololatria reprehenditur, ac fiducia, quam in idololatrico cultu, ac simul potentia humana ponebant, damnatur, Deo autem confidendum esse docetur. Ergo etiam hoc idem soli Deo competit, seu soli Deo esse confidendum ex verbis Jeremiæ consequitur.

IV. Præterea, Jeremias non solùm indicat, cui non sit confidendum, sed etiam addit, cui sit fidendum, nempe Deo. Si igitur præter Deum, alicui esset confidendum, non solùm Deus, sed etiam is exprimi seu nominari debuisset, sive is sit angelus, sive alius quispiam. Denique, quoties scriptura uni vel pluribus creaturis aliquid ita competere negat, ut Deo attribuat, toties id soli Deo verè competere præsumitur.

V. In Catechesi Adversarii aliter se expedire satagunt. Dicunt: *Non dictum esse absolutè, maledictum esse qui confidit in homine: verùm qui ita confidit, quod carnem ponat brachium suum*, hoc est in ipsis tantùm viribus humanis, sine divino auxilio. &c. Quod primo est contradicere Prophetæ; qui simpliciter ait, non esse confidendum in homine, & humanis viribus. Adversarius contendit non simpliciter, sed secundùm quid duntaxat accipi debere, qui ita confidit ut carnem sine auxilio divino ponat brachium suum. Sensus ergo Socinianus est. Etiam in carne quadantenus esse confidendum.

VI. Verùm Deus nuspiam vult ut partim in sese, partim in creaturis confidamus, sed potius requirit, ut in sese solo omnis fiducia collocetur. Hinc primo decalogi præcepto dicit Deus: *Non habebis Deos alienos coram me*, vel juxta me; adeo ut Dii alieni sint, non tantùm illi qui nihil commune habent cum verò Deo à quo nos abalienant, qui **Af Goden**/ germanicè **Abgötter** dici merentur, sed etiam illi qui post & juxta Deum coluntur & **Neben-goden**/ germ. **Neben-götter** nuncupari possunt. Nequaquam ergo Deus his talibus fiduciam, quæ sibi soli debetur, vult deferri.

VII. Deinde non *dimidio* sed toto corde à nobis vult amari

 Deut.

Deut. 6. v. 5. *Math.* 22. v. 37. Simul atque igitur salvifica cordis fiducia in homine vel alia creatura, quæ Deus non est, ponitur, cor dividitur, & sic partim Deo, partim homini defertur. Unde etiam illi qui cor suum divitiis apponunt *Psal.* 62. 11. sunt idololatræ. *Eph.* 5. 5. *Col.* 3. 5. cum quibus confer *Math* 6. 24. & *Luc.* 16. 13.

VIII. Nominatim verò Deus vetat confidere in principibus & in filiis hominum, rationem hanc addit, quia in iis non est salus, *Psal.* 118. v 7, 8, 9. & 146. 3. Samaritani reprehenduntur, quòd cum Deo Israelis, simul suis servierint Diis 2. *Reg* 17. 33. & τὸ *claudicare in utramque partem valde* est improbatum. 1. *Reg.* 18. 21. Et *Jer.* 48. 7. Jehova de causa afflictionis regni Moabitici disserens, ait: *Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis & in thesauris tuis, tu quoque capieris.*

IX. Effugium suum duobus modis stabilire conatur Adversarius. Primò voce *carnis*, qui ita scilicet confidit in homine ut *carnem* ponat brachium suum, sine virtutis divinæ auxilio, is maledictus est. At verò vox *carnis* hoc non vult, quod prætendit Adversarius; siquidem illa non nisi carnalem & humanam potentiam significat; nec docere voluit Propheta, quòd & quousque hominibus sit confidendum, sed quod prorsus non sit confidendum, totus contextus, in primis collatio *v.* 5. & 3. testatur.

X. Deinde ex connexione verborum, *& à Domino recedit cor ejus.* Quæ tamen verba non *determinative* & *definitivè*, sed *copulativè* sunt accipienda. Sensus enim verborum non est, eum esse maledictum, qui *ita* confidit in homine, *ut* corde suo recedat à Deo; siquidem certum est, quòd quicunq; in homine confidit, is à Deo corde suo recedat; Sed hoc vult Propheta: maledictum esse hominem qui confidit in homine, & cujus cor, scilicet eo ipso quòd in homine etiam penes Deum confidat, à Domino recedit. Quisquis enim confidit *simul* in homine vel alia quapiam creaturâ, is eo ipso *à Domino recedit*, cùm *toto* corde, non *dimidiato*, Deo adhærere teneatur.

XI. *Verum*, inquit, *qui in Christo spem collocamus, non statuimus carnem brachium nostrum, neque recedimus corde à Deo; imò Christo confidendo, Deo confidimus: & sic cor nostrum accedit ad Deum, non à Deo recedit.* Verùm, quod per fidem in Christum corda nostra non avertantur à Deo, si ex sententia Sociniana Christus non sit verus & æternus Deus, falsum est.

Quicunque enim confidit in eo, qui non est Deus altissimus, is eo ipso, dum in eo sic confidit, suo corde à Deo recedit. Deus enim cor nostrum *totum* sibi *uni* & *soli*, confidens habere vult; sicut maritus vult ut sua uxor sibi & uni soli & non simul alii adhæreat. Fiducia nostra in Deum impartibilis esse debet, quemadmodum totus cultus primæ tabulæ legis moralis est & esse debet indivisibilis.

XII. Schemate ergo pingit errorem dum ait *Christo confidendo, Deo confidimus. Fides*, inquit Ostorodus, *in Christum, est fides in ipsum Deum* Joh. 12. 44. *non quidem propterea, quòd Christus sit ipse Deus, sed ideo quòd per Chri-Christum in Deum credamus.* 1.Pet. 1.21. At verò hoc falsum est, fidem in Christum nihil aliud esse, quàm fidem in Deum ipsum si Christus ipse, naturâ Deus non sit. Quia causa, cur fides in Christum est fides in ipsum Deum altissimum, est æterna Christi Deitas.

XIII. Nec obstat quod ex *Joh.12.v 44.* allegatur: *Qui credit in me, non credit in me*, &c. Id n. jam ad præcedentem quæst. est explicatum. Si enim Christus negaret in se credi, ceu in altissimum Deum, sibi ipsi eadem periodo contradixisset. Dixerat affirmando: *qui credit in me* & addidit *vers. 45. qui videt me, videt eum, qui misit me.* Quod verè dicere non potuisset, si ipse Deo Patri non non esset consubstantialis. Quia enim Filius est Deo Patri ὁμοούσιος, hinc videns Filium, videt quoque Patrem.

XIV. Et, si fides in Christum est fides in Deum, quia *per* Christum in Deum credimus, tum etiam fides in Johannem Baptistam, Apostolos, reliquosque verbi divini Ministros erit fides in Deum; quoniam *per* eos credimus in Deum. De Johanne dicitur, Joh. 1. vers. 7. *ut omnes* per *eum crederent.* Et de Apostolis. *Non autem pro istis rogo, sed & pro iis, qui* per *sermonem eorum erunt credituri.* Joh. 17. 20. de Ministris *1. Cor. 3. 5. ministri* per *quos credidistis.* Quomodo verba Petri. *1. Pet.1.21.* accipienda sint, dictum ad quæstionem proximè antecedentem.

Quæst. 93. *Ad alia verò testimonia quid respondes quæ de honore Christi divino agunt?*

Resp. *Cum omnia testimonia quæ de divino Christi honore*

nore testatur; testatur etiam aperte satis, honorem Christo divinum certo tempore certamque ob causam datum & concessum esse, naturam divinam iis non probari planum est. Quod verò opponunt illud Esai. c. 42. 8. Gloriam meam alteri non dabo: *respondeo, satis apparere, quid sibi velit hæc particula* alteri: *etenim illico ea consequuntur.* Neq; honorem meum sculptilibus. *De his itaque eo loco Deus loquitur, qui cùm eo communionem nullam habent, & quibus si gloria & honor aliquis tribueretur, in eum non redundaret. Verùm nequaquam dicit, se cùm eo non communicaturum gloriam suam, qui ex eo pendeat, & qui sit ei subordinatus. Hâc ratione enim nihil decedit ipsius gloriæ, cum universa in eum referatur. Etenim cum Dominus Iesus à Deo pendeat, & ei subordinatus sit, quicquid honoris ei exhibetur id totum in ipsum redundat.*

I. Testimonia pro honore Christi divino trià ex mente nostra produxerat Adversarius, sibique refutanda proposuerat. Primum testimonium ex Joh. 14. 1. *Creditis in Deum, credite etiam in me* quæstionibus superioribus à depravatione Adversarii est vindicatum. Hujus ergo responsionis ad istam quæst. exordio, duo reliqua, ex *Joh. 5. 22, 23.* & *Phil. 2. 9. 10.* videtur impetere. Dicitque, *ea testimonia apertè satis testari, honorem divinum Christo certo tempore, certamque ob causam datum, adeoque ex iis divinam Christi naturam non probari.*

II. Prius testimonium quod hâc exceptione eludere conatur est. Joh. 5. 22, 23. *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem.* Ex eo probatur Christi Patri coessentialis divinitas. Quia Pater illi dicitur dedisse omne judicium. Dedit a. Pater hoc judicium Filio, gignendo eum sibi æqualem & dando ei ab æterno naturam divinam cujus, attributum proprium est judicare omnia. At verò dices *dedit*. Dare inquam

inquam hîc non est *gratia*, sed naturæ communicatio, quæ fit non *alienatione* sed *communione*. Si dicas: At Christus in tempore judex factus. Ita est, *quoad exercitium judicii*, non *quoad jus*; Hoc ab æterno habuit, sed ad exequutionem istius ab æterno in tempore efficiendam fuit destinatus. *Act.* 17. 31.

III. Ergo argumentum pro divinitate Christi firmum. Qui judex est omnium, ut eodem cùm Patre honorandus sit honore, is ejusdem est essentiæ est cùm Patre Deus. Quia judex omnium, esse non potest nisi is qui verus est Deus: nec cuipiam nisi verò Deo, divinus honos competit; eò ipso enim, quòd alicui divinus honor defertur, in solio divinæ majestatis collocatur, ac ejusdem cum Deo esse essentiæ indigitatur. Est ergo, inquam judicium universi, quod Christo competit, causa impulsiva prægnantissima, cur Christus honore divino afficiẽdus.

IV Ad locum *Phil.* 2. 9. quod attinet, ille ratione diversarum in Christo naturarum diversimodè est intelligendus. Humanæ enim naturæ aliquid in tempore datum est. Divina, ea omnia, quæ hîc data dicuntur, jam antea habuit; adeoque ista non nisi de manifestatione accipienda sunt; non enim putandum est, eam antea illud adorabile nomen non habuisse: (habuit, quia opera Patris fecit *Ioh.* 5. 19. & 10. 37.) Sed quòd post mortem ac resurrectionem Pater effecerit, ut Christus, qui ante quoque erat, sed non ita cognitus, ubique agnosceretur, & ut verus Jehova in carne manifestatus adoraretur.

V. Cum autem ex adoratione religiosa Deitatem Christi evincimus, tali argumento: Qui adoratur religiosè, Deus est. Christus adoratur. Ergo. Illi Majorem negare solent. Nos probamus. Quia Deus ipse dicit Esai. 42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo.* Cùm ergo suum honorem Deus Pater Christo non tantùm deferri patiatur, sed etiam deferendum mandet, liquet eum ejusdem esse cum Patre essentiæ Deum. Ille ad locum respondet.

VI. *Satis apparere, quid sibi velit hac particula*, alteri, *etenim illico sequitur. Neque honorem meum sculptilibus. De his itaque Deus loquitur*, & illi scilicet per *alterum* sunt intelligendi. At 1. Verba sunt generalia אַחֵר notat quemvis alium, unde inquit Jehova *Exod.* 20 *v.* 3. non erunt tibi & אֲחֵרִים *alii* vel *alieni*. Nec obstat, quòd immediatè fiat mentio *sculptilium*. Per id enim verba illa, *gloriam meam alteri non dabo* non restrin-

guntur, sed tantùm à certo exemplo exponuntur. Quia enim populus Israeliticus præceps quasi ruebat in in sculptilium adorationem, nominatim cum idololatriam vetare voluit, quæ per sculptilium culturam patratur. Adeo ut interdictum speciei, non excludat interdictum generis.

VII. 2. Loquitur Propheta de gloria redemptionis & salvationis generis humani à peccatis & omnibus eorum pænis, ut liquet â versibus primis istius capitis. At illam gloriam nulli dat, qui non est naturâ Deus, sed sibi uni & soli reservat *Esai.* 63. 3. & *Act.* 4. v 12.

VIII. Quod exegeseos loco addit: *Verùm nequaquam dicit, se cum eo non communicaturum gloriam suam qui ex eo pendeat, & qui ei sit subordinatus* &c. Futile est. Nam stante hâc loci illius interpretatione, omnibus personis & rebus sibi subordinatis, & ex se pendentibus gloriam suam communicare Deus dici poterit.

IX. Imò verò dices, absurdi nihil, quia Deus communicat *gloriam suam Israeli.* Esai. 46. ult. & Paulus ad *Rom.* 5. 2. ait *gloriamur sub spe gloriæ Dei.* Ad locum *Esai. c.* 46 ult. *Resp.* In textu non esse וּכְבוֹדִי & *gloriam meum* sed תִּפְאַרְתִּי *ornatum meum*, quod scilicet Deus populum suum beneficio illo esset condecoraturus. Sic dicit Deus *Ezech.* 39. 21. *Dabo gloriam meam ingentibus*, id est, gloriosè in iis operabor. Scriptura de gloria Dei loquens, dupliciter de ea disserit; aut enim intelligit substantiam Dei gloriosam. *Exod.* 15. 7. & 33. 18. collat. cum 20. aut gloriosa Dei opera *Psal.* 90. 16. aut Dei glorificationem & celebrationem quâ sancti eum venerantur *Psal.* 29. *v.* 2. & 96. *v.* 7. *Luc.* 2. *vers.* 14.

X. Ad *Rom* 5. *v.* 2. quod dicit Apostolus, *gloriamur sub spe gloriæ Dei*, gloria Dei non essentialis intelligitur, sed vita & gloria cælestis, quam Deus nobis dabit. Vid. *Rom.* 8. *v.* 17, 18, 21, 30. Sic idem Apostolus ait 1. *Thess.* 2. 12. *Qui vocavit nos in suum regnum & gloriam*, id est, gloriosam beatitudinem. Loquitur ergo de glorificatione nostra, quâ Deus non suam gloriam contribuet, sed alterius speciei gloriam, suæ tamen analogam, communicabit electis.

XI. Denique suggerit Catechetes Pontificiis arma pro invocatione sanctorum. Dicens: *Cum Dominus Iesus à Deo pendeat & ei subordinatus sit, quicquid honoris ei exhibetur, id totum in ipsum Deum redundat* Eadem enim ratione Pontificiis fas erit dicere, omnem honorem, qui Sanctis defertur, quia Deo subordinati sunt, & à

& à Deo pendent, in ipsum Deum redundare. At verò istam argumentationem non admittet Adversarius. Ergo nec ejus argumentatio ista alicujus est momenti. Consequenter manet argumentum immotum: Cui competit gloria divina, is est naturà Deus. Quia illam Jehova *alteri* qui naturà Deus non est, dare non vult. Christo competit gloria divina. Ergo Christus est naturà Deus.

Quæst. 92. *De iis scripturis, quæ directè Filium Dei videntur respicere audivi: velim de iis cognoscere, quæ per quandam applicationem Christo accommodantur & naturam in Christo divinam videntur probare?*

Resp. *Ea testimonia sunt apud Esaiam. Primum* 8. *cap.* v. 14. *quòd futurus erat* lapis offensionis & petra scandali *quod* Lucas cap. 2. 34. & *Paulus* Rom. 9. vs. 7. & *Petrus* Epist. 1. cap. 2. v. 7. *repetunt. Secundum* Esa. 45. 23. *ubi Deus ait:* juravi per memet ipsum, quòd mihi curvabitur omne genu, *quod de Christò legitur* Rom. 14. 11. *Tertium legimus* Esai. 41. v. 4. & cap. 44. v. 6. & cap. 48. v. 12. Ego sum primus, ego sum novissimus *de Christo verò idem legimus* Apoc. 1. 17. *Quartum.* Esai. 35. v. 4, 5, 6. Deus ipse veniet & servabit nos, tum oculi cæcorum, & aures surdorum aperientur, tum claudus instar cervi saliet, & mutorum lingua solvetur. *De Christo verò hæc sunt repetita.* Math. 11. 5. *Quintum* Zach. 12. 10. *scriptum est:* Et aspicient me quem transfixerunt, *quod Iohannes c.* 19. 37. *scripsit de Christo. Sextum Psal.* 68. 19. Ascendisti in altum,

tum, & captivam duxisti captivitatem, accepisti dona hominibus, *quod idem de Christo repetitum est* Eph. 4. vers. 8. *E quibus testimoniis, ad eum modum argumentantur: Quandoquidem quæ dicta sunt de Deo sub lege, eadem dicuntur de Christo sub Evangelio, apparet Christum esse illum Israelis Deum, ac proinde naturâ Deum.*

Quæst. 95. *Ad hæc quid respondes?*

Resp. *Ad omnia ita responderi potest, ut appareat nullo modo ex iis effici divinam in Christo esse naturam. Etenim aliam ob causam ea quæ dicta sunt de Deo sub lege dici potuerunt sub Evangelio de Christo, quemadmodum & dicta sunt, nimirum propter illam summam quæ inter Deum & Christum est ratione imperii, potestatis atque muneris conjunctionem, quæ omnia illum Dei dono consequutum esse scripturæ Nov. Testam. passim testantur. Quod scriptura ea tradit de Mose, eum Israelem ex egypto eduxisse* Exod. 32. 7. & *quod redemptor illius populi fuerit* Act. 7. v. 35. & *de aliis idem, quod de* Deo *ipso apertissimè scriptum extat, cum ne Moses, neque alii tantam cum Deo conjunctionem haberent quanta inter Deum & Christum intercessisit, multò justius hæc, quæ de Deo primo respectu dicta sunt, Christo accommodari possunt, propter summam illam & arctissimam inter Deum & Christum conjunctionem.*

Ex

I. Ex prædicatis veri Dei in Nov. Test. Christo eodem sensu quo de vero Jehova in V. Test. prolata sunt, applicatis, apodicticè divinitas Christi demonstratur. Conferantur singula sese invicem respicientia loca. Ad quod ille argumentum non habet quod reponat, nisi, dici ea de Christo in Novò Test. quæ dicta de Deo in Veteri, ptopter summam quæ inter Deum & Christum est conjunctionem, ratione imperii potestatis & muneris &c. At Falsum hoc est. Quia quantumvis hoc verùm sit, Christum quoad munus omnia habere ex dono. Attamen Christus non tantùm relatè considerandus est ratione muneris sc. mediatorii, sed etiam absolutè ratione essentiæ. Sanè essentiam Christus non ex dono habet, sed ex naturæ cum Patre identitate.

II. Deinde, Christo duplex est imperium & potestas, *essentialis* scilicet & *mediatoria*. Hanc à Deo habet ab æterno destinatam, in tempore collatam, & mundo manifestatam, sed mediatoria potestas & imperium, essentialem ejus potestatem & imperium minimè abolent. Nec tantùm imperii & potestatis communio Christo cum Patre intercedit, sed & essentiæ, dicente Christo: *Ego & Pater unum sumus*, *Ioh. 10, 30.*

III. Ne dicam quòd falsò supponat Adversarius, Deum imperium & potestatem suam summam, cum aliquo, qui ejusdem essentiæ non sit, communicare posse, quod supra toties refutatum.

IV. Quod de Mose aliisq; intorquet, quibus olim idem quod Deo tributum, vanum est. Quis enim non palpat attributionis diversitatem. Dicitur de Mose, quòd populum duxerit ex Ægypto, sed an eo sensu quo Deus de se dicit: *Ego sum Deus tuus qui te eduxi?* &c. Item quòd populum *redemerit*, sed an *sanguine suo*, quod de Deo dicitur *Act. 20. v. 8*? Cum autem hæc de Christo dicuntur, quòd eduxerit populum, quòd eum redemerit, hæc non tanquam de causa instrumentali, sed tanquam principali de Christo verificantur, ut prolixius in doctrina de Officio Christi docebitur.

Quæst. 96 *Perspexi Christum divinam naturam non habere, sed verùm hominem esse: nunc cedo, qui cognitio ejus rei ad salutem utilis existat?*

Resp. *Hoc perspicere hinc potes, quòd è cognitione ejus*

rei, quod Christus homo verus sit, spei nostræ certa eaque in corrupta subsequatur confirmatio, quæ adversâ sententia prorsus convellitur, & tantum non tollitur.

Quæst. 97. *Qui verò istud?*

Resp. *Hac ratione, quòd ex adversa sententia sequatur Christum Iesum non esse verum hominem. Etenim cum in Christo negent personam hominis, quis non videt eos unâ eademque, operâ Christum verùm hominem negare? Nec enim verus homo esse potest, qui hominis personâ careat. At si Christus verus homo non fuisset, nec mori, ac proinde ne à mortuis quidem exsuscitari potuisset. Vnde spes nostra, quæ resurrectioni Domini Iesu ceu basi cuidam ac fundamento innititur, facilè convelli ac ferè ruere posset. Ea verò sententia, quæ Christum pro vero homine agnoscit, qui in mundo existens, obediens fuit Patri usque ad mortem, eundemque mortuum, & à Deo à mortuis reductum, & immortalitate donatum asserit & certò statuit, spem nostram de salute æterna mirum in modum fulcit, & ante oculos nostros ipsissimam ejus rei imaginem proponit & constituit: nos etiam, licet mortales simus, & moriamur, nihilominus tamen â mortuis tempore suo resurrecturos, & in immortalitatis ejusdem, cujus ipse particeps jam extiterit, societatem esse venturos, si vestigiis ipsius insliterimus.*

I. *Perspexi*, inquit, *Christum divinam naturam non habere.* Scilicet ex falsis super tam clara scripturæ loca glossematis; Utinam verò oculi tibi sint ut Jesum non tantùm Dominum, sed & Deum tuum, non qualemcunque, sed verùm, sed æternum esse videas, adeoque cognitione in qua est vita æterna imbuaris! sanè ea cogni-

gnitio majoris tibi foret ad salutem utilitatis.

II. Ex eo spes nostra salutaris haud parum habet firmamenti, quòd Christus sit verus homo, sed ex eo quòd Christus sit tantùm homo, omnis spes Christiana planè collabascit. Imò maledicta est spes nostra si in Christo tantùm homine confidat. Ut enim fidei, ita spei objectum solus est Deus. *In te Domine speravi.* Psal. 31. 2. Quod enim in Christo homine tantùm fundamentum spei residuum foret, cùm infinito Deo pro peccatis demerito infinitis λυτρὸν infinitum persolvendum esset? hostes infiniti essent superandi &c.

III. Ex sententia Orthodoxa quâ in Christo creduntur duæ esse naturæ, altera divina, altera humana, non sequitur Christum non esse verùm hominem. Etsi enim Christus, non assumpserit personam humanam, assumpsit tamen naturam humanam, ex carne & sanguine Mariæ virginis; adeo, ut nobis quoad naturam in omnibus sit similis, excepto peccato; quippe caro de carne nostra, os ex ossibus nostris.

IV. Ergo, quia Christus ex sententia nostra verus homo est, mori potuit: & quia Deus, se ipsum suscitare potuit: Unde spei nostræ major firmitas. Spes enim nostra resurrectioni Christi ceu basi ac fundamento nequaquam inniti potuisset, si se Christus merè passivè in resurrectione habuisset. Credimus Christum nos resuscitaturum, electosque vi resurrectionis ejus resurrecturos. At verò si Christus merus homo fuisset, nequaquam ejus resurrectio tantarum virium esse potuisset. Cum autem Christus ut caput nostrum vi propriâ resurrexerit, exinde spes nostra suffulcitur, nos quoque vi ipsius suscitandos. Mortuos enim suscitare virium est infinitarum. Quippe à privatione totali regressus non datur ad habitum, nisi per causam primam.

DE PROPHETICO IESU CHRISTI MUNERE?

Quæst. I. *Quæ spectant ad personam Christi intellexi: ad ea quæ muneris sunt ipsius progredere?*

Resp. *Optimè. Tenendum itaque tibi est, Christi munus*

in eo consistere, quòd is sit Propheta, Rex & Sacerdos noster.

I. Verba benè habent; sed latet anguis in recessu. Christum enim demum triennio ante mortem suam munere Prophetico fungi cæpisse docent; Regem & Sacerdotem verò nostrum demum in cælis post resurrectionem factum contendunt. De posterioribus hisce duobus erroribus in feriùs de officio Sacerdotali & Regio, suis locis agendum erit.

II. Propheta Christus esse cæpit, non eo demum tempore, quo ipse immediatè prædicavit, sed ab initio Ecclesiæ etiam veteris testamenti, mediantibus Prophetis, muneri Prophetico præfuit. Hinc spiritus Christi dicitur fuisse in Prophetis 1 *Pet.* 1. *v.* 11. *Per quem etiam in diebus Noe spiritibus qui sunt in carcere, prædicavit.* 1. *Pet.* 3. 19.

Quæst. 2. *Vbi verò Propheta in scripturis vocatur?*

Resp. *De hoc singulare extat testimonium, quod Petrus è Mose repetit, qui ad Patres loquutus est,* Act. 3. vers. 22. Deut. 18. ÿs. 18 Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, quemadmodum me, eum audietis, secundùm omnia quæ ad vos loquutus fuerit.

Quæst. 3. *In quo verò consistit munus Christi Propheticum?*

Resp. *In eo quod nobis voluntatem Dei perfectè manifestavit, & confirmavit.*

I. Hæc tantum pars est officii Christi Prophetici, externa sc.; Altera, ex qua Deitas Christi Deo Patri æqualis demonstratur ab Adversario subdolè reticetur, nimirum, interna cordium illuminatio, de quâ muneris Christi Prophetici parte agitur *Joh.* 1, 9. *Illuminat omnem hominem venientem in mundum.* & Luc. 24. ÿs. 45. *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent scripturas.*

Quæst.

Quæst. 4. *Vnde apparet Christum nobis Dei voluntatem perfectè manifestasse?*

Resp. *Hinc quod ipse Iesus perfectissimâ ratione eam â Deo in cælis sit edoctus, & ad eam hominibus publicandam è cælo magnifice sit missus, & eam perfectè iisdem enarrarit. Quod ex nominibus, quæ ipsi in scriptura attribuuntur, apertissimum est, cum eum* sermonem Dei, Deum, & Dei Filium, imaginem Dei inconspicui, splendorem gloriæ Dei *scriptura vocat & cum asserit,* omnem plenitudinem Deitatis in eo habitare corporaliter, *id est, quod in doctrina ipsius tota Dei voluntas integrè, & reipsa est patefacta.*

I. Ratio ob quam Christus Socinianis perfectus Propheta, qui voluntatem Dei perfectè explicâvit, hæc scilicet est; Quia Christus antequam munere Prophetico fungi inciperet in cælum fuit raptus ad Patrem, ibidemque à Patre, de omnibus, quæ se, quæ nos concernerent fuit edoctus, ac postmodû cum plenaria illa voluntatis Dei manifestatione inmundum missus. At somnia ista sunt Sociniana.

II Quia scriptura ejus rei (cur scilicet Christus nobis voluntatem perfectissimè fecerit manifestam) causam non tradit raptum quendam Christi in cælum, sed plenissimam Spiritu Sanct. inunctionem. *Luc. 4. 18. Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut Evangelizem* &c. Quia sc. Spiritus *Christo non admetitur.* Joh. 3. 34. Sed unctus est eo *præ consortibus suis.* Psal. 45. 8. Heb. 1 9. Act. 10. 38.

III. 2. Non meminerunt scriptores sacri aliùs translationis sive raptus Christi in cælum, quàm qui expletis quadraginta post resurrectionem diebus contigit. Illius nec vola nec vestigium extat in scriptura; imò verò expressè dicit Apostolus ad *Heb. 9. v. 12.* quod *semel* ingressus sit in sacrarium. In scripturis alioqui referri solent, quæ minoris momenti esse videntur, ut mirum sit, tam augustam Christi initiationem in cælis factam, uti ajunt, non esse descriptam, imo ne nominatam quidem, maximè, cùm non parùm faciat ad

commendandam nobis & omnibus hominibus à Christo promulgatam religionem, ut loquitur Smalcius sub fin. cap. 4. lib. de divinit Christi.

IV. Raptus illius & plenariæ post raptum de voluntate Dei instructionis ejusq; postmodum perfectæ revelationis ratio non exponitur epithetis, quibus S. S. Christum insignivit, ver. g. cum dicitur *sermo Dei*, *Deus*, *filius Dei*, *imago Dei inconspicui*, *splendor gloriæ Dei*: itemque cum scriptura dicit, *in eo omnem plenitudinem Deitatis habitare corporaliter*. Rationes veras harum nomenclationum supra fusè explicavimus, hic non repetam.

V. Quo fine Christus antequam munus suum obiret in cælum raptus fuit, quæro? *Ut à Deo disceret, quæ nos docuit*, respondet Smalcius. At verò hoc quod ante eum ascensum noverat discere non opus habebat. Novisse Christum ea constat *Luc. 4. v. 1. Iesus autem plenus Spiritu Sancto reversus à Iordane, & actus est ab eodem Spiritu in desertum.* Cum etiam Christus baptizatus esset, audita est vox Patris: *Hic est Filius meus, in quo acquiesco.* At quomodo Pater acquiescere potuit in eo qui voluntatis suæ ignarus esset? Hinc etiam puer adhuc duodecennis admirabilis suæ scientiæ insigne edit specimen *Luc. 2. v. 47.* cum doctissimis Judæorum disputando, adeo, ut super intelligentia & responsis ejus, omnes qui eum audiebant, percellerentur.

VI Si Christus raptus fuisset in cælum è terra, ibidem de voluntate Dei edocendus, deque cælo iterum in terram descendisset, utique id aliquando insinuasset voce *rediendi*, dixisset inquam, è cælo *redii*, *reversus sum*, *iterum veni* de cælo, quemadmodum Samaritanus dicit *redibo*. Luc. 10. 35. At Christus nuspiam ullâ voculâ utitur, quâ dicat, *se rediisse*, sed simpliciter *exivi* à Patre & *veni* in mundum, *iterum* relinquo *mundum*. Quemadmodum hic Christus voculâ *iterum* expressit reditum suum in cælum, eadem proculdubio reditum suum è cælo significasset.

Quæst. 5. *Ubi verò scriptum est Christum fuisse in cælo & è cælo missum.*

Resp. *Ioh. 6. 38.* Descendi è cœlo, non ut faciam voluntatem meam, verùm ejus qui misit me. *& inferius* ℣. 62. Cum ergo videritis filium hominis ascendentem

tem ubi erat prius. *Et cap.* 3. *v.* 13. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis, qui fuit in cœlo. *Et inferius* ℣. 31. Qui è ſupernis venit, ſupra omnes eſt: qui de terra eſt, & terrena loquitur: qui de cœlo venit, ſupra omnes eſt. *Et* cap. 8. ℣. 28. Sicut me docuit Pater meus, hæc loquor. *Et c.* 16. *v.* 28. *Exivi à Patre & in mundum veni, rurſus relinquo mundum & abeo ad Patrem.*

I. Audio his ſententiis Chriſtum profiteri, ſe cælitus veniſſe, ſed non audio, eum dicere, ſe antequam è cælo deſcenderet, eò raptum ut Euangelium diſceret. Nullo horum dictorum Chriſtus dicit ſe è cælo *rediiſſe*, ſed *veniſſe* tantùm. Unde nos pro divinitate ejus argumentamur: Chriſtus è cælo deſcendiſſe toties dicitur; quo autem reſpectu? non carnis & quâ homo, ſic enim è virgine natus eſt, & è cælo non venit. Ergo alterius reſpectu de cælo deſcendit, ſcilicet ratione divinæ naturæ, non quidem *motu locali*, ſed partim *humanæ naturæ aſſumptione*, partim *voluntariâ humiliatione*.

II. Sed forte locus *Joh.* 8. 28. *Sicut me docuit Pater meus, ita loquor* Sociniano dogmati favet. Quòd ſcilicet in cælo voluntatem Patris didicerit, eò ſcilicet fine eo raptus. Minimè. Damus libenter filium à Patre doctum: ſed non hoc eſt quod quæritur; verùm, an Chriſtus in cælum raptus ibidemque doctus fuerit? Illud dicit Chriſtus, non hoc.

Quòd alibi Smaleius urget, debuiſſe Chriſtum in cælum rapi, ne minor eſſet Paulo, qui in cælum raptus, ut ibidem, de iis quæ poſtmodum prædicaret, edoceretur, ad rem nihil facit. Quia Paulus, non fuit raptus in cælum, ut ibi doceretur quæ alios erat docturus; cùm dicat, ſe ibi, quo raptus erat, audiviſſe *ineffabilia verba, quæ non liceat homini eloqui*; 2 Cor. c. 12. Ergo non talia quæ doceret alios. De Moſe etiam quod adfert eum in monte fuiſſe edoctum, antequam ipſe Doctor populi fieret, alia eſt ratio. Moſes extraordinariè inſtitui neceſſe habebat, quod de Chriſto ad eum modum non erat neceſſe, quandoquidem à primo conceptionis momento Spiritu S. unctus fuit.

Nec

IV. Nec etiam tempus istius raptus Christi in cælum, Euangelica historia admittit. Dicunt enim Sociniani, verisimile esse illud tunc temporis factum esse, *cum quadraginta dies & totidem noctes, jejunus in deserto consumsit.* Smalcius cap. 4. lib. de divinit. Christi. Nam illa testatur Christum quadraginta istis diebus *in deserto fuisse, tentante eum Sathana, eratque cum feris.* Marci 1. 13. Luc. 4. 2.

Quæst. 6. *Quæ verò est illa voluntas Dei per Iesum nobis patefacta?*

Resp. *Est illud fœdus novum quod cùm genere humano Christus nomine Dei pepigit, unde etiam mediator novi fœderis vocatus* Heb. 8. 6. 1. Tim. 2. 5.

Quæst. 7. *Quid verò hoc novum fœdus comprehendit?*

Resp. *Duplex rerum genus quorum unum Deum, alterum nos respicit.*

Quæst. 8. *Quòd verò Deum respicit?*

Resp. *Sunt perfecta mandata & perfecta Dei promissa.*

I. Super argumento harum quæstionum non magnopere contendam cum Adversario. Hoc tantum moneo, Adversarium ea, quæ vi Prophetici muneris Christi sunt revelata, tantùm restringere ad Evangelium: itemque ad tempus Novi Testamenti. Cùm Christus nobis omnem voluntatem Patris sui fecerit manifestam: nec tantùm ea quæ Evangelii sunt, *Joh. 1. v. 17.* sed etiam quæ legis sunt. Christus enim Filius Dei intelligitur per Angelum alloquentem Mosen in monte Sinai *Act. 7. v. 38.* nempe non solum, cum primum Moses vocatus fuit *Exod. 3.* verùm etiam cum lex data fuit Mosi, *cap. 19. & 20.* cujus vox (quam scilicet per angelos edidit) dicitur tunc concussisse terram. *Heb. 12. 26.*

II. Nec revelatio voluntatis Dei per Christum facta tantùm ad tempora Novi Testamenti coarctari potest, cùm & ea quæ Evangelii sunt per Spiritum suum, qui in Prophetis erat, manifestarit; ut paulò superius dictum ex *1. Pet. 1. 11. & 1. Pet. 3. v. 19.*

cipiunt de rebus immutabilibus & omnium gentium communibus.

III. Ratio est. 1. Quia si omnes leges judiciales in universum dicerentur abrogatæ, sequeretur nullas leges judiciales traditas in verbo Dei, quod si verum, quomodo scriptura perfecta, continens perfectè, omnium virtutum moralium præcepta? 2. Si leges judiciales omnes sunt abolitæ. Ergo magistratus Christianus in pænis infligendis, itemque in judicando nullam certam habebit regulam, sed quod pro libitu unius cujusque magistratus fiet, juste factum censeri debebit. At hoc planè absurdum est. Ex hac enim hypothesi, etsi adulterium, homicidium, furtum, sit capitale in hac republica vel regno, in alio contra, utrobique tamen, quod statutum est, justum erit. Imò verò si aliquod delictum hodie sit capitale, cras secus, etiam hoc justum censeri debet. Voluntas enim Magistratus regula summa justitiæ foret, nisi regulam habeat ad quam judicia sua examinet. Vide Locorum Commun. scriptores. Sed abolitionis causas ex ore Smalcii audiamus. Quærit.

Quæst. 9. *Quænam sunt eæ causæ?*

Resp. *Tres potissimum.* Prima *quod sub prisco fœdere rigor & severitas locum habuit, in novo verò fœdere gratia & misericordia.* Secunda, *quod sub novo fœdere facta sit promissio perfecta vitæ æternæ, quàm antiquum fœdus non habuit, nihil expressè aliud promittens quàm hujus vitæ bona temporia, ut infra patebit.* Tertia, *quod sub vetere fœdere populus Dei & rempubl. terrenam & illius formam à Deo præscriptam & constitutam habuit, quâ repub. deficiente & ipsæ leges ac judicia ad eam constituendam introductam evanuere.*

I. Prima ratio nulla est Quia nec in V. nec in Novo Testam. gratia & misericordia rigori & severitati quâ advertendum est in delinquentes Magistratui, repugnant. Lex Charitatis non adversatur, legi justitiæ: nec Magistratus secundùm leges judicans

 immi-

immisericors & præpostere vel rigidus vel severus dici potest.

II. Secunda ratio planè falsa. In novo scilicet fædere tempore N. Test. demum factas promissiones vitæ æternæ, quas non habuerunt Veteris Test. homines. Quia vero autor probationem istius aliò reservat, nos eousque etiam refutationem differimus.

III. Tertia aliquid facit pro abolitione legum, quas diximus, specialium, non verò communium quarum vigorem etiam in, N. Test. supra allatæ evincunt rationes.

Quæst. 10. *Ergo Magistratus & reipubl. terrenæ regimen evanuit?*

Resp. *Nequaquam, cum omnis potestas à Deo sit* Rom. 13. 1. *& potest ipse Christianus Magistratum gerere, modo in ipso capessendo, & administrando ita se gerat, nequid contra leges & Christi mandata delinquat.*

I. Speciosè hæc dicuntur. Licere Christiano Magistratus munere fungi, sed ita, nequid contra leges & Christi mandata delinquat. Rectè. Quid autem illud est quod Magistratum contra leges & mandata Christi delinquere censes? Scilicet supplicio capitis afficere sontes. At verò Magistratum gerere, & non habere jus gladii ad puniendum facinorosos incompatibilia sunt. Vide *Rom.* 13. 4. Nec est quod dicas: Rem esse cap. citato de Magistratu gentili non Christiano. Quia agitur de eo Magistratus jure, qui est à Deo. At non tantùm Magistratus Ethnicus à Deo est, sed & Christianus. Imò verò Christianus vel maximè à Deo est.

II. Probatur autem non delinquere Magistratum Christianum contra leges & mandata Christi, si gladio utatur ad puniendum facinorosos, ad defendendum bonos. 1. Quia ipse Christus capitalia supplicia in Nov. Test. sancivit. *Mat.* 15. *v.* 4. *Qui maledixerit Patri morte moriatur.* Dices unius hic tantùm legis mentio. *Resp.* Nihil refert, quia quæ ratio unius, ea ratio omnium: si unius legis violatio à Magistratu capitali supplicio affici queat, cur non & reliquæ?

III. 2. Quia hâc fini scriptum extat *Gen* 9. 6. *Qui effuderit sanguinem hominum ejus sanguis per hominem*

III. Fœdus novum, quod cum genere humano factum est, aliàs fædus gratiæ vel Evangelicum appellari solitum Theologis, non demum temporibus Christi in carnem missi, cæpit; sed à Deo in Paradyso cum homine recens lapso institutum, triplici formâ ab Adamo scilicet ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Mosen, à Mose ad Christum fuit administratum.

IV. *Illa* administrationis forma brevissimis sed luculentissimis verbis *semen mulieris caput serpentis*, &c. concepta fuit, perpetuaque sed nudâ sacrificiorum serie sigillata. *Ista* & Promissionem, & obsequii conditionem, & sacrificia, & præter hæc peculiare fæderis sigillum circumcisionem continebat. *Hæc* verò prioribus duabus perfectior, non Paschatis tantùm, sed & quam plurimis aliis mortis Christi typis aucta fuit.

Caput. I.

De Præceptis Christi quæ lege addidit.

QVæst. 1. *Quænam sunt perfecta mandata Dei per Christum patefacta.*

Resp. *Pars eorum continetur in præceptis à Mose traditis, una cum iis quæ sunt eis in novo fædere addita: pars verò continetur in iis, quæ peculiariter ipse Christus præscripsit.*

I. Quomodo Christus opus habuit revelare, quæ jam antea per Mosen clarissimè fuerunt revelata? Aut, si illa revelatio legis, quæ mediante Mose facta, Christum quoque habeat authorem, Christus tum per Mosen munus suum Propheticum jam exercuit, adeoque tempore Mosis fuit.

II. Præsupponit falsam hypothesin, Christum legi Mosis quippiam addidisse, quod eam quoad essentiam perficeret; cùm ea quæ in Novo Testam. reperiuntur, vindiciæ tantùm sint corruptelarum Judaicarum, non perfectionis, sed explicationis loco additæ.

rei, quod Christus homo verus sit, spei nostræ certa eaque incorrupta subsequatur confirmatio, quæ adversâ sententia prorsus convellitur, & tantum non tollitur.

Quæst. 97. *Qui verò istud?*

Resp. *Hac ratione, quòd ex adversa sententia sequatur Christum Iesum non esse verum hominem. Etenim cum in Christo negent personam hominis, quis non videt eos unâ eademque operâ Christum verùm hominem negare? Nec enim verus homo esse potest, qui hominis personâ careat. At si Christus verus homo non fuisset, nec mori, ac proinde ne à mortuis quidem exsuscitari potuisset. Vnde spes nostra, quæ resurrectioni Domini Iesu ceu basi cuidam ac fundamento innititur, facilè convelli ac ferè ruere posset. Ea verò sententia, quæ Christum pro vero homine agnoscit, qui in mundo existens, obediens fuit Patri usque ad mortem, eundemque mortuum, & à Deo à mortuis reductum, & immortalitate donatum asserit & certò statuit, spem nostram de salute æterna mirum in modum fulcit, & ante oculos nostros ipsissimam ejus rei imaginem proponit & constituit: nos etiam, licet mortales simus, & moriamur, nihilominus tamen â mortuis tempore suo resurrecturos, & in immortalitatis ejusdem, cujus ipse particeps jam extiterit, societatem esse venturos, si vestigiis ipsius institerimus.*

I. *Perspexi*, inquit, *Christum divinam naturam non habere.* Scilicet ex falsis super tam clara scripturæ loca glossematis; Utinam verò oculi tibi sint ut Jesum non tantùm Dominum, sed & Deum tuum, non qualemcunque, sed verùm, sed æternum esse videas, adeoque cognitione in qua est vita æterna imbuaris! sanè ea cogni-

gnitio majoris tibi foret ad salutem utilitatis.

II. Ex eo spes nostra salutaris haud parum habet firmamenti, quòd Christus sit verus homo, sed ex eo quòd Christus sit tantùm homo, omnis spes Christiana planè collabascit. Imò maledicta est spes nostra si in Christo tantùm homine confidat. Ut enim fidei, ita spei objectum solus est Deus. *In te Domine speravi.* Psal. 31. 2. Quod enim in Christo homine tantùm fundamentum spei residuum foret, cùm infinito Deo pro peccatis demerito infinitis λυτρὸν infinitum persolvendum esset? hostes infiniti essent superandi &c.

III. Ex sententia Orthodoxa quâ in Christo creduntur duæ esse naturæ, altera divina, altera humana, non sequitur Christum non esse verùm hominem. Etsi enim Christus, non assumpserit personam humanam, assumpsit tamen naturam humanam, ex carne & sanguine Mariæ virginis; adeo, ut nobis quoad naturam in omnibus sit similis, excepto peccato; quippe caro de carne nostra, os ex ossibus nostris.

IV. Ergo, quia Christus ex sententia nostra verus homo est, mori potuit: & quia Deus, se ipsum suscitare potuit: Unde spei nostræ major firmitas. Spes enim nostra resurrectioni Christi ceu basi ac fundamento nequaquam inniti potuisset, si se Christus merè passivè in resurrectione habuisset. Credimus Christum nos resuscitaturum, electosque vi resurrectionis ejus resurrecturos. At verò si Christus merus homo fuisset, nequaquam ejus resurrectio tantarum virium esse potuisset. Cum autem Christus ut caput nostrum vi propriâ resurrexerit, exinde spes nostra suffulcitur, nos quoque vi ipsius suscitandos. Mortuos enim suscitare virium est infinitarum. Quippe à privatione totali regressus non datur ad habitum, nisi per causam primam.

DE PROPHETICO IESU CHRISTI MUNERE.

Quæst. I. *Quæ spectant ad personam Christi intellexi: ad ea quæ muneris sunt ipsius progredere?*

Resp. *Optimè. Tenendum itaque tibi est, Christi munus*

in eo consistere, quòd is sit Propheta, Rex & Sacerdos noster.

I. Verba benè habent; sed latet anguis in recessu. Christum enim demum triennio ante mortem suam munere Prophetico fungi cæpisse docent; Regem & Sacerdotem verò nostrum demum in cælis post resurrectionem factum contendunt. De posterioribus hisce duobus erroribus in feriùs de officio Sacerdotali & Regio, suis locis agendum erit.

II. Propheta Cstristus esse cæpit, non eo demum tempore, quo ipse immediatè prædicavit, sed ab initio Ecclesiæ etiam veteris testamenti, mediantibus Prophetis, muneri Prophetico præfuit. Hinc spiritus Christi dicitur fuisse in Prophetis 1 Pet. 1. v. 11. *Per quem etiam in diebus Noe spiritibus qui sunt in carcere, prædicavit.* 1. Pet. 3. 19.

Quæst. 2. *Vbi verò Propheta in scripturis vocatur?*

Resp. *De hoc singulare extat testimonium, quod Petrus è Mose repetit, qui ad Patres loquutus est*, Act. 3. vers. 22. Deut. 18. vs. 18 Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, quemadmodum me, eum audietis, secundùm omnia quæ ad vos loquutus fuerit.

Quæst. 3. *In quo verò consistit munus Christi Propheticum?*

Resp. *In eo quod nobis voluntatem Dei perfectè manifestavit, & confirmavit.*

I. Hæc tantum pars est officii Christi Prophetici, externa sc.; Altera, ex qua Deitas Christi Deo Patri æqualis demonstratur ab Adversario subdolè reticetur, nimirum, interna cordium illuminatio, de quâ muneris Christi Prophetici parte agitur Joh. 1, 9. *Illuminat omnem hominem venientem in mundum.* & Luc. 24. vs. 45. *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent scripturas.*

Quæst.

Quæst. 4. *Vnde apparet Christum nobis Dei voluntatem perfectè manifestasse?*

Resp. *Hinc quod ipse Iesus perfectissimâ ratione eam â Deo in cælis sit edoctus, & ad eam hominibus publicandam è cælo magnifice sit missus, & eam perfectè iisdem enarrarit. Quod ex nominibus, quæ ipsi in scriptura attribuuntur, apertissimum est, cum eum* sermonem Dei, Deum, & Dei Filium, imaginem Dei inconspicui, splendorem gloriæ Dei *scriptura vocat & cum asserit,* omnem plenitudinem Deitatis in eo habitare corporaliter, *id est, quod in doctrina ipsius tota Dei voluntas integrè, & reipsa est patefacta.*

F. I. Ratio ob quam Christus Socinianis perfectus Propheta, qui voluntatem Dei perfectè explicâvit, hæc scilicet est; Quia Christus antequam munere Prophetico fungi inciperet in cælum fuit raptus ad Patrem, ibidemque à Patre, de omnibus, quæ se, quæ nos concernerent fuit edoctus, ac postmodũ cum plenaria illa voluntatis Dei manifestatione inmundum missus. At somnia ista sunt Sociniana.

II Quia scriptura ejus rei (cur scilicet Christus nobis voluntatem perfectissimè fecerit manifestam) causam non tradit raptum quendam Christi in cælum, sed plenissimam Spiritu Sanct. inunctionem. *Luc. 4. 18. Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut Evangelizem* &c. Quia sc. Spiritus *Christo non admetitur.* Joh. 3. 34. Sed unctus est eo *præ consortibus suis.* Psal. 45. 8. Heb. 1. 9. Act. 10. 38.

III. 2. Non meminerunt scriptores sacri aliùs translationis sive raptus Christi in cælum, quàm qui expletis quadraginta post resurrectionem diebus contigit. Illius nec vola nec vestigium extat in scriptura; imò verò expressè dicit Apostolus ad *Heb. 9. v. 12.* quod *semel* ingressus sit in sacrarium. In scripturis alioqui referri solent, quæ minoris momenti esse videntur, ut mirum sit, tam augustam Christi initiationem in cælis factam, uti ajunt, non esse descriptam, imo ne nominatam quidem, maximè, cùm non parùm faciat ad

commendandam nobis & omnibus hominibus à Christo promulgatam religionem, ut loquitur Smalcius sub fin. cap. 4. lib. de dinit Christi.

IV. Raptus illius & plenariæ post raptum de voluntate Dei instructionis ejusq; postmodum perfectæ revelationis ratio non exponitur epithetis, quibus S. S. Christum insignivit, ver. g. cum dicitur *sermo Dei*, *Deus*, *filius Dei*, *imago Dei inconspicui*, *splendor gloriæ Dei*: itemque cum scriptura dicit, *in eo omnem plenitudinem Deitatis habitare corporaliter*. Rationes veras harum nomenclationum supra fusè explicavimus, hic non repetam.

V. Quo fine Christus antequam munus suum obiret in cælum raptus fuit, quæro? *Ut à Deo disceret, quæ nos docuit*, respondet Smalcius. At verò hoc quod ante eum ascensum noverat discere non opus habebat. Novisse Christum ea constat *Luc. 4. v. 1. Iesus autem plenus Spiritu Sancto reversus à Iordane, & actus est ab eodem Spiritu in desertum.* Cum etiam Christus baptizatus esset, audita est vox Patris: *Hic est Filius meus, in quo acquiesco.* At quomodo Pater acquiescere potuit in eo qui voluntatis suæ ignarus esset? Hinc etiam puer adhuc duodecennis admirabilis suæ scientiæ insigne edit specimen *Luc. 2. v. 47.* cum doctissimis Judæorum disputando, adeo, ut super intelligentia & responsis ejus, omnes qui eum audiebant, percellerentur.

VI Si Christus raptus fuisset in cælum è terra, ibidem de voluntate Dei edocendus, deque cælo iterum in terram descendisset, utique id aliquando insinuasset voce *rediendi*, dixisset inquam, è cælo *redii*, *reversus sum*, *iterum veni* de cælo, quemadmodum Samaritanus dicit *redibo*. Luc. 10. 35. At Christus nuspiam ullâ voculâ utitur, quâ dicat, *se rediisse*, sed simpliciter *exivi* à Patre & *veni* in mundum, *iterum* relinquo *mundum*. Quemadmodum hic Christus voculâ *iterum* expressit reditum suum in cælum, eadem proculdubio reditum suum è cælo significasset.

Quæst. 5. *Ubi verò scriptum est Christum fuisse in cælo & è cælo missum.*

Resp. *Ioh. 6. 38.* Descendi è cœlo, non ut faciam voluntatem meam, verùm ejus qui misit me. *& inferius v. 62.* Cum ergo videritis filium hominis ascendentem

tem ubi erat prius. *Et cap.* 3. v. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis, qui fuit in cœlo. *Et inferius* ℣. 31. Qui è supernis venit, supra omnes est: qui de terra est, & terrena loquitur: qui de cœlo venit, supra omnes est. *Et* cap. 8. ℣. 28. Sicut me docuit Pater meus, hæc loquor. *Et c.* 16. v. 28. *Exivi à Patre & in mundum veni, rursus relinquo mundum & abeo ad Patrem.*

I. Audio his sententiis Christum profiteri, se cælitus venisse, sed non audio, eum dicere, se antequam è cælo descenderet, eò raptum ut Euangelium disceret. Nullo horum dictorum Christus dicit se è cælo *rediisse*, sed *venisse* tantùm. Unde nos pro divinitate ejus argumentamur: Christus è cælo descendisse toties dicitur; quo autem respectu? non carnis & quâ homo, sic enim è virgine natus est, & è cælo non venit. Ergo alterius respectu de cælo descendit, scilicet ratione divinæ naturæ, non quidem *motu locali*, sed partim *humana natura assumptione*, partim *voluntariâ humiliatione*.

II. Sed forte locus *Joh. 8. 28. Sicut me docuit Pater meus, ita loquor* Sociniano dogmati favet. Quòd scilicet in cælo voluntatem Patris didicerit, eò scilicet fine eo raptus. Minimè. Damus libenter filium à Patre doctum: sed non hoc est quod quæritur; verùm, an Christus in cælum raptus ibidemque doctus fuerit? Illud dicit Christus, non hoc.

Quòd alibi Smaleius urget, debuisse Christum in cælum rapi, ne minor esset Paulo, qui in cælum raptus, ut ibidem, de iis quæ postmodum prædicaret, edoceretur, ad rem nihil facit. Quia Paulus, non fuit raptus in cælum, ut ibi doceretur quæ alios erat docturus; cùm dicat, se ibi, quo raptus erat, audivisse *ineffabilia verba, quæ non liceat homini eloqui*; 2 Cor. c. 12. Ergo non talia quæ doceret alios. De Mose etiam quod adfert eum in monte fuisse edoctum, antequam ipse Doctor populi fieret, alia est ratio. Moses extraordinariè instituì necesse habebat, quod de Christo ad eum modum non erat necesse, quandoquidem à primo conceptionis momento Spiritu S. unctus fuit.

Nec

cipiunt de rebus immutabilibus & omnium gentium communibus.

III. Ratio est. 1. Quia si omnes leges judiciales in universum dicerentur abrogatæ, sequeretur nullas leges judiciales traditas in verbo Dei, quod si verum, quomodo scriptura perfecta, continens perfectè, omnium virtutum moralium præcepta? 2. Si leges judiciales omnes sunt abolitæ. Ergo magistratus Christianus in pænis infligendis, itemque in judicando nullam certam habebit regulam, sed quod pro libitu unius cujusque magistratus fiet, justè factum censeri debebit. At hoc planè absurdum est. Ex hac enim hypothesi, etsi adulterium, homicidium, furtum, sit capitale in hac republica vel regno, in alio contra, utrobique tamen, quod statutum est, justum erit. Imò verò si aliquod delictum hodie sit capitale, cras secus, etiam hoc justum censeri debet. Voluntas enim Magistratus regula summa justitiæ foret, nisi regulam habeat ad quam judicia sua examinet. Vide Locorum Commun. scriptores. Sed abolitionis causas ex ore Smalcii audiamus. Quærit.

Quæst. 9. *Quænam sunt eæ causæ?*

Resp. *Tres potissimum.* Prima *quod sub prisco fœdere rigor & severitas locum habuit, in novo verò fœdere gratia & misericordia.* Secunda, *quod sub novo fœdere facta sit promissio perfecta vitæ æternæ, quàm antiquum fœdus non habuit, nihil expressè aliud promittens quàm hujus vitæ bona temporia, ut infra patebit.* Tertia, *quod sub vetere fœdere populus Dei & rempubl. terrenam & illius formam à Deo præscriptam & constitutam habuit, quâ repub. deficiente & ipsæ leges ac judicia ad eam constituendam introductam evanuere.*

I. Prima ratio nulla est Quia nec in V. nec in Novo Testam. gratia & misericordia rigori & severitati quâ advertendum est in delinquentes Magistratui, repugnant. Lex Charitatis non adversatur, legi justitiæ: nec Magistratus secundùm leges judi ans immi-

immisericors & præposterè vel rigidus vel severus dici potest.

II. Secunda ratio planè falsa. In novo scilicet fœdere tempore N. Test. demum factas promissiones vitæ æternæ, quas non habuerunt Veteris Test. homines. Quia vero autor probationem istius aliò reservat, nos eousque etiam refutationem differimus.

III. Tertia aliquid facit pro abolitione legum, quas diximus, specialium, non verò communium quarum vigorem etiam in N. Test. supra allatæ evincunt rationes.

Quæst. 10. *Ergo Magistratus & reipubl. terrenæ regimen evanuit?*

Resp. *Nequaquam, cum omnis potestas à Deo sit* Rom. 13. 1. *& potest ipse Christianus Magistratum gerere, modo in ipso capessendo, & administrando ita se gerat, nequid contra leges & Christi mandata delinquat.*

I. Speciosè hæc dicuntur. Licere Christiano Magistratus munere fungi, sed ita, nequid contra leges & Christi mandata delinquat. Rectè. Quid autem illud est quod Magistratum contra leges & mandata Christi delinquere censes? Scilicet supplicio capitis afficere sontes. At verò Magistratum gerere, & non habere jus gladii ad puniendum facinorosos in compatibilia sunt. Vide *Rom. 13. 4.* Nec est quod dicas: Rem esse cap. citato de Magistratu gentili non Christiano. Quia agitur de eo Magistratus jure, qui est à Deo. At non tantùm Magistratus Ethnicus à Deo est, sed & Christianus. Imò verò Christianus vel maximè à Deo est.

II. Probatur autem non delinquere Magistratum Christianum contra leges & mandata Christi, si gladio utatur ad puniendum facinorosos, ad defendendum bonos. 1. Quia ipse Christus capitalia supplicia in Nov. Test. sancivit. *Mat. 15. v. 4. Qui maledixerit Patri morte moriatur.* Dices unius hîc tantùm legis mentio. *Resp.* Nihil refert, quia quæ ratio unius, ea ratio omnium: si unius legis violatio à Magistratu capitali supplicio affici queat, cur non & reliquæ?

III. 2. Quia hâc fini scriptum extat *Gen 9. 6. Qui effuderit sanguinem hominum ejus sanguis per hominem*

III. Fœdus novum, quod cum genere humano factum est, aliàs fœdus gratiæ vel Evangelicum appellari solitum Theologis, non demum temporibus Christi in carnem missi, cæpit; sed à Deo in Paradyso cum homine recens lapso institutum, triplici formâ ab Adamo scilicet ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Mosen, à Mose ad Christum fuit administratum.

IV. *Illa* administrationis forma brevissimis sed luculentissimis verbis *semen mulieris caput serpentis*, &c. concepta fuit, perpetuaque sed nudâ sacrificiorum serie sigillata. *Ista* & Promissionem, & obsequii conditionem, & sacrificia, & præter hæc peculiare fœderis sigillum circumcisionem continebat. *Hac* verò prioribus duabus perfectior, non Paschatis tantùm, sed & quam plurimis aliis mortis Christi typis aucta fuit.

CAPUT. I.

De Præceptis Christi quæ lege addidit.

QVæst. I. *Quænam sunt perfecta mandata Dei per Christum patefacta.*

Resp. *Pars eorum continetur in præceptis à Mose traditis, una cum iis quæ sunt eis in novo fœdere addita: pars verò continetur in iis, quæ peculiariter ipse Christus præscripsit.*

I. Quomodo Christus opus habuit revelare, quæ jam antea per Mosen clarissimè fuerunt revelata? Aut, si illa revelatio legis, quæ mediante Mose facta, Christum quoque habeat authorem, Christus tum per Mosen munus suum Propheticum jam exercuit, adeoque tempore Mosis fuit.

II. Præsupponit falsam hypothesin, Christum legi Mosis quippiam addidisse, quod eam quoad essentiam perficeret; cùm ea quæ in Novo Testam. reperiuntur, vindiciæ tantùm sint corruptelarum Judaicarum, non perfectionis, sed explicationis loco additæ.

tum per modum mandati exposuit. *Exod. 21. 12. Levit. 14. 17. Num. 35. 16.* 3. Quia si nuda hîc esset comminatio divino mandato opposita, falsum aliquid comminatus fuisset Deus, quia non cujuslibet homicidæ sanguis per hominem actu, effunditur. 4. Quia sic licentiam peccandi contra sextum præceptum Deus indulsisset, & promiscuè proximum occidere fas esset. Simile judicium esto de loco Math. 26. 52.

XI. Imò inquiunt ratio quæ *Gen. 9.* homicidii dissuasoria est, *quia homo ad imaginem Dei conditus,* etiam Magistratui jus adimit hominem gladio puniendi, si quidem eum interficiendo imaginem Dei destrueret. *Resp.* Destruit quidem imaginem Dei, sed non privato ausu, verùm authoritate divinâ, quia scilicet Deus imaginem suam in tali vult nomine suo destructam, qui aliam sui similem propria destruxerat petulantiâ. Commentarius super primum decalogi præceptum quæstionibus, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. sano sensu tolerari potest. Deum scilicet solum pro nostro Deo habendum, eumque solum cultu adorationis, corporis externo, cordis interno esse colendum. Igitur ad ea quæ isti præcepto à Christo addita pergamus.

Quæst. 19. *Quid verò ad hæc addidit Dominus Iesus?*

Resp. *Primum hoc, quod nobis certam orandi rationem præscripserit.*

Quæst. 20. *Quæ vero isthæc est?*

Resp. *Ea quæ* Math. 6. 9. *& seq.* & Luc. 11. 2. & *seq. habetur* Pater noster, qui es in cælis.

I. Puduit hîc Smalcium dicere, quod rotundis verbis dicit lib. de divinit. Christi cap. 5. legem nusquam præcepisse adorationem, sive ut mentem ejus exprimam, in Vet. Test. non fuisse præceptam orationem. Quæ assertio quàm sit absurda ex ipsa Catechesi evinco. Dicit: Præcepto primo contineri Deum pro nostro Deo habendum, nullumque alium præter eum cultu divino afficiendum, quæst. 12. Si nemo præter eum cultu divino afficiendus. Ergo ille eo afficiendus est solus. Benè habet. Quâ verò in re consistit iste cultus ex te, tecum quæro quæst. 14? Respon-

spondes ibidem: *Breviter loquendo in adoratione.* Jam, si cultus adorationis primo præcepto præcipiatur, quomodo adorationem nusquam præceptam in Vet. Test. dicere audes?

II. Sed qui sine fronte est, ea etiam, quæ indubiæ sunt veritatis, negat. Etsi negare non possit praxin orationis credentium in Vet. Test. Quid enim, non mandatam dices orationem? *Psal. 50. 15. Invoca me* Esai.55 6 *Invocate eum dum propè est.* Argumentum dedicationis templi Salomonis inter alia erat, ut Deus preces illo loco fusas vellet sibi esse gratas, *1. Reg. 8. v. 33. 35.* quòd Deo ita gratum fuit, ut ad illud responderet; *si oraverint & requisiverint faciem meam, vicissim ego exaudiam è cælis, condonabo peccatum eorum 2. Chron. 7. 14.* Hinc templum Hierosolymitanum בית תפלה *Domus orationis* dicta *Esai. 65. 7. Math. 21. 13.* Exempla orantium in Vet. T. Abrahami, Mosis, Davidis, Danielis &c. clariora sunt quàm à Sociniano Spiritu obscurari queant.

III. Esto, inquies, fuerit oratio in V. Test. non tamen fuit certa orandi formula, quæ demum à Christo præscripta est in N. T. & hæc additamentum est primi præcepti. At quod *Resp.* Ut ut *hæc* precatio & formula invocandi Deum non fuerit, fuerunt tamen multæ aliæ, ut è Psalmis Davidis liquet precum formulæ. Si *Excipias* Psalmos esse *commemorativos* tantùm beneficiorum Dei, & proinde laudum Dei *decantatorios Resp.* Non omnes, sed plurimos etiam esse *supplicatorios.*

IV. 2. In Oratione Domini spectatur tum *materiale*, tum *formale.* Formale equidem istius orationis non fuit in Vet. Test. hoc est, totidem verbis & eo ordine non fuit concepta ista oratio; fuit tamen quoad materiale, hoc est, res istis petitionibus contentæ, precibus fidelium Veteris Ecclesiæ à Deo fuerunt requisitæ: Et nullum membrum est orationis istius, quod non sparsim in Psalmis reperiatur. Sic *primæ* duæ petitiones reperiuntur in omnibus iis Psalmis, quibus cunctæ gentes ad confitendum nomen Dei invitantur, *Psal. 9. 12. & 12 28. & 100. 1.* Exempla nominis Dei sanctificati sunt *Num. 20. 12 & 27. 15. Deut. 32. 51.* Ad *tertiam* petionem pertinet totus *Psalmus 119.* quo David frequenter petit ut Deus voluntatem suam flectat ad statuta sua, quod nihil est aliud, quam id quod nostrâ petitione, *fiat voluntas tua contineatur. Quarta* petitionis materia est *Psal. 104. & 144.* exemplum *Prov. 30. 8, 9. Paupertatem aut divitias ne des mihi, ale me cibo demensi mei* &c. Id sanè conforme est

nem funditur, ſcilicet à Magiſtratu ad jus dicendum & puniendum tales conſtituto, *qui gladium non fruſtra gerit*. Si enim de privato quovis hoc intelligendum eſſet, vindicta privata, quæ aliàs ſeriò interdicitur, hîc præciperetur. Non etiam per modum prædictionis hoc accipiendum eſt, talem ſc. homicidam non effugiturum alterius homicidæ manus violentas; cùm frequenter contrarium fieri experientia doceat; & in infinitum proceſſus daretur.

IV. Verum equidem eſt loco allegato non nominari disertè perſonam, cujus opera ſanguis homicidæ effundendus ſit, alibi tamen hæ partes ordinario aſſignantur Magiſtratui. *Exod. 24. 12. 15. 22. Deut, 19. 12. 13. 1. Pet. 2. 14.* At, inquies, vindicta hæc non ſemper irrogatur per Magiſtratum à Deo. Ita eſt. Quia aliquando Magiſtratus hâc parte non facit quod ſui eſt officii; aliquando multitudine peccantium impeditur, quo minus juſtas de iis pænas ſumere queat; aliquando ipſe Magiſtratus crimina morte digna committit; aliquando etiam talia peccata celantur, quo minus magiſtratui innoteſcant.

V. Quod ſi autem magiſtratus non animadvertat, quod de jure & poteſt & tenetur in tales, in eos ipſe Deus miris modis animadvertere quandoque ſolet, *ut homines ſanguinarii non perducant ad dimidium dies ſuos*. Pſal. 55. 24.

VI. 3. Quia dicitur *Math. 26. verſ. 35. Quicunque acceperint gladium, gladio peribunt*. Equidem Sociniani hoc dicto magiſtratui gladium excutere vellent, ſed locus clariſſimè eos tantùm ferit, qui gladium *accipiunt* privatâ authoritate, ex vindictæ cupiditate. De magiſtratu propriè dici non poteſt, quòd ſumat & accipiat gladium, ſed quòd eum habeat divinitus ſibi traditum & commiſſum, *Rom. 13. 4. Non ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit*. Illi gladium propriè accipiunt, quibus nec Deus, nec leges gladium porrigunt, qui privatâ authoritate eum ſtringunt, ſicut hoc loco nec Magiſtratus, nec leges Dei Petro gladium porrigebant, ſed ipſe proprio arbitrio eum accipiebat. Ergo hoc effato Chriſti jus gladii aſſeritur Magiſtratui, ut ſcilicet ille, qui privato ac temerario auſu gladio arrepto aliquem interficit, ipſe quoque ex ſententia & authoritate Magiſtratus, ſecundùm legem divinam, gladio pereat.

VII. 4. Quia habetur *Apoc. 13. 13. Si quis gladio occiderit*, oportet *eum gladio occidi*, ex voce *oportet* ſic argumentamur: *Oportet* aut ſigni-

est petitioni, *Panem nostrum da nobis hodiè*. Ad *quintam* petitionem *remitte nobis debita nostra* referri potest *Psalmus 32. & 51.* Sextæ & septimæ petitionis mentio fit, quoties vel David vel alii Sancti ex tentationibus, morbis, angustiis, ipsa denique morte se erui flagitant.

V. Exegesin orationis Dominicæ, quæ tolerabilis est à quæst. 21. ad 38. inclusivè prætereo, ad ea pergo, quæ nigro merentur notari calculo; sic enim pergit.

Quæst. 39. *Quid præterea Dominus Iesus huic præcepto primo addidit.*

Resp. *Id, quòd etiamnum Dominum Iesum pro Deo cognoscere tenemur, id est pro eo, qui in nos potestatem habet divinam, & cui nos divinum exhibere honorem obstricti sumus.*

I. Christum adorandum demum in N. Testam. præceptum esse falsum est. Psalmo 2. vs. 12. enim dicitur *Osculamini filium.* Et expresso mandato cultus Christi sancitur in V. Test. *Exod. 23. 21. Cave tibi ob præsentiam ejus, ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo Dices:* Hæc dicta de Angelo, ducente populum, *Resp.* Ita quidem, sed ille Angelus Christus fuit, quem etiam Israelitæ tentasse dicuntur in deserto. Vide supra cap. 1. de Persona Christi pag. 166, 267. Angelus inquam ille, quem invocavit Jacob nepotibus suis benedicens *Gen. 48. 16. Angelus ille qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis.*

II. Præterea, falsitas assertionis Socinianæ ex eo patet, quòd Christus adorationem & cultum divinum in Novo Testamento iisdem formalibus adserat, quibus cultus solius veri Dei in V. Test. sancitus est *Dominum Deum adorabis & illi* Soli *serves. Deut. 6. v. 3. Math. 4 v. 14.* quod fieri nequaquam posset, si adoratio Christi novum esset primi præcepti additamentum. Quæ de modo cultus Christi addit, itemque rationibus ob quas Christus adorandus sit, quæstionibus 39 & seqq. ad 45. sic satis rectè se habent, nisi quòd formalis ratio adorationis, nimirum Christi essentialis & Patri æqualis Deitas silentio sit præterita.

Quæst. 46. *Eâ verò additione, quòd Christum pro Deo agnoscere & eum cultu divino prosequi teneamur, nonne hoc præceptum prorsus immutatur?*

Resp. *Nequaquam ipsum præceptum immutatur, omnis enim qui Christo exhibetur cultus in Dei Patris gloriam redundat, verùm ipsius ratio & modus non nihil immutatus est. Etenim ante Christum immediatè tantùm, at sub Christo etiam mediatè Deus colitur. Præterea, cùm ea lex velit, ne Deos alienos habeamus coram Deo; Christus verò Deus alienus non sit, sed in eo ipso cultu, qui ipsi exhibetur, Deo sit subordinatus, apparet, legem nullo modo mutari, cùm subordinata non pugnare notissimum sit.*

I. Hâc quæstione duo noto. 1. Quòd dicat cultum Christo exhibitum in Deum redundare. Ad quem errorem vide quid responsum sit ad quæst. 92. capitis præcedentis, quâ dixerat, *imò Christo confidendo Deo confidimus.*

II. Dicit: *Ante Christum immediatè tantùm, at sub Christo etiam mediatè Deus colitur.* Falsum. Quia propter *illum Dominum* Daniel à Deo petit exaudiri *Dan. 9. v. 17.* Quid quòd Apostolus expressè dicat, Patres eodem modo per Christum salvatos ac nos *Act. 15. 11.* Jam, quæ ratio salutis ea ratio cultus. At salutis ratio mediata per Christum, ergo & cultus ratio mediata. *Et unus mediator* dicit Apostolus Dei & hominum 1. *Tim. 2. 5.* scilicet tum redemptionis tum intercessionis. Aut ergo Christus eorum, qui in Vet. Test. vixerunt, mediator fuit, aut mediatore caruerunt. Posterius absurdum, ergo prius verùm. Consequenter, cùm Christus mediator eorum fuerit, tum redemptionis tum intercessionis, falsum est, quòd immediatè Deum coluerint & non immediatè æquè ac in N. Testamento. Radiat hâc fini sole clarius locus ex *Psal. 84. 10. Scutum nostrum aspice, o Deus, & intuere faciem Christi tui.*

III. Omnis ille qui non est naturâ Deus, ille est Deus à natura rei Dei alienus. Christus, ex con-

concessis Socinianis non est naturâ Deus. Ergo est Deus alienus, & proinde, quâ talis, cultus ejus præcepto primo prohibetur. Christum equidem quà mediatorem Deo subordinatum esse verum est; sed tamen ratione absolutæ naturæ, est æqualis cum Patre majestatis, ac proinde eodem & non subordinato cultu afficiendus.

IV. Ergo frustra est quæst. 47. in ostendendo discrimine cultus Deì & Christi, quasi verò Deus colatur ut causa prima salutis, Christus tanquam secunda. Cùm & ipse Christus causa prima sit salutis nostræ: nec particulâ *per* eum mediam causam salutis nostræ, quod innuere videtur Smalcius, efficit; cum *per* æquè principalem causam arguere supra aliquoties sit ostensum.

V. Eos homines qui Christum non invocant Catechetes prorsus non censet esse Christianos. quæst. 48. Quid ergo nobis de Socinianis, Christum, ut Deum verum, ut causam primam salutis non adorantibus statuendum sit, eo judice habemus; nimirum, eos Christianos non esse. At inquies: imò verò Christum invocamus. Regero. At non ut naturâ Deum; eum autem qui adorat eum, qui naturâ Deus non est, Christianus non est. Apostolus enim id exprobrat Ethnicis, quòd talibus servierint diis, qui naturâ dii non erant.

VI Quòd autem distinctione cultus, qui debetur ut causæ primæ & ut causæ secundæ elabi conantur, ineptum planè est; cùm distinctio præter imò contra scripturam, sit commentitia. Dices, mandat Deus cultum Christi. At non, ut qui causæ secundæ debetur. Imò eo ipso, quia eum coli & adorari jubet, eum æqualis secum naturæ & divinitatis constituit.

VII. Quæ quæst. 39. disputat contra Pontificios, neminem præter Deum & Christum colendum esse, exclusivè ad Spiritum Sanctum malè, sed exclusivè ad creaturas cujuscunque sint generis rectè dicitur: Nec Christus tantùm propterea adorandus est, quòd illi divina in nos potestas data sit, puta mediatoria, sed quòd illi essentialis & æqualis, tum ratione creationis, tum conservationis cum Patre in nos sit potestas. Virgini Mariæ, reliquisq; Sanctis, potestatem nullam divinam in nos concessam, cultum divinum nullum illis tributum statuenti Smalcio adstipulamur quæst. 50, 51.

VIII. Sensum præcepti secundi non malè explicat Smalcius quæst. 52. ad 58. inclusivè. Perperam verò id additum isti præ-

 cepto

cepto pertendit, Imagines non solùm adorandas esse, sed etiam fugiendas. Quid enim expressiùs caveri potuit super eo argumento in Nov. Test. quàm id quod strictissimâ lege severissimè prohibuerat Deus Deut. 12. ⅴ. 2. *Omnino perdite omnia illa loca, ubi gentes, quas hæreditario jure possessuri estis, coluerunt Deos suos, in singulis montibus excelsis, & in singulis collibus, & sub quaque arbore virente. Diruetis altaria eorum & confringetis statuas eorum, & lucos eorum comburetis igne, ac sculptiles Deos illorum succidetis, sic perdetis nomen eorum è loco illo.* Ubi inquam clariùs prohiberi potuit idolorum & imaginum fuga, quàm eo loco, quo Deus eas ita vult eradicatas, ut ne nomen quidem earum supersit? Ergo fuga imaginum non est additamentum secundi præcepti.

IX Recitatio tertii præcepti, quæst. 61. vera est, sed glossa super illud quæst. 62. falsa. Quod enim dicit, *Nomen Dei in vanum sumere, esse Deum testem in vocare in rebus falsis*, partem tantùm veri dicit: & explicatio hæc nimis angusta est. Quia etiam notat Deum testem invocare in rebus veris, sed *vanè* & *leviter*. Respicit autem Catecheseos glossa ad vocem שָׁוְא, somniatque eam in præcepto tertio usurpatam significare tantùm *falso* & *mendaciter*. At verò, 1. ipsi Sociniani reddiderunt לַשָּׁוְא *in vanum*. 2. Sicut ipsa vox *vani* in latino sumitur tum *pro re falsa*, tum etiam *pro re levicula, inutili, minusq; necessaria*: Ita illâ etiam vox שָׁוְא semper utramque significationem habuit & *mendacii* & *rei vanæ, frustraneæ* ut *Iob. 7. v. 3. Iob. 15. 31. Psal. 60. 13.* & *89. 48.* & *127. 2. Esai. 1. 13.* & *5. 18.* & *59. 4. Ier.* & *4. 30.* & *6. 29.* & *46. 11. Malach. 3. 14.* Consequenter nomen Dei in vanum sumit, non tantùm qui super rebus falsis Deum testem invocat, sed etiam qui Deum testem invocat super rebus veris, sed leviculis, minusque necessariis.

Quæst. 63. *Quid huic præcepto additum sub novo fœdere?*

Resp. Primo *quòd non solum Deum, verum etiam Dominum Iesum Christum in testimonium vocare possimus, cùm Dominus Iesus corda & renes scrutetur* Apoc. 2. 23 Deinde *quòd nobis non solum peierare non liceat; verum etiam ne in veris*

veris quidem jurare, nisi longè gravissimis causis adactis, iisq; quibus Dei gloria nitatur, ad idque non temerè, verùm cum magno Dei metu & cautione summa accedendum.

Quæst. 64. *Vbi ea de re scriptum est?*

Resp. *Math.* 5. *v.* 33, 34, 35, 36, 37. Audistis dictum fuisse antiquis, non peierabis, sed reddes altissimo vota tua, Ego verò dico vobis: ne juretis omnino: neq; per cœlum, cùm sit thronus Dei: neque per terram, cùm sit scabellum pedum ejus: neque per Hierosolymam, cùm sit urbs magni regis: neque per tuum ipsius caput jurabis, cùm nec atrum nec album pilum facere queas. Sermo verò vester sit, Ita, Ita: Non, Non: Quod verò supra hæc est, à malo est.

Quæst. 65. *Ergo cum Dominus jurare vetet omninò, Vnde probabis in gravissimis licere jurare?*

Resp. *Ea vox* omninò *non eum sensum habet, ac si nullo modo jurare liceret. Est enim opposita juramentis spontaneis & è levitate proficiscentibus, qualia modò vera essent, lex Mosaica non prohibebat, cui hâc in parte Dominus Iesus suam doctrinam opponit. Præterea legimus Apostolos jurasse ut videre est*, Rom. 1. 9. 2. Cor. 1. 23. & c. 11. 31. Phil. 1. ℣. 8. 1. Theff. 2. ℣. 5. 10.

Quæst. 19. *Cur verò Dominus Iesus etiam in veris ultrò ac leviter jurare vetat?*

Resp. *Vt nomen Dei altissimi & ipsius* Domini *Iesu apud*

nos sit in summa veneratione: deinde ne levitate jurandi pejerare consuescamus.

I. Hæc est doctrina Socinianorum de sensu & additamentis tertii præcepti. Nimirum etiam Dominum Jesum nos in testimonium vocare posse, eò quòd corda & renes scrutetur. De eo an in testimonium vocari debeat quæstio nulla. Debet. Quia cordium scrutator, adeoque Deus; nemini enim scrutinium cordis præterquam soli Deo competit. 1 *Reg.* 8. 39. *Tu enim nosti* solus *animum omnium filiorum hominis*, quo sensu etiam Deus Apostolo SOLUS *sapiens* dicitur *Rom.* 16. 27.

II. Sed hæc est quæstio; An id additum sit tertio præcepto, quod Dominus Iesus in N. Test. etiam debeat in Testimonium vocari? Affirmat Smalcius. Nos negamus. Si enim in Testimonium vocari debet, eò quòd sit *scrutator cordium & rerum*, talis autem Christus non cœperit esse in tempore, sed fuit ab æterno: nec id per *beneficium* illi fuit collatum, sed habuit per *naturam*, sequitur ejusmodi invocationem in testimonium Christo etiam in Vet. Test. competiuisse, adeoque tertio præcepto jam comprehensam, non à Christo demum additam esse.

III. Deinde, Præcepto tertio additum ait: *Nobis non solùm licere pejerare, verùm etiam ne in veris quidem jurare*, &c. Hìc sunt vera mixta falsis. Verùm est: 1. Nobis non esse pejerandum. 2. Ne in rebus veris quidem leviter esse jurandum, idque ut rectè dicit, ut nomen Dei apud nos sit in summa veneratione, nec levitate jurandi pejerare adsuescamus. 3. Jurare licere in rebus gravissimis.

IV. Falsum autem est, juramentum in rebus veris levioribus in Vet. T. non fuisse prohibitum, adeoque id jam Christum præcepto tertio addidisse. Falsitas liquet. Quia שָׁוְא non tantum *mendacium*, & *falsum* significat, sed etiam illud, quod *leve*, quod *inane* est. Ergo etiam juramenta in rebus levioribus fuere vetita.

V. Credibile enim non est Deum in Vet. Testam. jurandi levitatem permisisse, vel pro peccato non habuisse, cùm ipse omnis levitatis sit hostis, & semper voluerit hominem frænare linguam suam *Psal.* 34. 14. *Custodi linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur fraudem.*

VI. Quod si talis levitas in V. Testam. non fuisset prohibita, neque etiam tum peccatum fuisset;

set; quia ubi non est lex ibi nec transgressio legis *Rom. 4. 15.* Sanctus ille Syracides ex Mose proculdubio didicit levitatem in jurando suis prohibere. *Iuratione non assuefacias os tuum, & nominationi Sancti non assuescas.* Syrach. 23. 10. & vs. 17. *Imperitia temeraria non assuefacias os tuum* &c.

VII. Ratio quam allegat Catechetes cur scilicet levia juramenta etiam de veris rebus in T. Novo interdicta sint, etiam in V. Testamento obtinuit: ut scilicet *nomen Dei apud nos sit in summa veneratione, & ne peierare assuescamus.* Quid? an in Veteri Testamento Deus nomen suum in veneratione summa esse noluit? Neque ibi majestas Dei debebat vilipendi, in rebus nihili in testimonium citata. Quia in Vet. Test. Deus aeque est adorabilis venerabilis & honorabilis, quàm in novo. Deus aequè utrobique fuit osor levitatis in jurando commissae, quia natura Dei utrobiq; aequè pura & sancta.

VIII. Quare falsum planè est quod dicunt Sociniani, verba Christi *ne juretis omnino*, esse opponenda legi decalogi; opponenda enim sunt, verbis & sensui Pharisaeorum & levissimae eorum in jurando consuetudini. Nuspiam Moses juramenta ex levitate profecta concessisse legitur. Ergo Moses & Christus in prohibitione perjurii, & vani juramenti sibimet invicem opponi nequeunt, cum uterque & illud & hoc prohibuerit: sed Christi verba depravationibus pharisaeorum sunt opponenda, utpote quorum haec erat opinio, tantùm perjuria, non verò simul omnia juramenta alia in familiaribus colloquiis de rebus nihili & sine causa fieri solita vetita fuisse.

IX. Quaest. 67. Dicit non licere ullo pacto jurare per alios excepto Deo & Christo. Hactenus rectè, sed ratio ejus rei falsa. *Nec enim*, inquit, *Deus cuiquam id, ut scrutator cordium esset: Christo excepto, dedit.* Quia supponit, Christo, si Deus naturâ non esset, καρδιογνωσίαν quae est ἴδιον θεοῦ, soli & uni Deo altissimo competens 1. *Reg. 8. v 39.* communicari posse. Hoc verò factu est impossibile. Quia infinitum attributum in naturam finitam cadere nequit; nisi illa eadem operâ Deificetur, & ex finita infinita reddatur. Quia accidens latitudinem subjecti sui excedere nequit. Aut igitur Christus Deus est verus, Deo Patri coessentialis, aut scrutator cordium non est.

Quaest. 68. *Quod est quartum praeceptum.*

Resp. *Memento ut Diem Sabbathi santifices &c.*

Quæst. 69. *Quid verò de hoc præcepto censes?*

Resp. *Esse sublatum sub novo fœdere quemadmodum alias ceremonias ut vocantur, censeo.*

Quæst. 70. *Cur verò decalogo insertum est?*

Resp. *Ideo, ut absolutissimam legis Mosaicæ partem non fuisse patefactam appareret, & quoddam indicium extaret ejus rei, legem successuram legè Mosaicæ, longè perfectiorem, legem nempe Domini nostri Iesu Christi.*

Quæst. 71. *Nonne Christus constituit, ut diem quem vocant Dominicum Sabbathi loco obiremus.*

Resp. *Nullo modo: cùm religio Christi, quemadmodum alias ceremonias, uti vocantur, ita delectum dierum prorsus tollat, uti* Col. 2. ℣. 16. *apertè scribit Apostolus. Verùm cùm diem Dominicum antiquitus celebrari à Christianis videamus, nos eandem libertatem omnibus Christianis permittimus.*

I. Quartum præceptum non morale esse, sed ceremoniale, adeoque sublatum, quemadmodum alias ceremonias, dicit Catechetes Socinianus; sed ceremoniale hoc præceptum merè esse nego. Hactenus quidem ceremoniale est, quatenus cultum divinum restringit ad diem septimanæ ultimum; quod antiquatum esse a. Christo, qui Dominus est Sabbathi, largimur. Illud autem morale est in eo præcepto, diem scilicet ex omnibus unum cultui divino debere esse sacrum; at hoc abrogatum cum ceremoniis esse negamus.

II. Diem autem hunc ad quem vi istius præcepti moraliter obligamur Ecclesia esse voluit septimanæ primum, qui *dies Dominicus* dictus *Apoc.* 1. 10. non quòd hic dies naturâ reliquis sanctior esset, sed quòd convenienter hic dies cultui divino dicatus sit, quo Christus natus, circumcisus, quo Magis stella refulsit, quò prædicationis suæ initium fecerunt Apostoli, quo creatus est mundus, quo Deus sivit manna depluere, &c.

Apo-

III. Apostolicæ Ecclesiæ Exemplum, quæ eo die ad Deum religiosè colendum convenire solita fuit *Act. 20. 7.* & primo quoque die septimanæ collectas pro fratribus instituere *1. Cor. 16. 1, 2.* à Christo ipso profectum, fixum est, & immutabile. Quare in tam piam & antiquam consuetudinem arietare planè est temerarium. Potuisset Christus aut Apostolica Ecclesia universa, si voluisset, alium loco hujus statuere diem, quo ipso æquè satisfecisset morali obligationi istius præcepti; sed ex post facto, quum ejus rei utilitas nulla, imo verò, quia non nisi scandalum & scissio Ecclesiæ maxima inde expectari queat, meritò eum, qui antiquitus sacer habitus fuit dies, perpetuò sacrum esse sinimus.

IV. Præcipuè cùm hæc dies non observetur ut aliquid ceremoniale. Die enim uno hebdomadis cultui divino vacare est morale & perpetuum. Quod si ex vi & analogia hujus præcepti non rectè colligatur unum diem è septem divino cultui esse dicandum, tum nullus certus ex ullo præcepto dierum numerus limitari poterit, quod absurdum. *Secundò* quia sex dies laboribus concessi, qui numerus non constabit nisi terminetur quiete & cessatione alicujus septimæ diei, quâ tam homines quàm bruta nullâ quiete corporali habitâ continuis laboribus servi & bestiæ perpetuò fatigarentur.

V. 3. Quia ut tempore homo opus habet ad omnes suas actiones, præsertim externas, sic etiam ad cultum divinum externum peculiari tempore opus habet. Quare etiam, sicut Deus actionibus œconomicis tempus certum destinavit; ita etiam religiosis actionibus certam atque necessariam temporis circumstantiam præscripsisse censendus est. Hinc ipsi Ethnici lege naturæ tantùm imbuti, statos suos dies festos per omnia secula sacros habuerunt.

VI. Et quomodo lex ista merè ceremonialis dici potest, cùm praxi ejus tum etiam locus fuerit, quando ceremoniis Christum adumbrantibus locus nullus esset; Sanctum quippe habuerunt Patriarchæ diem septimum, quem Deus exemplo suo consecravit, *Gen. 2. 23.*

VII. Quantumvis autem Geneseos historia de tali Patriarcharum sanctificatione sileat, id tamen assertioni nostræ præjudicat minimè; quia in tam brevi compendio, rerum quæ circiter spatio bis mille & quingentorum annorum acta sunt, ejusmodi particularia nec potuerunt nec debuerunt scribi. Observationem etiam istius præ-

cepti liber Judicum non narrat, & tamen dubium nullum est, quin Ecclesia illo quoque tempore sui quod tum officii fuit, fecerit. Hinc sanctè habendum Sabbathum exigitur *Exod.16.24.30.* quorum versu posteriore expressus habetur respectus ad primam Sabbathi institutionem: *Considerate quia Jehova dedit vobis ipsum Sabbathum.* Quid quod verbum illud præcepti quarti *memento* neglectum sanctificationis Sabbathi directè perstringat.

VIII. Præterea morale esse hoc præceptum ex eo liquet, quòd inter moralia collocatum sit: Quippe constans est Theologorum sententententia, præcepta moralia à ceremonialibus & judicialibus seorsim fuisse tradita, ex quibus ne jota unum periturum salvator testatur *Mat.5.18.* Et decem verba vel præcepta moralia in decalogo contineri liquet *Deut.4.13.* & *10.4.* Si autem quartum præceptum ceremoniale sit, novem tantùm supererunt moralia præcepta.

IX. His ita se habentibus, ultimus dies hebdomadæ olim observatus fuit à tempore creationis primæ, quia Deus eo diè àb opere creationis cessaverat. Quod autem jam primus dies illi sit surrogatus id nequaquam humanâ authoritate factum esse censendum est sed divinâ. Quippe ejus tantùm authoritate fieri id potuit, qui Dominus est Sabbathi. *Marc.12.8.* sive id immediatè Christus fecerit, sive etiam mediatè per Apostolos id factum sit.

X. Si mutationem hanc ipsis Apostolis acceptam feramus, authoritate divinâ eam factam, censeamus oportet, quia tam in rebus cultus divini constituendis, quam in fidei rebus scribendis & docendis à Spiritu Sancto fuerunt acti. Quanquam institutionem hanc à Christo ipso manare verò verius habeam, eò quòd hæc dies per excellentiam *dies Dominicus* dicatur *Apoc.1.v.10.* non tantùm quia honori Christi dicatus, sed quia ab ipso Christo institutus; adeo, ut quemadmodum Cæna vocatur *Cæna Dominica* 1.Cor.11.20. quià scilicet à Domino Jesu fuit instituta, ita etiam dicitur hic dies *Dominicus*, quia à Domino institutus. Rationes ex Amesio huc adscribam.

XI. Quia non minus fidelis fuit Christus in tota domo, vel Ecclesia Dei ordinanda quoad omnia generaliter necessaria & utilia, quàm fuit Moses *Heb.3.2.6.* Sed hujus diei observationem generaliter vtilem esse, & aliquomodo necessariam Ecclesiis Christi, nemo Christianus potest cum ulla ratione negare. 2. Quia

Christus ipse post resurrectionem Discipulis suis in unum locum congregatis sæpius apparuit hâc ipsa die *Ioh.20.v.19.26.* 3. Quia Spiritum Sanct. super ipsos effudit hâc die, *Act.2.*

XII. 4. Quia in praxi Ecclesiarum tempore Apostolorum cùm mentio fit hujus observationis primæ diei *Act.20.7. 1.Cor.16.2.* non commemoratur ut nuperum aliquod institutum, sed ut res dudum recepta inter discipulos Christi. 5. Apostoli in rebus omnibus illa tradiderunt Ecclesiis, quæ acceperunt à Domino Christo *1.Cor.11.23.* 6. Quia ne ad unam quidem septimanam post Christi mortem differri potuit hæc institutio, ita ut maneret firma illa lex de una diè ex singulis hebdomadis sauctificanda, secundùm determinationem ipsius Dei: quam tamen legem perpetui juris esse fuit antea demonstratum. Sabbathum enim Judaicum respectu determinationis quam habuit ad diem septimum in Christi morte fuit abrogatum: quòd enim Apostoli aliquandiu postea die Sabbathi interfuisse leguntur cætibus Judæorum *Act.13.14.* & *16.13.* & *17.2.* & *18.4.* id eo nomine præcipuè fecerunt, quia tum optima fuit occasio Evangelium Judæis prædicandi, sicut etiam postea maximè cupiebat Apostolus Hierosolymis esse diè Pentecostes *Act.20.16* quia tum temporis eo in loco maximus futurus erat Judæorum concursus.

XIII. Si dilata fuisset diei Dominicæ institutio, donec Apostoli secessionem fecerunt à Judæis & seorsim habuerunt suos conventus *Act.18.6,7.* & *19.8.* ut quidam volunt, tum per totum temporis intervallum, quod inter Christi mortem, & separationem istam intercedebat, quod fuit ultra triennium, præceptum quartum neminem ad certæ alicujus diei observationem obligasset, quia dies Judaica jam fuit abolita, & ex hac sententia nulla fuit illi nova surrogata, atque ita nouem tantùm præcepta fuissent in vigore per totum illud spatium.

XIV. 8. Ratio ipsa mutationis hujus idem confirmat, quæ omnibus consentientibus ad resurrectionem Christi refertur: quia nempe istâ die creatio novi mundi vel futuri mundi *Heb.2.v.5.* in quo omnia facta sunt nova *2.Cor.5.v.17.* fuit perfecta, ita ut Deus jam in Christo à mortuis resurgente cessaverit vel quieverit ab opere ac labore suo maximo. Sicut igitur in initio creationis, cum quievit Deus ab operibus suis, tum benedixit ac sanctificavit diem illam, in qua

quievit; sic etiam par fuit, ut illâ ipsa diè quâ Christus quievit à suis laboribus, eandem ipsemet diem sanctificaret. Neque facilè rejiciendum est, quod ab antiquis quibusdam urgetur ex *Psal. 118. Hæc est dies quam fecit Jehova*; eo enim loco agitur de resurrectione Christi, Christo ipso interprete *Math 21.42*.

XV. 9 Maximè etiam consentaneum fuit ut ab illo institueretur dies cultus sub Nov. Test. a quo cultus ipse fuit institutus, & à quo omnis benedictio & gratia in omni cultu est expectanda. Rectè igitur Athanasius hom. de semente: *Diem Sabbathi, Dominus transtulit in diem Dominicam*

XVI. Adferuntur quædam ab Adversariis in contrarium sententiam ex *Rom. 14. 5. qui æstimant diem præ die*. Gal 4 10, 11. *Dies observatis & menses & tempora & annos*. Col. 2. vs. 15. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi aut novilunii aut Sabbathi. Resp* Apostolus ad *Rom. 14. v. 5.* expressè loquitur de illa æstimatione dierum, quæ offensionem tum temporis pariebat inter Christianos: at verò observatio diei Dominicæ, quam Apostolus ipse tum temporis in Ecclesiis obtinuisse docet *1. Cor. 16. vers. 1, 2.* non potuit ullam occasionem alicujus offensæ præbere.

XVII. Cùm quadruplex sit dierum observatio, *Naturalis*, quando dies observantur juxta cursum solis & lunæ, *Gen. 1. Civilis*, quando stata tempora ponuntur agriculturæ, nundinationis & mercatus; *Ecclesiastica*, quâ certi dies observantur ordinis causa, quibus homines ad cultum Dei conveniunt; iique dies sunt vel gratiarum actionis, vel humiliationis atque precum, quales dies observare non est vetitum, utpote quos etiam ipse Salvator exemplo suo videtur celebrasse Joh. 10. vs. 22. *Superstitiosa* dierum observatio duplex est, vel *Judaica* vel *Ethnica*. *Illa* quando stata observantur tempora, hâc opinione ut conscientia nostra obstringatur ad ea colenda, & quando cultus Dei collocatur in huius vel illius diei observatione opinione meriti. *Hæc* quum dies observantur vel ratione boni vel mali successus juxta constellationes motusq; siderum ex dictamine Planetariorum, Pauli mens est: Damnare 1 *Judaicum* observandi morem dierum his verbis: *observatis dies, menses, annos*; 2. Ethicum verò morem his verbis: *observatis tempora*, scilicet horarum, dierum, sub quo quis planeta natus est, easque horas, dies, homini vel faustos vel in faustos putatis; non autem abolet diem Dominicum.

XVIII. Loco ad *Collos. c. 2.*

agi-

agitur de Sabbathis illis ſpecatim, quæ ejuſdem generis fuerunt cum noviluniis & ceremoniales umbræ in Chriſto rerum futurarum; Sabbathum autem in decalogo præſcriptum & dies noſtra Dominica alterius ſunt naturæ, in quibus ſubſtantia eſt moralis. Breviter. Improbat Apoſtolus his locis non diſcrimina temporum, quæ Deus ipſe inſtituit, nec ſtatos dies feſtos in Eccleſia ordinis & doctrinæ cauſa inſtitutos, citra opinionem cultus, meriti, ſanctioris naturâ ſuâ æſtimationis, ſed ſuperſtitioſam dierum talium obſervationem, quâ putatur plus ſanctitatis ineſſe uni diei quàm alteri.

XIX. At verò contra iſta adhuc objici poſſit; *Gal. 5. 1. In libertate, quâ Christus nos liberavit perſtate, & regredientes ne implicemini ſervitutis jugo.* *Reſp.* Subjectam materiam determinare, agere Apoſtolum de *jugo ceremoniarum.* At ſanctificatio unius in ſeptimana diei non ceremoniale eſt, ſed morale ut ſupra oſtenſum. Neque verò ex noſtra ſententia quippiam imminuitur libertas Chriſtiana; non enim libertas eſt, ſed licentia non Chriſtiana, ſi qui liberari ſe putent ab obſervatione ullius præcepti Decalogi, aut ab inſtitutionibus Chriſti: nec Adam ulli ſervituti ſubjectus fuit, quòd diem ſeptimum ſingulari obſervantiâ ſanctificare tenebatur. *Deo, Magiſtratui ac legibus,* (maximè divinis) *parere, ſumma eſt libertas*: & jugum hoc Chriſti leve eſt.

XX. Quinto præcepto quod quæſtione 72. recitavit, 73, 74, 75, 76. explicavit, *Nihil additum*, inquit, *apparet. Nihilominus* addit, *ea omnia, quæ de ſubditis & Magiſtratu, de uxoribus & maritis, de ſervis & Dominis in literis divinis tradita ſunt, huc referenda videntur.* Ubi eandem noto contradictionem, quam Cl. D. Cloppenburgius Collega olim noſter, perſtrinxit Antiſmalcio ſuo Diſp XVII. th. 5. ad cap. 5. lib. Smalcii de divinit. Jeſu Chriſti, quo ita habet Smalcius. *Hoc* (ſcilicet præcptum) *quia ita comparatum eſt, ut perfici & augeri non poſſit, hodiè etiam ratum manet. Auctum verò & perfectum eſt à Chriſto* Conciliet iſta, inquit Cl. Cloppenburgius, qui poteſt.

XXI. Dicit Catechetes: *Nihil huic præcepto additum apparet*: addit nihilominus ea quæ de Magiſtratu, Uxoribus, Dominis & eorum correlatis ſcriptura tradit, huc referenda eſſe; Si mens ſit, ea huc referenda tanquam capita perfectionis & additionis, manifeſtè ſibi contradicit, ad quæſtionem, *Quid Dominus Ieſus huic præcepto addidit? Nihil huic additum apparet* reſpondens. Si verò intelli-

gantur huc referri debere, eò quòd præceptum quintum ambitu suo ea comprehendat, legis istius non erunt additio, sed explicacatio.

XXII. Ista autem non tantùm in Nov. Testament. ad hoc præceptum referri debent, sed etiam in Veteri ad hoc relata fuere. Quia per Synecdochen nomine Patris omnes superiores intelligendi sunt, Parentes, Magistratus, Ministri, ætate seniores, donis præcellentes. Officia autem his præstanda non esse præscripta in Vet. T. quid aliud est quam crassam prætendere scripturæ veteris ignorantiam. Itaque prætereitis quæstion. 73. & quæ agunt de mutuo Magistratus & subditorum, mariti & uxoris, Dominorum & servorum officio, ad sextum præceptum quæst. 84. *Non occides* propositum pergo.

Quæst. 85. *Quid huic addidit Dominus Iesus?*

Resp. *Ne fratri irascamur, neq; verbis asperis ex ulciscendi libidine prodeuntibus eum offendamus, quæ Dominus Iesus vocibus* Racha & fatue *expressit: quo illa verba pertinent Eph. 4. 31.* Omnis amaritudo & excandescentia, & ira & clamor, & maledicentia tollatur à vobis cum omni malitia.

Quæst. 86. *Quid verò est dicere alicui Racha vel fatue?*

Resp. *Est hoc, ac si quem nomines hominem nihili, aut flocci, aut ratione carentem.*

Quæst. 87. *Quod si contingat ut fratrem offendamus, quid faciendum est?*

Resp. *Summo studio reconciliandus est; nisi enim reconciliemur fratri, religio nostra inanis est, & periculum ne in judicium* Dei *incidamus.*

Quæst. 88. *Ergo nullâ ratione irasci licet?*

Resp. *Hâc ratione quemadmodum Dominus vetat, irasci non licet, id est ultionem expetere, veruntamen si quis irascatur*

rei

rei turpitudine motus, nec tamen ultionem ullam meditetur, neque in ira persistat, ad eum modum irasci nequaquam vetitum est.

I. Ista omnia sic satis rectè se habent quoad sensum praecepti. Verùm esse ea additamentum praecepti nego. Quia & in Vet. Test. prohibita. Ira enim fratris prohibita est expresse *Levit 19. 17. Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo. Ne ulciscitor neque iram asservato in populares tuos, sed diliges proximum tuum sicut te.* Interdicta quoque fuere verba aspera ex ulciscendi libidine profecta. *Ne dicas rependam malum* Prov. 20. 22. Hinc verba talia aspera cum animo foveret contra Jacobum Laban, Deus ipsemet eadem repressisse legitur *Gen. 31. 24.* Atque adeo ira talis & excandescentia animi tanquam vitium pernitiosissimum damnatur in Caino *Gen. 4. v. 5, 6.* Esavo *Gen. 27. 45.* Simeone & Levi *Gen. 49 6, 7.* Balaamo. *Num. 22. 27. 29.* Balaaco *Num. 24 10.* Eliabo *1. Sam. 17. 28.* Saule *1. Sam. 18. 8.* & aliis infinitis.

II. Etiam reconciliatio animorum irâ accensorum in Vet. Test. imperata fuit. Quia Jacob, qui multis obsequiis sibi fratrem Esavum reconciliavit; Joseph qui fratribus suis, David qui filio suo Absaloni, Semeio, Hiob qui amicis suis reconciliatus est, super erogatorium quid, quod lege non praeceptum esset, praestitisse censendi essent, si hoc ipsis praeceptum non fuit.

III. Quomodo etiam, quibus, contra quos, & quâ parte ira sit licita ex V. T. aequè est manifestum. Nimirum, si quis ex amore justitiae & odio peccati, atque adeo justis & legitimis de causis cum moderatione irascatur. Sic irae justae exempla extant in Jacobo, *Gen. 30. 2.* Mose *Exod. 16. v. 21. & 32. 19.* Pineha, *Num. 25. 11.* Jonathane *1. Sam. 20. 34.* Davide. *2. Sam. 13. v. 5.* Elia *1. Reg. 19. 14.* Elizaeo *2. Reg. 13. 19.* Licuit ergo etiam in Vet. T. certa de causa irasci. Hinc illud *Levit. 19. v. 17. Liberè corripito proximum tuum, & ne ferto in eo malum.*

Quaest. 89. *Quid praeterea huic praecepto addidit* Dominus *Iesus?*

Resp. *Inhibuit omne ultionis genus, non solùm privatum; verùm etiam quod fit per magistratum: eâ ratione, quòd si quis vel*

vel corpus vel fortunas, vel nomen nostrum læserit, ut paratiores simus aliam injuriam potius accipere, quàm nos ulcisci. Quod Dominus *Iesus illis verbis docuit* Math. 5. 39, 40, 41. *Ego vobis dico ne resistatis malo. Verùm si quis percusserit dextram maxillam tuam, exhibe ei alteram: & qui voluerit tecum jure contendere ac tuam tunicam tollere, permitte ei & pallium; & qui te sollicitaverit ad milliare unum, abi cum eo duo.*

Quæst. 90. *Ergo ea verba* Domini *non simpliciter accipienda sunt ut sonant?*

Resp. *Non. Legimus enim de ipso servatore* Ioh. 18. 23. *eum, cum alapa ei impacta fuisset, non solùm non exhibuisse malam alteram; verùm etiam se percutienti ea verba opposuisse:* Si malè loquor, ede testimonium de malo: sin benè, quid *me cædis? Idem legimus de Apostolo Paulo* Act. 23. 3.

I. Additamentum præcepti sexti *secundum* ait esse Adversarius inhibitionem omnis ultionis, non solum privatæ: verùm etiam publicæ quæ fit per Magistratum. Sed falsum est Christum in N. T. omnem omnino vindictam nobis prohibuisse. Nam Paulus Spiritum Dei habens *1. Cor. 7. 40.* & mentem Christi tenens *1. Cor. 2. 16* vindictam magistratus, quæ est ipsius Dei, approbat. Magistratus enim *Dei minister est, tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time, non enim frustra gladium gestat, est VLTOR ad iram ei, qui male fecerit.* Rom. 13. 4. Et vidua illa *Luc. 18. v. 3.* dicens judici: *vindica me ab Adversario meo,* vindictam Magistratus disertè expetiit; nec tamen eo nomine uspiam à Spiritu Sanct. reprehensa legitur.

II. Cæterùm, Moses vindictam privatam æquè in Vet. Test. interdixit, atque Christus in Novo *Levit. 19. 18. Ne ulciscitor.* Dices: agi de vindicta publica per magistratum, quam *permisit* Moses, eo scilicet modo quo *permisit* polygamiam. *Resp.* Minimè. Quia ut versu anteced. 17, agitur de officio

cio privati, in liberè corripiendo fratre, ita hoc eodem de non ulciscendo officium privati exprimitur. Et clarior est locus contra vindictam privatam *Prov 24. 29* quàm ut eo vindictam privatam prohibitam esse negare possint Sociniani. Audi verba: *Ne dicito quemadmodum fecit mihi, ita faciam ei, reddam isti viro secundum opus ipsius.*

III. Praeterea, Moses non tantùm *permisit* vindictam publicam per Magistratum, sed etiam eandem praecepit & sanxit, fatente Socino in libello suo suasorio p. 24. Neque Christus *Math. 5. v. 38.* &c. publicam Magistratus vindictam in Nov. Testam. abrogavit, sed verba divinae legis de poena talionis, *Exod. 21. 24. Levit. 24. 20.* à corruptelis Pharisaeorum vindicavit; quippe qui ea de personis privatis interpretantes, putarunt, cuiq; privato, si Magistratus officium suum non faciat, vindictam quovis modo exercere integrum esse.

IV. His Pharisaeorum corruptelis opponit Christus sua verba *vers 39, 40.* & privatas ultiones redarguit. Verba enim legis istius divinae loquuntur de Magistratibus, nempe de Judicibus prout clarè videre est, *Deut. 19. 17, 18, 19* Nullo itaque novo & in Vet. Test. inaudito additamento Christus divinam legem de vindicta explevit, vel adauxit, sed privatam vindictam, quam Pharisaei approbarunt, justè improbavit. Proindeq; sicut publica vindicta in V. T. divinitùs fuit praecepta, ita & in N. T. eadem à Deo est mandata *Mat. 26. 52 Apoc. 13. 10. Rom. 13 4. & 1. Pet. 2. 14.* Et quemadmodum privata vindicta ibi fuit vetita, *Levit. 19. 18.* & *Prov. 24. 29.* Ita hîc eadem est prohibita *Rom. 12. 17, 18, 19, 20, 21, 22.* Jure igitur negamus Christum legem Mosis perfectiorem reddidisse.

V. Acceptamus tamen, quod respondet Adversarius, licere per Magistratum jure agere, & injurias persequi, modò absit ultio. Videtur ergo nobiscum consentire Adversarius, cùm & nos ultionem illam improbemus, quippe quae privata est & cum odio & studio nocendi proximo conjuncta. Adeò ut hic Adversarius sine adversario videatur pugnare. Ego tamen potius crediderim, eum sententiam suam hoc modo loquendi velare. Talem autem ultionem in lege concessam fuisse, ut supra negatum fuit, ita iteratò negamus. Graviter enim peccat is, qui etiam ut vindictam suam expleat super proximo, coram Magistratu contendit; quippe hoc nihil est aliud quam privatum suum odium publicâ authoritate palliare. De capitalibus suppliciis supra actum.

Quæst. 92. *Quod verò est septimum mandatum?*

Resp. *Non Machaberis.*

Quæst. 93. *Quid huic addidit Dominus Iesus?*

Resp. *Primum ne machemur, non solùm reipsa, verùm etiam, ne mulierem, ita ut eam concupiscamus, aspiciamus: id innuens, eum, qui eam concupiscat in corde suo adulterium patravisse. Præterea idem addidit, eum qui uxorem exceptâ causâ adulterii dimittat, & aliam ducat, mæchari, & qui etiam dimissam duxerit, eum pariter mæchari. Postremò omnem scortationem & impuritatem, ac etiam omnem sermonem turpem, & obscænum, & scurrilitatem & iocos nobis interdixit.*

I. At verò istas non esse novas perfectiones legis istius ex eo patet. 1. Quia concupiscentia uxoris proximi expressè præcepto, decimo vetita. 2. Quia oculorum libido vaga pro adulterio cordis reputata: *oculos vestros qua vos sequentes scortamini* Num. 15. 39 quod quidem præceptum accuratissimè observatum à Hiobo, qui inquit: *fedus pepigeram cum oculis meis, & quid advertissem animum ad Virginem?* Job. 31. 1. Confer. *Prov. 6. vers. 25.*

II Præterea, uxorem nulla de causa dimittendam esse, exceptâ causâ adulterii, Christus isti præcepto, ut novus legislator, non addidit, sed ut fidus legis moralis interpres, hoc tantùm docuit, Mosaicum institutum de libello repudii non fuisse legis moralis, sed Politici tantùm indulti ob duritiem cordis *Matth. 19. 8. 9.* Vindicavit enim corruptionem istius legis antiquæ etiam Malachias cap. 2. 14, 15, 16. revocatis Israelitis ad legem Mosis *Malach. 4. 4.*

III. Tertiò, omnem quoque scortationem, ejusque illecebras, quales sunt, impuritas, omnis sermo obscænus, turpis, scurrilitas & jocus, interdictas fuisse in Vet. Test. adeoque non esse additamentum præcepti ex eo liquet. 1. Quod Deus scortatores Israelitas graviter afflixerit, adeo ut ceciderint uno die viginti tria millia *1. Cor 10. 8* At si puniti propter scortationem, peccarunt scortatione, si

de, si peccarunt, contra legem peccarunt, quam autem? Non Mæchaberis. 2. Quòd Deus omnes meretricias scortationis illecebras sive in factis, sive in verbis sitas, damnaverit in Vet. Test. Hinc illa *Prov. 2. 16. de muliere alienigena, quæ dictis suis blanditur.* Prov. 6. 25. *Ne desiderato pulchritudinem ejus cum animo tuo, neque capiat te palpebris suis.* Quare etiam Spiritus Sanct. omnia dicta, gestus & mores ejusmodi mulieris graphicè describit *Prov. 7. vers. 7. 13. Vidi inter fatuos puerum dementem*, &c. *quem mulier prehendens osculata est*, &c. *Suffivi cubile meum* &c. *flexit eum multitudine disciplina sua, blanditiâ labiorum suorum impulit eum.*

IV. Ne fidelis infidelem uxorem ducat, nec fidelis uxor infideli marito nubat, ne per ejusmodi connubium fidelium corda seducantur, interdictum est, non tantùm in N. Test. *1. Cor. 7. 39.* sed etiam in Veteri *Exod. 34. 16. Deut. 7. 34.* Hoc, inquam etsi pertineat ad septimum præceptum; non tamen ut additamentum haberi potest, eò quòd ipse Adversarius hoc illicitum esse, iisdem à nobis scripturæ allegatis locis, quæst. 94. probârit.

V. Præceptum octavum, quod Catechetes quæstion. 96. recitat; quæst. 97. 98. explicat benè habet. Interdici scilicet omnem rationem intervertendi eas res quæ proximum spectant, idque fieri, vel, ubi ea quæ habet proximus, tollimus, aut cum possumus non ei egeno opem ferimus. Item interversionem istam fieri, aut vi aut dolo &c. Pertinet huc etiam usura, sed non tanquam aditamentum præcepti, quæ quomodo sit vetita, quomodo concessa vide apud Casuistas præcipuè Amesium nostrum lib. 5. de Consc. cap. 44. sed quæritur.

Quæst. 101. *Quid ad id præceptum adjecit Dominus Iesus?*

Resp. *Ne simus avari:*

Quæst. 102. *Quid verò est avarum esse?*

Resp. *Est plus habere velle, quàm ad tuendam vitam, tum tuam, tum tuorum omnium, pertineat.*

Quæst. 103. *Quâ verò id fit ratione?*

Resp. *Eâ nimirum, dum homines præter privatam & justam necessitatem, aut querunt, aut recondunt ut* Luc. 12.

 vers.

verſ. 15. & *ſequent. à Chriſto docetur.*

Quæſt. 104. *Quæ verò eſt juſta neceſſitas ad tuendam vitam pertinens?*

Reſp. *Victus cultuſque corporis, ac ea ſine quibus vita præſens conſervari nequit.*

Quæſt. 105. *In quos igitur uſus vertere debent Chriſtiani quæ juſtæ neceſſitati ſuperſunt?*

Reſp. *Ea omnia, vel in uſus divinæ gloriæ vel ad ſublevandos pauperes, inprimis demeſticos fidei vertere debent; eâ tamen cautione adhibitâ, ut ne quid ſtudio privatæ gloriæ faciant, quod docet illis verbis Chriſtus,* Math. 6. ỳſ. 3. Neſciat ſiniſtra tua, quod facit dextera tua.

Quæſt. 106. *Qui verò victui cultuique corporis ponendus modus?*

Reſp. *Eo pacto, ne quis luxus aut corporis voluptas in nobis inveniatur.*

Quæſt. 107. *Qui verò luxus & corporea voluptas vitari poteſt?*

Reſp. *Cum cibi & potus uſum ad valetudinem tuendam accommodabimus; cultum verò eum adhibebimus corpori, in quo nec luxus, nec levitas appareat.*

Quæſt. 108. *Quid verò in ciborum & potus uſu luxum vocas?*

Reſp. *Gulam & ebrietatem, quo pertinent comeſſationes quas prohibet palàm Servator, uti ſcripta Novi Teſt. apertiſſimè planum faciunt.*

Inter-

I. Interdictum de Avaritia additamentum esse præcepti nego. 1 Quia avaritia non demum in Nov. Testam. cæpit esse radix omnium malorum, sed fuit semper. *1. Tim. 6. v. 10.* Hinc etiam Gentiles lumine naturæ tantùm irradiati dixerunt: *ἡ φιλοχρηματοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης.* 2. Quia expressè dictum: *Non concupisces.* Exod. 20 17. 3. Quia etiam in V.T. in multis taxata avaritia ut *Exod. 18. 21. Exod 22. 25. & 23 8. Levit. 19. 13 & 25. 36. Deut. 16. 19. & 17. 17. Job. 7. 20.* 4 Quia multi avaritiam sectantes eo nomine à Sp. Sanct infamiâ sunt notati; ut filii Samuelis *1. Sam. 8. 3.* Achab *1 Reg. 21. 2.* Gehazi *2. Reg. 5. 12.* 5. Quia expressè Spiritus Sanct. ab ea dehortatus est. *Psal. 62. 11. Si affluant divitiæ, ne appendas cor.* 6. Quia sancti Dei viri Deum precati sunt ut eos præservaret ab hoc vitio *Psal. 119 96. Flecte animum ad statuta tua, neque sinas deflecti ad avaritiam.* Quomodo ergo, his se ita habentibus, Catecheses dicere potest, interdictum avaritiæ esse additamentum octavi præcepti?

II Quod si *avarum esse*, sit, plus habere velle, quàm ad tuendam vitam, tùm tuam, tùm tuorum omnium, pertineat, prout avaritiam vel τὸ avarum esse definit, autor Catecheseos, tum plerique Sociniani quos ego quidem magno munero novi, in ea præcipuè regione, in qua epitomen istam religionis Socinianæ consarcinavit Smalcius, sunt avari, quippe nobiles sunt ditissimi. Imo verò & ille Racoviensis urbis nobilis hæres, sub cujus tum clientela, latuit Smalcius cum suis, vel ipso Smalcio definitore avarus fuerit oportet. Quia, qui totam urbem ejusque urbis & plurium pagorum reditus possidet, plus habet quàm ad tuendam vitam tum suam tum suorum pertinet.

III. Ergo ea quam tradit Smalcius avaritiæ definitio ambigua est & captiosa ne dicam spuria. Probo. 1. Paulus ait *2. Cor. 12. v. 14. Non debent filii Parentibus thesauros colligere, sed parentes filiis.* Thesaurus est aliquid residuum & redundans: asservatum, quod tempore subsequente in usum liberorum post mortem parentum adhiberi queat. Et thesauros colligere non ignavorum est fucorum, qui paupertatem habent perpetuò sociam; sed gnavorum & industriorum, quorum laboribus Deus benedicit, *Prov 10. 22.* Intelligitur hîc etiam thesaurorum collectio legitima, ne thesaurorum cælestium obliviscentes thesauris terrestribus cor apponamus *Math. 6 19, 20, 21.* Hinc sic colligo: Si Apostolus doceat Parentes debere liberis suis Deo misericorditer benedicente

thesauros colligere, etiam secundùm Apostolicam doctrinam quærere id quod residuum est, & necessitatem nostri vel nostrorum excedit, non est avaritia.

IV. Præterea docet Apostolus *1. Cor. 9. v. 10. Quòd suo spe debeat is* qui arat, *arare, & qui triturat sub spe sua, spei particeps esse debeat.* Non ergo improbat Apostolus in arantibus & triturantibus spem de subsequuturo ubere proventu, à Deo promisso. Hæc autem spes includit studium & sedulitatem arantium ac triturantium acquirendi aliquid, etiam ultra quotidianam necessitatem, ut in annonæ caritate & suborituris aliis necessitatis casibus nos & nostros honestè & commodè sustentare queamus. Ex mente Socinianorum ne Josepho licuisset pro septem annis futuris congregare frumentum *Gen.41*. Ergo, si quodvis studium acquirendi alicujus residui & parandæ opulentiæ confestim est avaritia, tum etiam omnis spes arantis & triturantis de redundante proventu est damnabilis. Quod falsum; Cùm & Apostolus ipse de se profiteatur, quòd potuerit *abundare*.

V. 3. Arg. ad hominem. Ostor. in institutionibus pag 229. scribit. Nicht das haben / sondern das suchen des Reichtumbs ist verbotten/ hoc est, non *habere* sed *quærere* divitias esse vetitum. At quod habere licet justè, id etiam legitimis modis licet quærere. Sic verbi gratia, si uxorem liceat habere, ergo etiam licet talem legitimis modis & mediis quærere.

Igitur dico *avarum esse* est 1. Bona sua inique & insatiabiliter acquirere. 2. Bona sua illigitimè, vitiosè, & insaturabiliter possidere, dum nimirum ea quis inordinatè & nimium diligit, appetitque ea, non propter eorum usum & communicationem, sed propter se ipsa. 3. Bona sua aut omnino non, aut non rectè usurpando.

VI. Ergo Avaritia non est dicenda, quodvis promiscuè studium plura habendi quàm necessitas requirit; sed avaritia est, cum amor rerum talium inordinatus, & insatiabilis cupiditas bonorum terrenorum ita animum occupat, ut plus etiam habere cupiat, quàm Deus dat per ordinata media; cum homo non quærit ea quæ sunt proximi, sed tantùm quæ sunt sua, & ditescere vult per fas nefasque; cum homo cor suum divitiis apponit, iisque confidit & Deo diffidit.

VII. Quod de usu divitarum ad gloriam Dei, ad sublevandos pauperes, inprimis domesticos fidei idque absque studio privatæ gloriæ, dicit, Orthodoxum est. Quia ut

ut Deus non tantùm simplici esse nostro prò pectum voluit, sed & benè esse, ita ea in quibus abundamus ad sui gloriam, & proximi sublevationem, sinè ulla ostentatione impendi voluit. Hinc rationem villicationis nostræ daturi dicimur.

VIII. Ea quæ de victu & cultu corporis, item luxu & voluptate corporea vitanda in cibo & potu autor Catecheseos habet, à Verbo Dei haud quaquam sunt dissentanea. Rectius tamen ea ad præceptum septimum quàm octavum referri possent, eò quod omnis luxus scortationi obstetricetur. Nec luxus prohibitio additamentum vel septimi vel octavi præcepti censeri debet, cùm & luxum vestium, & cibi atque potus expresse damnet Vetus Testament. Atro carbone notatus est Ahasuerus & Haman *Esthera* cap. 3. vers. 15. *Rex verò & Haman sedebant ad bibendum, quum cives Susorum perplexi essent.* Confer. illud Væ, interminatum *surgentibus summo mane, ut potum inebriantem sectentur*, Esai. 5. v 11. De vestium luxu vide quæ habentur *Esa. 3. 19, 20, 21, 22, 23.* Consule etiam quæ passim commentantur Casuistæ ad septimum præceptum, præcipuè ea quæ comportavit Cl. Voetius Disp. selectis de Excelsis mundi ad septimum præceptum.

IX. Mendacium quodvis, itemque obtrectationis, detractionis & damnationis genus præcepto nono interdictum esse fatemur, sed additamenta hæc esse præcepti noni in Novo Testamento, inficiamur. De mendacio videatur Psal 5. vs. 7. *Perdturus es loquentem mendacium.* & *Prov. 6 19.* ubi inter sex ea quæ odit Dominus numeratur mendacium. Prov. 19. v. 5. *Testis falsitatum non impunis erit, & conflator* mendaciorum *non proripiet se* vers. 22. *melior est pauper viro mendace.* ibid. vers. 9. *conflator mendaciorum peribit.* De detractione & detrectatione, vide Levit. 19. 16 *Ne ambulato cum detractione per populares tuos.* Hinc hi tales *Ezech. 22. 9.* perstringuntur. *Homines detractores sunt in te.* De *obtrectatione* legatur illud *Psal. 15. 3.* Is habitabit in monte Sanctitatis Dei, *qui non obtrectat linguâ suâ, qui opprobrium non effert in proximum suum.* plura quia obvia, non addam, hæc sufficiunt ad probandum hæc additamenta præcepti noni non esse.

X. Explicationem decimi præcepti: quâ dicit: *concupiscere domum proximi sui, esse, in corde constituere ut rem proximi tui, quam appetis consequare, etiam iniquissimâ ratione*, non culpo. Sed temeritatem Catechetæ demiror, quâ censet additamentum præcepti decimi

cinoi esse, *vti cupita nullo modo animum adjiciendum* esse. Si illius tantum quòd Psaltes *Psal.62.11.* dicit: *Opulentia si abundet, ne apponatis animum*, rationem habuisset, tam temerarius non fuisset in hoc commentario. Si enim divitiis legitimè partis ex interdicto divino non fuit adjiciendus animus, multo minus rebus illegitime captis.

CAPUT. II.

De Præceptis Christi sigillatim ab eo traditis.

QVæst. 1 *Exposuisti mihi præcepta Christi quæ mandatis Dei per Mosen expositis, & iis quæ Christus Mosaicis adjecit, continentur: superest, ut ea quoque exponas, quæ Christus nominatim exposuit?*

Resp. *Ea sunt duplicia, quædam enim mores, quædam externos actus religiosos, qui vulgò ceremoniæ vocantur, respiciunt.*

Quæst. 2. *Quæ verò respiciunt mores?*

Resp. *Hæc: Abnegatio sui ipsius; crucis tolerantia & perpessio: Imitatio Christi.*

Quæst. 3. *Quid verò est abnegatio sui ipsius?*

Resp. *Est privatæ voluntatis & cupiditatum malarum, mundanarum & carnalium renunciatio.*

Quæst. 4. *Quæ verò sunt istæ cupiditates?*

Resp. *Sunt eæ, quæ vel ad voluptatem carnis, vel ad opes vel ad divitias, vel ad vitæ fastum referuntur.*

Quod

Quod Iohannes in his verbis comprehendit: 1. *Ioh.* 1. 15. 16. Ne ametis mundum, neque ea quæ in mundo sunt, *&c.* Nam quicquid (*est*) in mundo, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & fastus vitæ, non est ex patre, sed est ex mundo: *Quæ quidem Iohannes, non solùm cum incommodo valetudinis, aut aliorum injuriâ, vel contumeliâ quæri prohibet. Verùm etiam si cura hæc fidelibus contingant despici atque contemni vult ab iis omnino.*

I. Hîc Smalcius magis quam Papizat. Papistæ consilia quædam Euangelica à Christo in Nov. T. præter ea quæ singulis decalogi præceptis adjecta existimant suppeditata censent; Smalcius etiam novis planè & inauditis in Vet. T. præceptis legem Mosis cumulatam docet. Quod annon blasphemum sit in ipsum Deum, qui hoc ipso statuitur imperfectam morum regulam normamque vivendi pópulo suo præscripsisse, atque adeo multa vitia, in V. Test. vitiorum rationem in Vet. Test. non habuisse Adversarii viderint.

II. Nam si ea quæ in Nov. Test. præceptis Vet. Test. accesserunt, in V. T. præcepta vel vetita non fuerunt, populus Dei aut committendo ea, aut omittendo non peccavit. Sed quis errorem non palpet! Mandata est in Vet. Testament. perfecta, ex toto corde, ex toto animo, ex omnibus viribus Dei dilectio. At verò si quis se ipsum, verbi gratiâ non abnegasset, si in cruce patiens non fuisset, si Deum in benefaciendo non fuisset imitatus, quomodo hic talis Deum ex toto corde &c. dilexisse dici potuisset?

III. Præterea palpapilis hic est Catechetæ contradictio, paulò ante præcepto octavo omnem luxum interdici docuit. At verò qui privatæ voluntati, cupiditatibus malis, mundanis, carnalibus, non renunciat, luxui deditus est, adeoque contra octavum præceptum hic talis peccat judice Smalcio, quomodo hæc renunciatio privatæ voluntati, cupiditatibus carnalibus, mundanis, malis, potest esse novum Christi de moribus Christianorum præceptum?

IV. Amor mundi, concupiscentia oculorum fastus vitæ, luxus sunt descriptio; is enim, qui his indulget, verè luxuriosus est. Cum

autem luxus omnis præcepto octavo fuit prohibitus, ut docuit Smalcius, fabricatione novi de eo præcepti haud opus fuit. Et profectò peregrinus planè inscripturis sit oportet, qui hæc talia in Vet. Testament. vetita fuisse ignoret. Ubi enim Deus amorem sui perfectum, ex toto corde, præcepit, nonne amorem mundi vetat? nonne odium mundi, ejusque concupiscentiam, carnis, oculorum fastum interdicit? Et cùm ea jam sint non ex patre, sed ex mundo, an in Vet Testam. ista ex Deo Patre luminum à quo omne bonum donum descendit, fuere? Piget talibus nugis refutandis immorari.

Quæst. 5. *Quid verò isthæc crucis portandæ ratio?*

Resp. *Est animi non solùm ad afflictiones quasvis, verùm etiam ad mortem vel acerbissimam & ignominiosissimam Christi causâ subeundam, præparatio, & exceptio istorum voluntaria, atque cum quadam etiam voluptate tolerantia & perpessio.*

I. Crucis Christi portatio exercitii patientiæ filiorum Dei praxis est, non demum in Nov. Testamento ut præceptum novum imperata. Unius Jobi intuere afflictionem, quæ etsi cum lucta fuit, ita tamen numerum & pondus ejus sustinuit, ut caput supra omnes erigens, diceret: *Etiamsi me Dominus interficeret non desinam in eo sperare*, ut quidam reddunt. *Hiob. 13 v. 15.* Huic adde exemplum Ecclesiæ *Thren. 3. 28, 29, 30.* & *Mich. 7. 9. Indignationem Jehova feram, quià peccavi in eum.*

Quæst. 6. *Quæ porro est Christi imitatio?*

Resp. *Est vitæ nostræ ad vitæ Christi regulam compositio.*

Quæst. 7. *In quo ea consistit?*

Resp. *In conservatione earum virtutum, quæ Dominus Iesus nobis in se ipso, tanquam in vivo exemplari, repræsentavit.*

Quæst.

Quæst. 8. *Quæ verò sunt hæ virtutes?*

Resp. *Præcipuæ sunt: Fiducià in Deum, Charitas perfecta, Humilitas, in precibus assiduitas perpetua.*

I. Equidem fateor Christum fuisse omnium virtutum perfectissimum exemplar, eò quòd virtutes omnes in eo eminuerint supra vulgum, quia etiam mensuram Spiritus Sancti supra consortes suos acceperat. Vicem tamen novæ legis nequaquam hæ virtutes sustinere possunt, quia eædem virtutes & in Veteri Testamento, fuere ad mandatum Dei exercitæ. De fiducia in Deum vide præceptum *Psal.4.6. Fiduciam habete in Jehova.* Psal. 84. 13. beatus dicitur homo, *qui in Jehova fiduciam habet.* Psal. 32. 10. Exempla fiduciæ singularia vide in Davide, Psal. 86. 3. & 143. 8. *Quia fiduciam habeo in te.* In Israele, *exoratus fuit eis Deus, quia fiduciam collocaverant in eo.* 1. Chron. 5. 20. in Hiskia rege. *2. Reg. 18. v. 5. In Jehova Deo Israelis fiduciam habuit.* confer. ibid. ỷ. 22. 20. & cap. 19. v. 10.

II. Charitatem quoque perfectam Novi Testam. novum præceptum non esse liquet. Ea enim ut distinguit author Catecheseos, est, vel erga Deum, vel erga proximum. Charitas in Deum perfectior esse non potest, quàm ea quæ præcipitur lege veteri *Deut. 6. 5. Diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, ex toto animo tuo, ex totis viribus.* Deut. 13. 3. Exemplâ istius Charitatis in Deum sunt in Salomone. *1. Reg 3. 3. Amabat enim Salomon Iehovam*, Fidelibus *Psal. 91. 14. Quia in me propendet* (inquit Deus) *amore, ideo liberabo eum.* Hinc fideles in Vet. Test. frequenter nomenclatione *amantium Dei*, veniunt. *Iud. 5. 31. Sic pereant omnes inimici tui Iehova, at diligentes eum* &c, *Psal. 5. 12. Exsultabunt in te amantes* nominis tui. Vide *Psal. 62. 37. & 97. 10. & 119. 132. & 145. 20 Esai. 56. 6.* Ex quibus omnibus liquet, Charitatem erga Deum non esse novum Nov. Testam. præceptum.

III. Charitas erga proximum, quæcunque illa sit, sive erga fratrem, sive erga inimicum, non est legis alicujus in Vet T. inauditæ. Charitas proximi summa & argumentum est legis tabulæ secundæ, docente Salvatore *Matth. 22.* Ergo lex nova non est. Adeo ut de proximo fratre amando dubium nullum sit, ejus scilicet charitatem in V. T.

fuisse præceptam. De inimico fortè dubitat Adversarius. Sed evolvantur ea quæ hâc fini habentur *Exod. 22. 4, 5. Levit. 19. 18. Ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos, sed diliges proximum tuum*, (eum scilicet qui ultione, irâ, indignatione, inimicitiâ tuâ dignus esset) *sicut te*.

IV. Exempla hujus præcepti vide exercita à Davide, qui, cum Deus in manus ejus tradidisset inimicum Saulem, etsi moneretur, ut ulcisceretur, quod erga se immerentem Saul commiserat, eo adigi non potuit, ut in hoc præceptum impingeret. *1. Sam. 24. 5, 7.* Confer exemplum insigne charitatis ejusdem Davidis Semeio infensissimo hosti suo ostensum, *2. Sam. 19 19.* Confer. *2. Reg. 6. 21, 22. Iob. 31. 29. Prov. 25 21. Si esuriat osor tuus, ciba eum pane, & si sitit da ei bibendam aquam*, Quomodo ergo Charitas præceptum est novum Novi Testamenti?

V. Ostorodus equidem dilectionem inimici, à Mose præscriptam ita extenuat, ut dicat, si conferatur cum eâ, quæ à Christo est præscripta, pro nulla debeat haberi dilectione. At verò, si Mosen cum Christo dilectionem hostium præcipientem conferas, tantum discrimen minimè deprehendes, sed utrumque idem dilectionis præceptum inculcasse palpabis. *Diligite*, inquit Christus, *inimicos vestros, bene precemini devoventibus vos, benefacite iis qui vos odio prosequuntur, & orate pro iis qui lædunt & insectantur vos*. Mat. 5. 44. At hæc eadem dilectio olim in Vet. Test. est præcepta *Exod. 23. 4. 5.* quod præceptum iniquè extenuat Ostorodus idem, cùm tale sit, quod nequaquam extenuari queat. Dum enim Moses ibi jubet, *ut inimici bovem errantem reducamus, asinum ejus sub onere jacentem sublevemus*, eo ipso nobis imperat, multo magis inimico ipsi, opis nostræ indigo eam charitatem testandam esse; eò quòd inter hominem & bestiam hâc parte nulla sit comparatio.

VI. Lex hæc Christi à Propheta Jeremia expresè præcipitur populo Dei *Jer. 29. 3.* dum inquit: *Quærite prosperitatem istius civitatis*, (loquitur autem de Babylone ejusque incolis, qui qualiter erga populum Dei affecti fuerint, videre est ex Psal 137.) *quo deportavi nos*. Si exegesis præcepti Prophetici instituenda esset, commodior dari non posset, quàm ea quæ verbis Christi expressa est.

VII. Video quid objici possit à Catechete, imò quod objicere videtur. 1 Legem Charitatis à Christo vocari *novam* Joh. 13. 34. Jam antea ad hoc respondi, præceptum

ceptum istud novum dici, non *essentia* sed *repetitione*, atque *exemplo*. Novum est, non quoad rem ipsam, sed quoad diversam tradendi illius præcepti formulam. 1. Quatenus illud *sicut dilexi vos*, quod habetur in verbis Christi, præceptum istud tradentis, longè expressius est quiddam, quàm illud *sicut te ipsum*, quod habetur in lege. 2 Quatenus Christus in Nov. Testam. non tabulis lapideis, sed cordibus nostris, non per obscuros typos & umbras, sed per claram Evangelii doctrinam præceptum istud inscribit. 3. Quatenus Christus peculiariter præcepit illud summo studio nobis esse observandum, non secus, ac si novum esset: Solent enim homines leges novas studiosius observare, paulatim verò lege inveterascente, de studio remittunt. Eo sensu Johannes dicit: non scribere se *novum præceptum, sed vetus*, quia scilicet illud præceptum quoad essentiam habuerant ab initio; & tamen dicit se scribere novum præceptum, eo scilicet quo diximus respectu. 1. *Ioh* 2. 7. 8.

VIII. Deinde objici posse video: Non fuisse in Vet. Testam. præceptum, *uti fratrem ita diligamus, ut vitam etiam pro eo profundamus*. Nego. Quia in Davide tanta fuit erga fratres imò subditos suos Charitas, ut ultionem iræ divinæ quam intentabat Deus subditis, in se conversam exoptaret, quo ita subditos suos ab ea liberaret 2. Sam. 24. 17. *Ecce ego peccavi, sit quæso manus tua contra me, & contra domum paternam*. Quod opus Davidis aut electitium fuit, Deoque exosum, aut divino verbo præceptum.

IX. Tertio intorqueri posse video *Lege Mosis licitum fuisse odio prosequi inimicum, in Nov. Testam. præceptam esse ipsius dilectionem*. Sed jam dictum etiam Veteri lege seriò fuisse mandatam inimici dilectionem. Præterea, falsam hypothesin Adversarii supponunt, hæc verba, *odio habebis inimicum tuum* à Christo *Matth*. 5. 43. citari tanquam gemina legis divinæ verba, cùm tantùm citentur ut spuria Pharisæorum doctrina, & noxia legis illius divinæ corruptela. Nam illa verba nusquam in lege Mosis reperiuntur, fatente Ostodorodo. At si authentica essent divinæ legis verba, in lege Mosis reperirentur; quia evinci non potest ullum de libris Mosis interiisse.

X. Item si verba illa essent authentica & genuina ipsius divinæ legis verba, tum aliâ genuina legis verba iis non adversarentur, quia divina lex sibi nunquam & nusquam verè contradicit. At alia genuina legis divinæ verba iis ad-

versantur nempe illa: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ergo ista, *& odio habebis inimicum tuum* non sunt authentica Mosis, sed Pharisæorum adulterina.

XI. Excipi contra posset: Quod si omnino τὸ diligere inimicum in Vet. Test. præcipiatur, tum per inimicùm hîc non quivis intelligendus est, sed talis, qui proximus sit; per proximum autem intelligi eum, qui ortus est ex eodem populo, hoc est, Israelitam; ac ejusmodi inimici, qui sit Israelita, ex eodem populo, dilectionem in Vet. T. esse præceptam, non autem inimici qui peregrinus est & extraneus: hocque posterius esse novum Christi præceptum. *Resp.* Falsum esse, in lege per proximum tantùm intelligi hominem ejusdem populi: Stante enim hâc hypothesi, tum iis locis, ubi Deus dicit: *non decipiet unusquisque proximum suum*, *Levit. 19. 11.* non interdicetur deceptio alienigenæ. Impunè ergo & sine peccato licebit decipere extraneum. Item: *Non dices falsum testimonium contra proximum tuum*, stante Socinianâ glossâ super voce proximi, licuit falsum testimonium dicere Judæo, contra eum, qui popularis non erat.

XII. Ergo per inimicum intelligendus est quivis homo, qui noster proximus est proximitate & consubstantialitate humanæ naturæ, cujuscunque ille sit gentis vel religionis: hinc Apostolus vocem inimici latius extendit. *Rom. 12. 19 20.* Et Christus *Luc. 10. vers. 29.* & seqq. ostendit, quòd per proximum etiam intelligendus veniat ille inimicus noster, qui fidei nostræ consors non est: quia Judæi & Samaritani religione dissidebant. Unde & *Levit. 19. 33, 34.* Jehova Judæis præcipit ut *advenam* diligant: advenam inquam, non ex Judaismo, sed gentilismo, quoniam Jehova addit: *Fuistis enim vos advenæ in terra Ægypti.* At Judei respectu Ægyptiorum erant advenæ, non ex Ægyptiacâ, sed ex alia terra & gente. Ergo Deus peregrinum etiam, qui est ex alia terra & natione, adeoque nostræ religioni adversatur, in lege Mosis diligere nos jussit.

XIII. His præmissis, sic concludo. Lex Mosis præcepit dilectionem *proximi* etiam *inimici*, non tantùm *popularis* sed & *extranei*, Christus etiam hoc ipsum præcepit. Ergo Christus præcepto de Charitate non peculiarem & antea minus notam legem sancivit, sed glossam illam Pharisaicam, *odio habebis inimicum tuum*, ut spuriam & notham in lege Mosaica planè ignotam, justè resecuit.

XIV. Simile autem est judicium

cium de humilitate & precum assiduitate. Inculcatum est seriò & humilitatis & precum officium à Christo; sed eo ipso Christus de hisce virtutibus non novam aliquam legem condidisse censendus est, verùm antiquas de hoc argumento repetivisse, & exemplo suo illustri innovasse. Hinc humilitas tanquam virtus Deo acceptissima in Vet. Testam. commendatur. *2. Sam 22. v. 28. Psal. 18. 28. Psal. 34. 19. Prov. 16. 19. & 29 23. Esai. 66. v. 2.* Exempla & praxin humilitatis erga Deum vide in Abrahamo. *Gen. 18. 27* in Jacobo. *Gen. 34. 10.* Erga proximum in fratribus Josephi *Gen. 50. 18. Ruth 2. 13.* ut plura ex infinitis non addam: esset enim hoc in meredie solem ostendere. De precibus dictum ad primum decalogi præceptum, actum non agam.

XV. De adjunctis precum quæstionibus hujus cap ult. explicatis, ut quòd orantes Deo confidere debeant, quòd secundùm voluntatem Dei precari, quòd offensas remittere, atque ita manus sanctas attollere: quòdque preces multum juventur jejunio non hypocritico, in delectu ciborum consistente, vel ad ostentationem facto, non inficior.

Caput. III.

De Cœna Domini.

QVæst. 1. *Quæ verò sunt præcepta Domini Iesu, quæ vulgo vocant ceremonialia.*

Resp. *Est unum duntaxat, Cœna nempe Domini.*

I. Smalcius articulum de Cœna Domini ἀμεθόδως præmittit, articulo de baptismo; cùm hic jure naturæ ordine primus esse deberet, eò quòd baptismus sit sacramentum initiationis & insitionis in Ecclesiam, Cœna Domini verò sacramentum nutritionis in Ecclesia. Imò quia cœnam Domini vocat unum præceptum ceremoniale ex censu præceptorum Christi baptismum expungit, de quo capite sequenti.

II. Præterea Christum ceremoniale

moniale aliquod præceptum, quod imperfectionem legis Mosaicæ suppleret instituisse falsum est. Imò nisi cæna Sacra instituta loco Paschatis veteris abrogati suffecta fuisset, lex Mosis perfectior esset. Ergo his nihil quod Mosis legem perfecit, quoad *substantiam* additum est, sed tantùm quoad *claritatem*.

III. Omnino etiam falsum est, cœnam Domini esse nudam ceremoniam & non sacramentum divinum. Est enim sacramentum cœnæ Domini in genere, actio solennis, quâ Deus per suos ministros, & mysteriorum suorum fidos dispensatores, ritè vocatos, hominibus in Ecclesia dispensat res certas, peculari verbo divinitus institutas, ut iis promissio Evangelii offeratur, applicetur, obsignetur. Hanc descriptionem sacramenti genericam cænæ Domini in speciè convenire, ostendunt verba institutionis. Cui ergo definitio sacramenri in genere convenit, quidni illud in speciè quoque sit sacramentum?

IV. Imò verò si ceremonia tantùm & ritus sit Ecclesiasticus cæna Domini, licebit Ecclesiæ eum ritum pro ratione circumstantiarum temporis, personarum, loci, mutare, imò abrogare. At verò cænam Domini vel mutare vel abrogare nefas est. Quia commemoratio mortis Christi per cænam Domini fieri debet usquedum Dominus ad judicium veniat, docente ipso Christo, & non diffitente Catechete quæst. 2. quâ dicit: hoc *institutum Christi permanere in adventum ipsius oportet*.

Quæst. 2, *Quid verò est cæna Domini?*

Resp. Est Christi Domini *institutum, ut fideles ipsius panem frangant & comedant & calicem bibant, mortis ipsius annunciandi causâ, quod permanere in adventum ipsius oportet.*

Quæst. 3. *Quid verò est annunciare mortem Domini?*

Resp. *Est publicè ac Sacro-sanctè Christo gratias agere, quòd is pro ineffabili sua erga nos charitate, corpus suum torqueri & quodammodo frangi & saguinem fundi passus sit, & hoc ipsius beneficium laudibus extollere.*

Quæst.

Quæst. 4. *Cur verò hujus potissimum rei memoriam Dominus in cœtu suo celebrari voluit.*

Resp. *Eò quòd ex omnibus Christi actionibus ea sit summa & ei maximè propria. Licet enim à mortuis resurrectio & exaltatio Christi sint longe majores; eas tamen Deus Pater, non autem Christus ipse peregit.*

I. Inaudita planè est doctrina, quam scholæ Socinianæ Doctores tradunt, de sacramento cœnæ Domini, non esse scil. alium institutæ cœnæ Dominicæ finem, quàm mortis Domini commemorationem, seu annunciationem, & ex hac ortam gratiarum actionem. At verò quid interest mortis Domini tam frequenter meminisse, vel tam frequenter pro ea gratias agere, si nobis illâ nihil partum sit, sed tantùm necessariâ imitatione dignum exemplar relictum; cùm & Apostolus dicat, *estote imitatores mei.*

II. Est quidem hæc *ἀνάμνησις* recordatio mortis Christi finis cœnæ Dominicæ, sed is nequaquam solus finis & unus constitui potest, ut præter eum *prorsus* sit *nullus*, ut loquitur Smalcius *Quæst.* 4. Quia præterquam quòd recordatio Christi triplex sit, *fidei*, *gratitudinis* & *dilectionis* quarum ille mediam tantùm constituit finem cœnæ, est finis etiam cœnæ aliquis cum baptismi sacramento communis, nimirum ut sit fœderis gratiæ sigillum, ut sit nota discernens veram Ecclesiam ab Ethnicis, aliisque sectis. Sunt in sacramento veluti tesseræ militares, quibus Ecclesiæ visibilis militantis membra discernuntur, à Judæis & gentilibus Christi signa non sequentibus. Ut symbolum resurrectionis nostræ spiritualis per regenerationem in hac vita & corporum ultimo die. Sunt & fines speciales istius sacramenti, de quibus jam agendum erit.

III. Quibus finibus negatis, nil, nisi nudus cortex verborum sacramentalium relinquitur, nil nisi schema aliquod aut pictura historicè mortem Domini referens hoc sacramentum statuitur. Quâ fini sanè hâc opus minimè fuit; cùm historia Euangelica satis circumstantialiter mortem Christi describat, nosque ad gratitudinem pro ea præstandam stimulet.

IV. Sanè mortem Domini annunciare, non tantùm est pro morte Christi qualicunque publicas gratias agere. Sed *Primò* mortem Domini publicâ concio-

ne Euangelii de Christi morte celebrare. *Secundo* mortem Domini annunciare est, privatim mortem divini meditari, quòd sc. eam Christus non pro se, nec pro Angelis, sed pro nobis peccatoribus oppetere voluerit. *Tertio*, Est publicè & privatim tantam Patris clementiam, quòd filium tradere in mortem pro nobis dignatus sit, tantamque filii charitatem, quòd se victimam pro nobis dederit prædicare. *Denique*, mortem Domini annunciare, est perpetuo sanctimoniæ studio nos totos in vita & in morte vivam gratitudinis hostiam consecrare.

V. Ergo nego, Christum ea fine tantùm instituisse cænam, *ut fideles ipsius panem frangant* &c. tantùm mortis Christi annunciandæ causa. Nego etiam annunciationem mortis Christi in eo tantùm consistere, ut publicas Christo pro hoc beneficio agamus gratias. Quanquam annunciatio mortis Christi haud postremus finis sit cœnæ Domini, si Orthodoxè ea ut th. præcedente dictum, explicetur. Si gratiæ agantur Christo, quòd corpus suum vice nostri torqueri, sanguinem suum pro nobis & vice nostri fundi siverit in remissionem peccatorum nostrorum: & quod corpus suum non tantùm *quodammodo*, sed verè frangi permiserit, ut nos fractura & vibicibus ejus sanaremur. Hæc sana est recordatio mortis Christi.

VI. Cur Christus mortis suæ memoriam in cœtu celebratam voluerit; hæc catechetæ est ratio: *eò quòd ex omnibus Christi actionibus ea sit summa*; si addidisset utilissima, eò quòd morte ipsius vita nobis parta sit, adstipularer: & sane utilissima est ejus mortis recordatio & memoria, cujus tam dulces ad nos redeunt fructus. Illa verò ratio falsa, *quòd ei maximè propria*. Quia & reliquæ, puta resurrectio & exaltatio non minus ejus propriæ fuerunt, quàm hæ, quia se in his Christus non merè passivè habuit etsi dicatur à Patre excitatus; Quia id dicitur non oppositè & exclusive ad filium, sed ratione humanæ naturæ; ad cujus excitationem tum exaltationem omnes tres personæ, non quòd una non potuisset ob defectum potentiæ, sed quòd non potuisset ob inseperabilitatem naturæ concurrere, ut supra est evictum.

Quæst. 5. *Nonne alia causa ob quam cænam instituit Dominus superest?*

Resp.

Resp. *Nulla prorsus: etsi homines multas excogitarint, cum alii dicant esse sacrificium pro vivis & mortuis, alii usu ipsius se consequi remissionem peccatorum, & firmare fidem sperant: & quòd eis mortem Domini in mentem revocet, affirment.*

I. Cœnam Domini institutam esse ut sit sacrificium pro vivis & mortuis, contra Pontificios negamus; quanquam ex ore Christi doceamus, quòd sit memoria sacrificii Christi. Nec secundò docemus, usu istius sacramenti tanquam ex opere operato quempiam consequi remissionem peccatorum; quia sic idem sacramento, quod sacrificio Christi, non citra blasphemiam tribueretur. Omnis efficientia sacramentorum hâc parte moralis est.

II. Sacramentum cœnæ legitimo usu obsignare fidem de remissione peccatorum, & in mentem revocare mortem Domini, non ab hominibus est excogitatum, sed ipsius Dei institutum. Ac primo fidem de remissione peccatorum usu hujus sacramenti confirmari probo 1. Quia solum verbum prædicatum fidem nostram confirmat. Ergo multo magis verbum tali elemento ex institutione divina junctum. At qui verum prius *Rom. 10. 17. Joh. 17. 20. 1. Cor. 3. 5.* Ergo & posterius; maximè, cùm verba institutionis sint verba Evangelii remissionem peccatorum nobis annunciantis.

III. 2. Quia in cœna quilibet Christianus legitimè communicans cum pane & vino benedictis & distributis, edit Christi corpus vivificum pro ipso in mortem crucis traditum, & bibit sanguinem Christi in remissionem peccatorum suorum effusum. Quidni ergo usu cœnæ ipsius fides confirmaretur, & augmentaretur, cùm corpus illud edat, sanguinem illum bibat, (ore fidei,) quo ipsi est remissio peccatorum parta.

VI. 3. Quia jubemur S. cœnam accedentes Christi recordari, mortem ejus annunciare; quod utique includit fidei incrementum. Quisquis enim piè & devotè in solemni sc. cœnæ actu recordatur se edere istud Dominicum corpus, quod pro se verè est in mortem traditum, & se bibere sanguinem Domini, qui pro se in remissionem peccatorum est effusus, istius fides ex hâc tali recordatione & annunciatione, verbis divinæ institutio-

tutionis, à Ministro Ecclesiæ repetitis, innixâ, per divinam benedictionem non potest non confirmari.

V. 4. Cœna Domini fidem confirmat, quia eandem quandoque in eo, qui eam non habuit, divinâ gratiâ generat. Quia verbum institutionis Dominicæ est verbum Evangelicum, per quod Deus ex divina suâ misericordia virtute meriti Christi, fidem in hominum cordibus non duntaxat confirmat & conservat, sed etiam generat & procreat, ita ut Euangelium sit divinum, sed morale organon, non solùm augmentandæ & confirmandæ fidei, verùm etiam procreandæ. Quia ergo illud verbum euangelicum, symbolis sacramentalibus vestitum, non minoris est roboris & virtutis, quàm istis symbolis & elementis vacuum, quidni etiam sacramentum cœnæ sit medium generativum & dativum fidei? si hoc: quidni sacra cæna confirmet & augeat fidem nostram.

VI. 5. Quia sacramenta sunt signa fœderis inter confœderatos. *Gen.* 17. & *Rom.* 4. 11. si signa ergo confirmant fidem, ut de fœdere, ita de promissionibus, quæ in fœdere continentur. Atqui sacra cœna est tale sacramentum. 6. Quia totum ministerium est organon tale, quo Deus in nobis fidem accendit auget *Eph.* 4. 11. & seqq. Ministerii hujus pars etiam in dispensatione sacramentorum, præcipuè cœnæ Domini consistit. Ergo etiam hac parte ex eo fides nostra accenditur & confirmatur.

VII. 7. Quia sacramenta & sacrificia eo differunt, quòd sicut hæc sunt actiones nostræ, in quibus aliquid offerimus Deo, quo testemur nostram obedientiam; ita sacramenta sunt actiones Dei in quibus nobis aliquid offert Deus, ad testandum suum amorem. Sicut ergo Deo offerendo confirmamus obsequium nostrum; ita Deus nobis aliquid in sacramento cœnæ offerendo confirmat fidem nostram. 8 Illi cui addita est promissio remissionis peccatorum, id non potest non confirmare fidem nostram. Atqui sacramento cœnæ, eâque legitimè utentibus, facta est promissio; Ergo non potest non confirmare fidem nostram. Major certa, Minor probatur *Matt.* 26. 28. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

VIII. 9. Quia in hoc sacramento non est nuda ceremonia & ritus externus, ut blasphemè de eo sentiunt Sociniani, consistens in externa comestione panis & bibitione vini, sed est sacramentum in quo est vera communio corporis & sanguinis Christi. Ubi autem

tem

tera communio corporis & sanguinis Christi, ibi confirmatio fidei de remissione peccatorum. Esse autem in sacra cœna communionem corporis Christi probamus.

IX. 1. Quia in cœna Domini per panem significatur corpus Christi & per vinum sanguis ejus; Ergo in cæna est communio corporis & sanguinis Christi: Antecedens probatur. Quia cum Christus institueret hoc sacramentum, *accepit panem, & cum benedixisset, fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Hinc perspicuum est, Panem esse signum corporis, & vinum sanguinis. Consequentia probatur. Quia quemadmodum panis est signum corporis, ita datio panis est signum dationis corporis Christi. Ergo necesse est à fidelibus manducetur corpus Christi, spiritualiter, & per fidem efficacià spiritus Sancti.

X. 2. Scriptura expresse dicit, adeoque negari non potest, in cæna Domini esse communionem corporis & sanguinis Christi 1. *Cor. 10. 16. Poculum benedictionis cui benedicimus nonne communio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus nonne communio est corporis Christi?* 3. Si cœna Domini non est vera corporis & sanguinis participatio, tum in cœna Domini non est vera mortis Christi commemoratio, quem tamen unicùm finem istius ritus, ut illi loquuntur, constituerant Sociniani. At absurdum consequens, Ergo & antecedens. Nam si in cœna Domini commemoratio est mortis Christi; quæ quæso est illa commemoratio? sc. ex Paulo discenda est, *Rom. 8. 32. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. quemadmodum etiam cum eo omnia nobis donabit?* Non potest igitur verè de Christi morte & passione cogitari, quin simul credas tibi eâ fini datum esse Christum, ut in eo remissionem peccatorum habeas.

XI. 4. Si aliquis fiat particeps Jesu Christi, cum promissiones Euangelicas verâ fide amplectitur, tum etiam ejus particeps fit in cœna Domini At verum est prius *Heb. 3. 14.* Consequentia certa Quia si extra sacramentum potest hoc fides, cooperante Spiritu sancto, quantò magis id poterit quum ad prædicationem verbi & ad Euangelii promissiones accedunt sacra symbola, ab ipso Christo in eum finem instituta, ut etiam promissiones efficacius in animis nostris sanciantur. Ex his ergo omnibus liquet, fidem confirmari in sacra cæna de remissione peccatorum.

XII. Socinus se isti fini hujus sacramenti vehementer opponit

scribens lib. de usu & fine cœnæ Domini pag. 25. *Quod omnes ferè opinentur, hoc ritu, quem sacramentum appellant, confirmari fidem nostram, ne id quidem verùm esse censeri debet; cùm nec ullo testimonio probetur, nec ulla ratio sit, cur id fieri possit. Quomodo namque nos in fide confirmare potest, quod nos ipsi facimus? quodque licet Domini institutum sit, opus plane nostrum est, nihil prorsus miri in se continens, aut prese ferens, nihil denique habens quod suadeat fidem nostram, eamque confirmare queat.*

XIII. Sat facilis atque obvia est, ad hæc omnia responsio. Primò, dicit: *nullo testimonio nullâ ratione id probari.* Sed Resp. Testimonio sacro, vel expresse aliquid probatur, totidem verbis, vel ratione & consequentiâ ex scriptura deductâ, talia autem sunt allata nostra argumenta. Deinde ait: *fidem non posse firmari, eò quòd hoc sacramentum sit nostrum opus*: sed huic objectioni respondet Niemojevius Nobilis Socinianus apud Maccovium. *Nonne etiam auditioni verbi divini id adimet, quòd per eam confirmemur in fide, siquidem & hæc est opus nostrum. At legimus ex auditione esse fidem quæ per eandem auditionem in animis, piis perpetuò augetur, atque confirmatur.*

XIV. Præterea, etiam bona opera, nostræ sunt actiones formaliter, & tamen ex iis fides confirmatur. Hinc Apostolus *Vos ipsos tentate an sitis in fide.* 2. *Cor.* 13. 5. Quomodo autem aliquis se tentabit, an sit in fide, & post tentamen de eo confirmabitur, quod habeat fidem? ex operibus. Nam si Christus dicit de falsis prophetis, ex operibus eorum cognoscetis eos *Matt.* 7 multo magis unusquisque suam ipsius fidem ex operibus suis cognoscet. Quia in operibus proximi intercedere debet, judicium charitatis, in nostris verò judicium veritatis locum habet. Ergo certior probatio & confirmatio de sinceritate fidei nostra quàm aliorum. Hinc, Jacobi 2. 15. *Ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Si ergo ex nostris bonis operibus fides nostra possit confirmari, non obstante eo, quòd sint nostra opera; etiam ex usu sacræ cœnæ fides nostra confirmare poterit, non obstante eo, quòd sit nostra actio.

XV. Tertiò inquit, *Sacramentum cœna nil miri in se continet. Ergo fidem confirmare non potest.* Quàm ineptè! Illud quod nil miri in se continet non potest confirmare fidem nostram. Quid miri, si externam speciem spectes, continebat circumcisio, quâ nihilominus fideles de eo confirmabantur, quòd populus Dei essent, atque adeo ad promissiones pertinerent? 1. *Sam.* 17. 26. Acies Dei distinguitur à populo,

pulo, qui Dei non erat, per hoc, quòd circumcisa, Philistæus verò non circumcisus & præputiatus esset.

XVI. Deinde, falsum est, sacramentum cœnæ nihil miri continere; etsi enim miraculum non sit, est tamen in ea admiranda & mira spiritualis significatio & obsignatio unionis nostræ mysticæ cum Christo, quæ sanè magnum est mysterium. *Eph.5.30,31.* Fallit ergo & Major & Minor istius argumenti: Quod nihil miri in se continet, id non potest confirmare fidem nostram. Sacra cœna nihil miri continet. Ergo. Major quidem: Quia annulus qui datur sponsæ à sponso nihil miri continet & tamen sponsam de intemerabili affectu sponsi erga se confirmat. Et bona opera nostra nihil miri in se continent, & tamen ex iis tanquam ex fructibus bonis ad certitudinem fidei veræ, tanquam ad principium verum argumentamur.

XVI. Denique inquit: *nihil habet cœna Domini quod suadeat fidem.* Signa equidem naturâ suâ non habent vim suadendi, sed vi institutionis Domini non habere blasphemum est statuere. Sicut enim signa ista non naturâ suâ, sed ex institutione divina memoriam mortis Christi recolunt; quòd nec ipsi Adversarii negare audent, quippe docentes, eâ fini tantùm institutam esse cœnam, ut mors Domini annuncietur, quod sine memoria fieri nequit; ita etiam, non ex natura sua, sed ex institutione divina habent vim confirmandi fidem.

XVII. Celebratione cœnæ Domini mortem Christi in mentem revocari, non magis excogitatum est, quàm quòd confirmet fidem. Hoc jam assertum, atque instituti divini esse probatum est. Quis jam nisi Spiritus Socinianus negabit ex instituto quoque Christi, mortem ejus cœnâ Domini in mentem revocari, cum ipse Christus dicat: εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν in mei recordationem. *Luc.22.19. 1.Cor.11.24,25.* & adversarii fateantur, finem cœnæ Domini esse annunciationem & solennem gratiarum actionem pro morte Christi. At quomodo quis annunciare potest mortem Christi in celebratione cœnæ Domini, nisi eadem per eandem celebrationem in memoriam revocetur? Distincta equidem sunt, mortem Domini annunciare, eamque sibi in mentem revocare, interim actio illa prior, sine hâc nequaquam esse potest.

XIX. Novi probè, quid oggerat Ostorodus, nimirum: *Ante cœna sacra usum nos debere mortis Christi esse memores, Ergo sacra cœna*

na non ideo instituta, ut nobis mortem Domini in mentem revocet. Ita est, sed aliud est rei memoria simplex, aliud memoria publica, & solemnis repetitio. Prior fit & fieri debet quotidie, altera certis statisque temporibus. Nam si hâc ratiocinatione tollitur finis cœnæ, qui est memoria mortis Christi, eadem ratiocinatione tollam eum quem solum finem statuunt Sociniani.

Prout enim Ostorodus argumentatur: si Christiani dignè sacra cœnâ usuri, ante ejus usum debent mortis Christi probè memores esse: Ergo cœna non est ideo instituta, ut nobis mortem Christi in memoriam revocet; sic ego argumentabor: Si Christiani dignè cœnâ usuri, ante ejus usum debeant mortem Domini annunciare, ergo sacra cœna propterea non est instituta, ut mortem Domini in ea annunciemus. At hæc consequentia judice Ostorodo non valet. Ergo ejusdem judicio & illa non valeat oportet, quia de similibus idem est judicium.

Quæst. 6. *Quid verò de his opinionibus statuendum est?*

Resp. *Nullam ex illis subsistere posse. Etenim cum is finis cœnæ Domini usurpandæ sit ut pro beneficiis acceptis Christo gratias agamus, apparet non eo institutam esse, ut aliquid illic sumamus: Imò qui vult dignè cœnæ Domini participare, eum de remissione peccatorum ex parte Dei certum, ac fide confirmatum esse oportet, & prorsus ita animatum, ut ex illius anima nunquam mortis Domini excedat memoria.*

I. Hæc sc. est ratio cur cœnæ Domini finis inter alios esse non possit mortis Domini commemoratio & fidei de remissione peccatorum confirmatio. *Quia finis cœnæ Domini est pro beneficiis acceptis gratiarum actio.* At vero unius rei possunt esse multi fines, quorum uno posito, reliqui non tolluntur. An ergo, quia sacrâ cœnâ utimur ut gratias agamus, non simul eo fine uti possumus ut fidem confirmemus, ut memoriam mortis Christi refricemus? Absurda sanè est ista Smalcii Logica.

II. Finis etiam sumpti cibi corporalis est gratiarum actio. Ergo finis ejus esse non potest ut eo sumpto

ſumpto de paterna Dei cura erga nos confirmemur, neque ut eo ipſo paternam ejus στοργὴν in memoriam revocemus!

III. Porro, animadverte, quàm craſsè hallucinetur Adverſarius dicens: *cœnam non eſſe inſtitutam ut ibi aliquid ſumamus.* At verò Chriſtus expreſsè dicit: *accipite, edite*; Ergo ſumendum aliquid. Quid autem? Panis nudus? minimè; quia ſic cœna Domini non differret à cœna vel prandio communi. Ergo panis ſacramentalis ſignificans aliquid, quod non ſignificat panis in quotidiano uſu. Quid illud? Corpus Chriſti, dicit enim Chriſtus: *accipite, comedite, hoc eſt corpus meum.* Quale corpus? *quod frangitur pro vobis.* Cum ergo fideles veſcantur pane, qui ſignificat corpus Chriſti pro ſe fractum, quomodo comeſtione talis panis non poſſint imò debeant de remiſſione peccatorum ſuorum certiorari?

IV. Verùm equidem eſt, qui dignè de cœna Domini vult participare, eum ex parte Dei certum eſſe oportet de remiſſione peccatorum. At verò quia hæc certitudo quotidiana peccati frequentatione collabaſcit, frequenter eo medio, quod Deus hâc fine ſanctificavit corroboranda eſt. Quia eam ſententiam, quæ cœnam Domini facit ſacrificium pro vivis & mortuis, noſtram non facimus, Papiſtis eam defendendam relinquimus; adeoque quæſtionem, quâ ſententia Pontificia confutatur præterimus, pergimus ad .

V. *Quæſt. 8.* qua explicat triplicem ſenſum datum horum verborum: *Hoc eſt corpus meum. Etenim,* inquit, *alii cenſent, panem in corpus, vinum in ſanguinem reipſa mutari, quod illi transſubſtantiationem vocant: alii corpus Domini in pane, ſub pane, cum pane eſſe ſentiunt: ſunt denique, qui in cœna Domini verè corporis & ſanguinis Domini participes exiſtere ſe autumant, ſpiritualiter tamen, quæ opiniones ſunt omnes fallaces & erroneæ.*

VI. Priores equidem duas opiniones, Pontificiam ſcil. de Transſubſtantiatione, Lutheranam de conſubſtantiatione, quâ Chriſtus dicitur eſſe *in, cum* & *ſub* pane non adoptamus. Rationes, cur neutra harũ ſententiarum tolerari poſſit, vide alibi à Noſtris, ut fusè, ita ſolidè explicatas. Negamus autem tertiam ſententiam eſſe erroneam, quæ ſtatuit, corpus Chriſti in cœna realiter ſpiritualiter adeſſe, adeoque fideles legitimè utentes cænâ, corporis Chriſti fieri realiter ſpiritualiter participes.

VII. Rationes ob quas talem corporis Chriſti præſentiam & comeſtionem negat *Quæſt. 9.* ſub finem, exſibilandæ ſunt. Prima

sic habet: *Tertia opinio locum habere nequit, cùm ea pugnent inter se, reipsâ corporis Christi esse participem, & spiritualiter illius participem esse.* Minimè verò, spirituale & reale non pugnant. Nam non tantùm id, quod corporale est, reale est, sed etiam quod spirituale est. Alioqui unio nostri cum Christo ut capite, quæ spiritualis est (sumus enim unum cum Christo spiritu) realis non esset, sed imaginaria tantùm. At verò unio illa realis est, quia Christus caput est, nos membra *1. Cor. 6.* Christus vitis est, nos palmites *Joh. 15.* quæ sanè non potest non dici realis unio; & tamen unio ista spiritualis est. Sequeretur etiam unionem fidelium inter se, quatenus unum corpus mysticum constituunt, non esse realem, quia spiritualis est. Quibus sic se habentibus, contradictio nulla, dum docemus, nos corporis Christi non non corporaliter, sed spiritualiter realiter fieri participes.

VIII. Tacitè etiam hîc supponit, sed falsò, cujus per fidem simus participes, istius nos non fieri realiter participes. At verò si res ita habet. Ergo nec vivimus realiter in Christo, *Joh. 6.* nec realiter fructus ferimus in Christo *Joh 15.* nec realiter super Christum ædificamur *1. Pet. 2.* nec realiter Christo superædificati crescimus. *Eph. 2.* Quæ omnia absurda sunt. Ergo & illud absurdum est: Christi nos in cœna non fieri realiter participes, eò quòd fide de eo participemus.

IX. Alteram rationem quâ improbat sententiam nostram, sed priore non meliorem, subnectit. *Et opinionem*, inquit, *nullo modo certam esse ipsi produnt, cum fatentur, modum hunc sumendi corporis Christi, esse prorsus inexplicabilem, aut qui id fiat se planè ignorare.* Quia etsi modus alicujus rei explicari nequeat, ideo tamen res ipsa non est neganda: multarum rerum modi à nobis ignorantur, quas tamen ipsas non negamus. Quem autem nostrorum in specie carpat Catecheseos author nescio; sed tamen ex Socino ipso, ex quo ut genuinus discipulus hanc Catechesin compilavit Smalcius facilè colligo, eum Calvinum hîc suggillare, qui lib. 4. Instit. cap. 17. §. 7. de unione & communione cum Christo disserens scribit: *Itaque nihil demum restat, nisi ut in ejus mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* sed quid hæc ad rem? Calvinus loquitur de unionis & communionis mysterio; illud ob summum mysterium, quale illud nuncupat Apostolus *Eph. 5. 32.* ait esse inexplicabile. Ergo Cal-

Calvinus docet modum comestionis corporis Christi in cæna esse inexplicabilem. Confer ipsum Calvinum loco citato & videbis quâ ratione modum participationis Christi in cœna, nimirum per fidem, explicet.

X. Johannis 6. capite non de sacramentali manducatione, sed de spirituali manducatione per fidem agi, adstipulor Smalcio contra Pontificios & Lutheranos, ob eas quas *Quæst. 10.* adducit rationes. Nimirum. Quia ille qui taliter edit corpus Christi, qualiter Christus dicit *Joh. 6.* is habet vitam æternam. At non omnis qui sacramentaliter corpus Christi edit, illico vitam æternam habet; sed multi indignè edunt & rei fiunt corporis Christi adeoque damnantur. Item *Joh. 6.* capite agitur de tali manducatione, sine qua nemo salvari potest. At verò sine sacramentali manducatione salus obtingit & infantibus, & adultis, qui hoc sacramento quandoque injuriâ temporum privantur.

XI. Agitur capite illo de manducatione spirituali, quæ est per fidem in Christum, cujus adæquatum objectum non tantùm est mortis Christi meditatio, sed omnium ejus beneficiorum, legis impletione, nativitate, passione morte, resurrectione, ascensione spiritus sancti missione pastorum. E quâ mediatione non tantùm vires sumimus ad vitam piam & immortalem capessendam; ac si Christus passione suâ nobis tantùm exemplo præivisset, quod nos imitantes eodem modo in gloriam ingredi queamus; sed & insignis oritur consolatio, quòd cum nobis æternâ morte æternùm pereundum fuisset, Christus vice nostri eam fuerit passus, eamque vice nostri superaverit, adeo ut jam nobis mors illa æterna terrori esse nequeat, sed eâ devicta nobis ad æternam vitam aditum patere, tuti esse queamus. Hæc salutaris est meditatio mortis Christi, quæ eam ut meritoriam vitæ & salutis suæ intuetur, exemplo Pauli qui Christum crucifixum ita intuitus est, ut diceret; *qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me. Gal. 2. 20.*

Quæst. 11. *Qui verò verba illa Pauli accipienda sunt?* Calix benedictionis quem benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? & panis quem frangimus nonne est communio corporis Christi?

Resp. *Ad eum modum, quòd ii omnes, qui calicem hunc benedicunt, id est, eo usi, sanctè nomen Domini celebrant; similiter, qui panem communiter frangunt, apertè testatum faciunt, quòd participes sint corporis & sanguinis Domini, id est, omnium bonorum, quæ Christus nobis per mortem suam peperit: ut inferius paulò de Israelitis etiam ait, Israelitas qui victimas manducabant, altaris participes fuisse, id est, ad ea omnia, quæ in illa religione promissa fuere, pertinuisse.*

I. Prævidit Adversarius, opinioni suæ, quâ statuit sacram cænam esse nudum ritum & ceremoniam, ad quam debet fieri mortis Christi annunciatio & publica pro ea gratiarum actio, multum obesse, sole clarissima verba Apostoli: *Calix benedictionis quem benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi*, id est, calix quem benedicendo bibimus nonne habet communionem cum sanguine Christi? nonne eum bibendo, bibimus sanguinem Christi? *Panis quem frangimus*, hoc est, quem fractum edimus, nonne est communio corporis Christi? hoc est, nonne eum edendo, edimus corpus Christi? cùm inter eum & corpus Christi sit communio, quemadmodum communio est inter vinum & sanguinem Christi.

II. Ideoque ea sibi explicanda proposuit, quâ explicatione, implicatione potius, obviam iret sententiæ nostræ, quâ docemus, nos non tantùm occasione istius ritus cœnæ, mortem Christi annunciare & solemnes pro ea Christi gratias agere, verùm etiam animas nostras per fidem spiritualiter corpore Christi ad vitam æternam pascere, adeò, ut mors & fractio Christi actione istâ in mentem revocetur, fructus ex ea ad nos redundans applicetur, nosque per istam manducationem in fide de remissione peccatorum magis magisque certioremur.

III. Audiamus commentantem Smalcium: *Ad eum* inquit *modum, intelligenda sunt, quòd ii omnes qui calicem hunc benedicunt, id est, eo usi, sanctè nomen Domini celebrent; similiter, qui panem communiter frangunt, apertè testatum faciunt, quòd participes sint corporis & sanguinis Domini, id est, omnium bonorum quæ Christus nobis per mortem suam peperit.* Tolerabilia hæc videri possent;

ſent, ſi corticem externum verborum ſpectes. Splendidè enim dicitur: *qui calicem benedicunt*, id eſt, *eo uſi, ſanctè nomen Domini celebrant*. Hæc enim vera ſunt circa communionem & uſum calicis, ſanctè nomen Domini celebrari debere. Quid porro? an actione iſta teſtatum faciunt, *quòd ſint corporis & ſanguinis Chriſti participes*? Ais. at verò doces ſacram cœnam eſſe nudum ritum à Domino inſtitutum, quomodo ergo in nudo ritu & ceremonia externa corporis Chriſti participes? Aut ſi participes, tum dogma tranſubſtantiationis & conſubſtantiationis improbes, ſpiritualem noſtrum communicandi de Chriſti corpore modum approbes oportet; quia alius præter hunc non datur ſacramentalis.

IV. Ne hunc modum communicandi de corpore Chriſti admittat noſtrum, explicat porro, quid per τὸ participem eſſe corporis & ſanguinis Domini intelligat: nimirum hîc per corpus & ſanguinem, intelligi *omnia bona, quæ Chriſtus nobis ſua morte peperit*. Quæ autem quæſo Sociniani ex veſtra ſententia ſunt bona illa morte Chriſti nobis parta? Ea ſc. explicantur infra cap. 8. de morte Chriſti *Quæſt. 4.* dum dicit Catechetes noſter: duas iſtius mortis extitiſſe cauſas; prima ut ſalvandos ſuo exemplo moveret ad perſiſtendum in via ſalutis, quam ſunt ingreſſi: altera, ut iiſdem in omni tentationum laborum & periculorum certamine adeſſet, opitularetur: & tandem ab ipſa morte æterna liberaret, & dum *Quæſt. 12.* ait, *nullam prorſus aliam mortis Chriſti cauſam fuiſſe*. Bona ergo iſtâ morte Chriſti parta & merita, realia nulla ſunt, ſed tantùm exemplaria, quatenus ſc. viam ſalutis nobis exemplo ſuo oſtendit. At verò bonum iſtud bonum eſſe non poteſt iis, qui crudeli morte non afficiuntur. Nam ſi mors Chriſti exemplum eſt, ad quod componi oportet eos, qui ſalvari volunt, nulla ad eos ſolida redundare poteſt conſolatio, qui placida morte ex hac vita decedunt.

V. Alterum beneficium quod ad ſalvandos ex morte Chriſti redit, quod ſc. Chriſtus iis, in omni tentationum genere adſit, opem ferat, tandem ab æterna morte liberet, nequaquam à Chriſto ſperari poteſt, ſi non ſit eſſentiâ Deus. Si dicat Socinianus, ſufficere, eum eſſe factum Deum & conſtitutum Dominum, ac ea propter illi iſta competere. Dico Adverſarios principium petere. Ac ſi ſcilicet dona iſta, quæ non niſi ab infinita potentia fieri poſſunt, in eum qui factus eſt Deus quadrare queant, cum & ſupra in-

culcatum frequenter, infinita potentia infinitum subjectum cadere minimè possit, nisi eadem operâ communicatâ infinitâ potentiâ communicetur infinita essentia, quod absurdum; quia sic infinita multiplicarentur, quorum plus uno esse nequit. Sed hæc postmodum altioris futura sunt indaginis. Hoc hîc indicasse sufficiat; aut Socinianos speciosis verborum ambagibus errores suos incrustare, aut hypotheses proprias funditus evertere.

VI. Sed ais, *testatum faciunt quòd participes sint sanguinis Christi:* Quomodo istorum participes, cùm te judice omnes istæ sententiæ, quæ vel transubstantiationem, vel consubstantiationem, vel spiritualem corporis Christi comestionem statuunt, sint erroneæ? Quomodo corporis Christi utentes sunt participes, cùm Panis & vinum ne signa quidem sint tuo judicio corporis & sanguinis Christi, sed cœna Domini nuda sit ceremonia. Et quæ tandem illa participatio? oralis non est; Damnas Pontificios, Luther. Spiritualis non est quia & hoc tibi erroneum. Fidei non, Quia fides eâ non confirmatur.

VII. Ergo sic argumentor. Sociniani aut oraliter, aut spiritualiter, aut fide participant in usu cœnæ de corpore & sanguine Christi, aut omnino non participant. Atqui nullo modo. Ergo mera verba sunt cum dicunt, se usu istius ceremoniæ testatum facere, quòd sint corporis & sanguinis Christi participes.

VIII. Sed modum participationis explicare videtur ultimis quæstionis verbis: *Vt inferius paulo de Israëlitis etiam ait: Israëlitas qui victimas manducabant, altaris participes fuisse, id est ad ea omnia quæ in illa religione promissa fuere, pertinuisse.* Sit ita, rem evolvamus. In voce altaris Synecdoche partis pro toto est; altare nominatur & totus cultus altaris intelligitur. Est etiam metonymia signi & signati. Altare enim erat Deo consecratum & significabat Christum, unde Apostolus ad *Hebr.* 13. Christum vocat altare nostrum. Hinc intelligere est, quid sit participare de altari, nimirum, non tantùm se profiteri esse religionis & cultus illius socios, sed etiam participare de re istius altaris significata.

IX. Jam argumentor: Quomodo Judæi altaris participes, ita & Christiani corporis Christi: (Ipse Adversarius Majoris istius veritatem suppeditat, participationem Christi, per participationem altaris explicans.) At Judæi realiter participabant incultu altaris de altari, hoc est, re altare significatâ, quæ est Christus. Ergo realiter participant etiam Christiani.

ſtiani. Porro, quænam ſunt illa, èffare, quæ promiſſa fuere illi altaris religioni. Terrena tantum bona? Nego; principium petis; fuit promiſſa ſalus in Chriſto tot luculentis dictis, tot ſignis, atque typis; fuit expreſsè promiſſa juſtificatio, circumciſio cordis, vita æterna, quod pauló poſt probandum. Ergo; Quemadmodum veteres participando altari, participes fuerunt verè donorum ſpiritualium morte Chriſti partorum, non quoad *exemplum*, ſed quoad *rem & efficaciam*; ad eum modum, etiam Chriſtiani participant de corpore Chriſti, non tantùm quoad exemplum ſed etiam quoad rem & efficaciam.

Quæſt. 11. *Expone mihi igitur verum & genuinum illorum verborum Domini* hoc eſt corpus meum *ſenſum?*

Reſp. *Nativus & genuinus horum Chriſti verborum ſenſus eſt, ac ſi Chriſtus dixiſſet. Hæc actio frangendi & manducandi panis hujus eſt commemoratio & adumbratio quædam ejus, quod corpori meo futurum eſt, & hæc actio fundendi & bibendi vini hujus commemoratio & repræſentatio quædam eſt, quid ſanguini meo fiet: vel (ut verba Pauli Apoſtoli explicemus,* 1. Cor. 11. 25.) *bibitio ex eo calice eſt commemoratio illius ingentis divinæ Charitatis, quæ nobis in novo fœdere exhibita ac morte Chriſti eſt confirmata. Atque ad eum modum ſcriptum extat de illo inſueto agni Paſchalis edendi more, [etenim lumbos erant ſuccincti, pedes calceati; ac baculum manibus gerentes, & comedebant eum feſtinantes* Exod. 12. 11. 27.] *eum fuiſſe tranſitum Domini: tum etiam de illorum crinium parte ſecta, parte exuſta, parte diſſipata, parte ſervata, & ex iis quædam igne conſumpta: hoc eſſe Hieruſalem.* Ezech. 5. 1, 2, 3, 4, 5.

Ergo;

I. Erroneis hic commentarius nititur hypothesibus, quasi non nisi errorea hæc, quam dat Smalcius verborum Christi, *hoc est corpus meum* est exegesis. Quia enim cænam sacram nudum statuit ritum, & non sacramentum, in quo relatio est signi, ad rem signatam, & hæc de illo prædicatur, ita etiam particulam nuncupativam signi *Hoc*, non de signo, sed te tota actione explicat. At verò. Cæna Domini, ut dictum, nudus ritus *commerativus* non est, sed sacramentum & ritus *confirmativus*, in quo mutua signi & rei signatæ relatio.

II. Nam si quæras ex Adversario, ecquid commemoras dum panem in sacra cæna sumis, & dum vinum bibis? anne tantum simpliciter Christum esse, mortuum pro hominibus? Atqui hoc diabolus etiam credit. Hactenus ergo fides tua à diabolorum fide aliena non est. Speciale ergo aliquid commemores, oportet. Quid illud? Nimirum, Christum pro te mortuum; atqui hoc non potest non confirmare fidem tuam. Nam si instituta est cæna Domini, ut commemoretur hoc beneficium & commemoretur tuo bono, ergo per hoc confirmaris de fide tua.

III. Heterodoxa est expositio verborum Christi, cum Smalcius pronomen demonstrativum *hoc* explicat de tota actione. Heterodoxa inquam. Adversarium habet Gratianum Prosperum Logicum Socinianum, qui Elench. Sophist. cap. 4. inquit, *Panis vocatur corpus Christi; quia corpus Christi, quod realiter sedet ad dexteram Dei significat.* 2. Ipsam institutionem quà τὸ *Hoc facite*, refertur ad totam actionem, non τὸ *Hoc est corpus meum.*

IV. Verba Apostoli *1. Cor. 11. 25.* equidem dicunt, bibendum esse poculum ad Christi commemorationem, (talem scilicet, quæ sine confirmatione fidei dignè ex hoc poculo bibenti esse nequit, ut supra dictum) sed non docent particulam *hoc*, de qua controvertitur, ad totam actionem referri debere. Versu hoc refertur ad actum bibitionis, dum dicit Apostolus *hoc facite*, item versu præcedente de actione fractionis, comestionis dicitur, *hoc facite.* Aliud autem est loqui de actione, aliud de objecto actionis, quod illâ propositione, *Hoc est corpus meum*, indicatur.

V. Porro, inquit, *bibitio ex calice, est commemoratio illius ingentis divinæ Charitatis* &c. Quæro, ut supra, quomodo is, qui bibit, commemorat illam ingentem charitatem, an tantùm *genericè*, Christum scilicet esse mortuum? atqui

atqui hoc & diaboli credunt. An verò etiam *ſpecificè* commemorat Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, & ſibi illam ingentem Charitatem præſtitam? ſi talis ſit commemoratio mortis Chriſti, ut eſſe debet, ſi à diaboli & impiorum differre debet, non poteſt non hâc comeſtione & bibitione fides noſtra confirmari, contra quàm ſupra contendit Smalcius.

VI. Item: *eſt commemoratio ingentis illius divinæ Charitatis.* Quæ verò illa Charitas ingens ſit, non explicat. Si putet in eo eam ſitam eſſe, quòd Chriſtus à Deo nobis datus ſit in exemplarem ſalvatorem, fundamentum totius Chriſtianiſmi evertit, ut paulo poſt ubi de morte Chriſti acturi ſumus, clariſſimè demonſtrabitur.

VII. Prædicationem illam, *Paſcha eſt tranſitus*, fruſtra tanquam commentarium iſtius *hoc eſt corpus meum*, adfert. Quia principium petit, dum tranſitum interpretatur de tota actione; cùm potius de ipſo Paſchate in abſtracto prædicetur; hoc ſenſu: Paſcha eſt ſignum tranſitus.

VIII. Locum ille *Ezech. 5. 5.* זאת יְרוּשָׁלַ͏ִם *iſta Hieroſolyma* perperam accommodatur actioni emblematicæ, verſibus antecedentibus de raſura exuſtione, diſſipatione &c. Crinium deſcriptæ. Cum reſpiciat propheta ad civitatem, quam lateri inciſam manu tenebat vid. cap. 4 1. deque ea, quia imaginem urbis referebat, dicit Propheta, iſta eſt Hieroſolyma, id eſt, hæc pictura eſt ſignum urbis Hieroſolymitanæ, vel ſignificat eam urbem.

IX. Si Adverſarius iſtas propoſitiones ſtatuat eſſe parallelas. *Hoc eſt corpus meum*, & *Iſta eſt Hieroſolyma*, Inverto argumentum? Sicut hæc verba *iſta eſt Hieroſolyma* non poſſunt referri ad totam actionem radendi diſſipandi, &c. Crinium, ſed urbem in latere delineatam, quam manu tenebat Propheta. Ita etiam hæc verba, hoc eſt corpus meum, non poſſunt referri ad totam actionem frangendi, comedendi, &c. ſed ad panem quem manu tenebat Chriſtus, hoc ſenſu: Hîc panis eſt ſignum corporis mei frangendi, quemadmodum apud Prophetam, iſta delineatio eſt ſignum urbis Hieroſolymæ, adeoque pro nobis, non contra nos facit uterque locus allegatus, neuter verò gloſſemati erroneo Adverſarii favet.

convertebantur. Quia Apostolis mandatur, ut baptizent omnes gentes *Math. 28. 19, 20.* omnem creaturam aptam scilicet baptizari *Marc. 16. 15, 16.* & non tantum Judæos aut eorum liberos sed etiam *omnes longè post futuros Act. 2. 37, 38, 39.* Nec is tantùm erat finis baptismi, *ut Christum suum Dominum esse profiterentur.* Verùm etiam, & quidem primariò, ut regeneratio per hunc ritum, baptismus in mortem Christi significaretur, obsignaretur. Sed hæc ad quæst. sequentem uberius explicanda erunt.

Quæst. 2. *Num ergo ad eum ritum infantes pertinent.*

Resp. *Nullo pacto. Nam nec in scripturis ullum mandatum, aut exemplum ea de re habemus, neque ipsi [ut res ipsa indicat] Christum pro suo servatore agnoscere per ætatem possint.*

I. Quia anteced. quæst. subjectum baptismi tantùm Judæos & gentiles ad religionem Christianam conversos esse statuerat, ideo hâc quæstione infantes à baptismi materia *circa quam*, eliminandi fuerunt. Sed quibus argumentis, audiamus. Primò ait, *Quia nullum mandatum ea de re in scriptura habemus.*

II. Primò: *Quia in scriptura nullam ea de re mandatum habemus.* Falsum. Expressum est mandatum. *Math. 28. vers. 19. Baptizate omnes gentes.* At inquis hoc de adultis verùm est. Quæro, ubi ea sit restrictio? Dicis, in textu. Ubi dicitur *docete*, baptizate; Ergo ii baptizandi qui capaces sunt doctrinæ; cujus cum infantes non sint capaces, sub hoc mandato baptismus eorum comprehendi nequit. Sed *Resp.* Mandati hujus non esse sensum, quod nemo baptizari debeat, nisi qui doctrinæ sit capax, sed doceri debere, qui doceri possunt, scilicet ex adultis qui tunc magno numero se Ecclesiæ aggregaturi erant.

III. Deinde, aliæ rationes id ipsum evincunt, sub hoc mandato etiam infantes comprehendi. Primo. Aut hîc mandatur baptismus infantum aut nullibi. Non nullibi. Quia sic arctior esset gratia Vet. Testam. quam Novi. Habuisset siquidem Ecclesia Vetus Sacramentum initiationis & receptionis in fœdus, quo Ecclesia Nov. Test. careret. Cum tamen

gratia Novi Test. multò sit uberior, quàm ea gratia, quam habuit Ecclesia vetus. 2. Quia ad quos pertinet res signata, ad eos etiam pertinet signum. Atqui ad infantes res signata pertinet, nimirum regeneratio, regnum cœlorum *Math. 19. 14.* Ergo & signum. Quia eadem ratio baptismi, quæ circumcisionis. Atqui infantes circumcidebantur. Ergo etiam infantes baptizari debent; alioqui analogia circumcisionis & baptismi infringeretur, quam adstruit Apostolus *Col. 2. 11, 12.*

IV. Inquiunt autem Sociniani *Math. 28. 19.* non agi de baptismo *aqua* sed *doctrina*. Frustra. Quia doctrina per verbum μαθητεύσατε exprimitur. Et si de baptismo doctrinæ ageretur, Christus doctrinam non sine insolenti tautologia præcepisse dicendus esset. Ita enim reddenda erunt verba: *Docete omnes gentes, docentes eos.* Nusquam in Sacra Scriptura τὸ βαπτίζειν additum verbo μαθητεύσατε significat docere: nec usquam Apostoli leguntur docuisse in nomen Patris Filii & Spiritus Sanct.

V. Præterea ita intelligendum hic est τὸ baptisare, quemadmodum Apostoli intellexerunt. At Apostoli non de baptismo doctrinæ sed aquæ intellexerunt. Quod probo; Quia postmodum administrârunt baptismum aquæ. Hinc: Baptismum aquæ aut ad mandatum Christi administrârunt, aut non; si prius; ostendant Adversarii aliquod istius rei mandatum, præter hoc, quod his verbis continetur. Si posterius ab errore non sunt immunes, imò nec ab injuria in Deum, arrogantes sibi, quod solius Dei est. Quia ut cultus à solo Deo præcipi potest, ita etiam media cultus instituere, non licet mortalium nulli. Adeoque, si Apostoli extra speciale mandatum baptismum instituissent, administrassent, in jus Dei involassent, sociosque se filiorum Aaronis alienum ignem offerentium constituissent.

VI. Adhæc ille baptismus hic mandatur, quem Apostoli antea quoque adhibuerant. Si enim Christus alium hoc mandato invehere voluisset nullâ additâ limitatione aut determinatione, suspensos tenuisset Apostolos, atq; in re seriâ dubios, ut quid sibi facto opus sit, ancipites hærerent. At baptismus aquæ antea ab Apostolis fuerat adhibitus. *Joh. 3. 22.* Ergo etiam hoc loco idem intelligitur.

VII. Argutos se hic ostendunt Sociniani. Ita argumentari solent. Si Christus, *Math. 28.* baptismum aquæ mandavit. Ergo Apostoli eâ formulâ in nomine Patris Filii & Spiritus Sanct administrantes baptismum usi sunt.

Con-

VIII. Concedo totùm. Instant illi. Qui tantùm baptisarunt nomine Christi, vel in remissionem peccatorum, illi non sunt usi istà formula. Consequentiam nego. Explicandæ sunt phrases. Baptisari in nomen Christi, significat, baptisari ad mandatum Christi, quemadmodum sacerdotes, Hierosolymitani ex Apostolis Evangelium de Christo prædicantibus percontantur *quo nomine vos hoc fecistis* Act. 4. v. 7. id est, ad cujus mandatum.

IX. Cum ergo Apostoli dicuntur in nomine Christi baptizasse, dicuntur baptizasse ad mandatum Christi quod erat, ut in nomine Patris Filii, & Spiritus S. baptizarent. Ut ergo in aliis, *Discipuli fecerunt, sicuti imperaverat eis Iesus* Math. 21. 6. & 26. 19. Quare hîc à mandato præscripto recessisse dicendi sunt.

X. Nec ejus rei ulla ratio dari potest, cur Apostoli formulâ Christi posthabitâ aliam ex proprio cerebro commenti fuisse statuendi sint. Sanè discipuli Magistro suo hâc parte vel sapientiores vel majores non fuerunt. Et Paulus Corynthios cænâ Domini non rectè usos revocat ad primam institutionem; *A Domino accepi, quod tradidi vobis* Quidni reliquos Apostolos in baptismo id æquè fecisse censeamus?

XI. Nec obscura praxeos istius indicia habemus. *Act. 19. 3.* Ubi postquam quidam discipulorum Ephesinorum Paulo percontanti, accepissent ne Spiritum Sanct. respondissent, se ne quidem scire an sit Spiritus Sanctus, legimus eum retorsisse, *In quid ergo baptizati estis?* Cui quidem quæstioni locus nullus, nisi Apostolus eam praxin formulæ in nomine Patris Filii & Spiritus Sanct. præsupposuisset.

XII. *Dices.* Si quippiam hinc elicitur, hoc est, fuisse in nomen Spiritus Sanct. baptizatos, non autem in nomen Patris quoque & filii. *Resp.* Quæ ratio est Spiritus Sancti eadem quoque est ratio, reliquarum personarum; nam si liceat baptizare in nomen Spiritus Sancti detur ratio, cur non in nomen reliquorum quoque personarum baptizare fas sit. Ergo probato eo, quòd Apostoli baptizarint in nomen Spiritus Sancti, probatur etiam eos in nomen Patris & Filii baptisasse, & consequenter eos formula à Christo præscripta fuisse usos.

XIII. Sicut autem per nomen Christi intelligitur mandatum & præceptum, sive baptismus ad jussum & mandatum Christi administratus: ita istâ phrasi *baptizari in remissionem peccatorum*, finis & scopus baptismi indigitatur,

quòd scilicet Apostoli fideles baptizarint in remissionem peccatorum, quæ datur per Christum, & propter mortem Christi, immersione adumbratam. Ergo hactenus ostensum est baptismum parvulorum niti mandato divino. Videamus quid secundo prætendat Adversarius.

XIV. Dicit. *Nos nullum eâ de re exemplum habere.* Respond. Non exemplis sed legibus standum esse. At verò lex & mandatum est, quod sufficit, etsi exempla alicujus rei dari nequeant. Et prout non omnia in S. literas relata sunt quæ Christus fecit, *Ioh. 21. v. 25.* Ita dubium nullum, quin multa etiam fecerint Apostoli, quæ scriptis comprehensa non sunt. Et quoties integræ familiæ memorantur baptisatæ *Act. 16. 33. 1. Cor. 1. 16.* toties adducuntur exempla infantium baptizatorum.

XV. Tertia ratio quâ baptismum ad infantes pertinere negat est: *Quòd Christum pro suo servatore agnoscere per ætatem non possint.* Alias cùm Mennonitis urgere solent. Eos esse baptizandos, qui credere possint. At infantes credere non possunt. Ratiocinatio hæc est. Intellectum requiri ad baptismum, quo cum careant infantes, non esse eos legitimum baptismi subjectum. Sed Responsio obvia est. Par ratio est baptismi & circumcisionis. Jam si quippiam valeat hæc ratiocinatio contra baptismum, etiam valebit contra circumcisionem, quæ jussu Dei administrabatur infantibus octiduanis, qui in hac ætatula Deum non potuerunt pro Deo suo agnoscere, nec se ad ejus cultum obstringere.

XVI. Quid ergo? In fœdus divinum adsciscebantur, in Ecclesiam inserebantur, etsi quid fœdus fuerit, quale signum fœderis reciperent, quidve Deus ab illis stipularetur ignorarent. *Ambula coram me & esto perfectus. Gen. 17. 1.* nec conditionem stipulatam præstare possent. Pari modo in fœdus Evangelicum adsciscuntur parvuli beneficio baptismi atque in Ecclesiam inseruntur, etsi quid baptismus sit non intelligant, nec quid à baptizatis Deus requirat: sufficit, si de eo postmodum edoceantur.

Quæst. 3. *Quid verò de iis sentiendum est qui infantes baptizant?*

Resp. *Quantumvis hâc in re errent, non licet tamen*

ideo

ideo eos condemnare, modo alioquin idololatræ non sint, sed scitè secundum præcepta Christi vivant, & alios sententiam ipsorum repudiantes non persequantur. Non consistit enim regnum Dei in hujusmodi externis, sed in justitia pace & gaudio in Spiritu Sancto.

I. Scilicet ratiunculis tribus evincit Adversarius, eos, qui infantes baptisant, errare. Imò crassum errorem cùm suis eum errare à responsionibus nostris, ad rationes istas liquet clarissime. Quare opus non est ut tam benignum se ostendat ad condonandum nobis errorem. Nos Deum precamur, oculos Deus Adversariis det ut videant, & discant, non ex cerebro suo, sed ex scriptura sapere, adeoque infantibus hoc initiationis sacramentum in Ecclesiam non negare, illudque pro externa ceremonia & ritu nudo habere.

Quæst. 4. *Quid verò ea de re statuis, quòd sunt qui putent se hoc ritu regenerari?*

Resp. *Falluntur vehementer ejusmodi. Etenim regeneratio nihil aliud est, quàm rationis & voluntatis nostræ transformatio, & ad Christi conservatoris nostri doctrinam compositio, ut ipsa vox regenerationis indicat. Verum ejusmodi transformationem in infantibus locum habere nequit, qui ignorant quæ dextra quæ sinistra sit, tantùm abest ut res tanti momenti in eos cadat. Adultos verò in quibus mentis & voluntatis transformatio locum habet, aquâ regenerari posse tantùm à veritate abest, ut etiam videatur quidpiam hoc idololatriæ simile: cùm rei materiatæ hoc adscribitur, quod ipsi Deo & sacro ejus verbo tantùm adscribendum est, cùm is sit qui nos volens genuit verbo ve-*

bo veritatis suæ, & semen illud non corruptibile, sed incorruptibile, quo nos regenerari oportet, sit illud verbum Dei vivum & in æternum perseverans, Iac. 1. 18. 1. Pet. 1. 23.

I. Paria non facimus cum Pontificiis, qui sacramenta ex opere operato rem signatam conferre docent, adeoque baptismum Physicè abluere maculas peccati, quod Lutheranorum est dogma. Neutrum statui potest, quin idem tribuatur sacramento, imò elemento aquæ, quod Deo efficienter, sanguini Christi meritoriè nos regeneranti.

II. Interea istam evacuationem Sacramenti Socinianam non ferimus. Quia Deus ipse hoc præstat in electis tam infantibus quàm adultis, *efficienter*, quod baptismus designat & obsignat *moraliter*. Hinc illa baptismi epitheta, quòd sit *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5. quòd sit, *stipulatio bonæ conscientiæ* 1. Pet. 3. 24. Ergo dicimus baptismum esse instrumentum Dei morale externum, quo Deus infantibus electis, iteroque adultis gratiam regenerationis à se vel præstitam, vel præstandam. (quia collatio istius gratiæ non semper præcisè alligata est baptismo, confertur ea quandoq; ante, aliquando post externum baptismum baptizato) obsignat, eosque de ea certiorat, quia qui baptizantur, baptizantur in remissionem peccatorum.

III. Etsi autem præcisè modum regenerationis infantium determinare nequeamus; tamen à negatione modi, non procedit ad negationem ipsius vi. Regenerantur infantes; nisi enim regenerarentur, non salvarentur, dicente ipso Christo: *Nisi quis renatus fuerit, non ingredietur in regnum cælorum.* Joh. 3. v. 5. Si ergo introeunt in regnum cælorum, ut introeunt, regenerantur quia *talium est regnum cælorum* Marc. 10. 14. *Caro autem & sanguis regnum cælorum non possidebunt.* 1. *Cor.* 15. 50. non quod essentia carnis aboleri debeat in eo, qui regni Dei hæreditatem consequetur. Sed quod mutatio accidentium istius carnis, quæ est ipsa regeneratio, necessariò requiratur.

IV. Cum ergo salus infantibus negari non possit, regeneratio etiam iisdem competat oportet, quamvis non præcisè talis, qualis sese exerit in adultis, Quippe in infantibus adhuc tenerioris ætatis, propter defectum exercitii facultatum exerer se non potest; exserit se tamen, in iis qui ad provectiorem ætatem pertingunt.

Ad-

V. Adultos non aquâ regenerari dicimus, sed aquâ sacramentali iis regenerationem obsignari docemus, quemadmodum circumcisione corporis circumcisionem cordis, eò quòd baptismus dicatur *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5. Et proinde à nobis nihil committitur idololatriæ; quia aliter Deo tribuitur regeneratio, aliter sacramento baptismi; Deo *efficienter*, sacramento *obsignativè*. Et prout idololatria nulla, cum verbo tribuitur regeneratio, non *principaliter* & Physicè, sed *instrumentaliter moraliter*; ita idololatria nulla, cum baptismo tribuitur regeneratio *obsignativè*. Imò verò, qui verbo Dei efficientiam physicam regenerationis tribuit, næ is idololatriam committit? tribuit quippe verbo quod solius Dei est.

Quæst. 5. *At Apostolus ait Deum nos servasse per lavacrum regenerationis?* Tit. 3. 5.

Resp. Verum est Apostolum ita loqui. At non affirmare lavacrum illud regenerationis esse aquæ baptisma. Nec verò in scripturis inusitatum est, purgationem animorum nostrorum quæ verbo fit, figuratè lavacrum dici. Paulus enim ad Ephes. 5. 26 *scribit, Christum sanctificasse Ecclesiam suam, eâ purgatâ lavacro aquæ in verbo, id est, per verbum. Et autor ad* Hebr. 10. 22. *hortatur eos, qui Christo nomen jam pridem dederant, nec amplius aquæ baptismo, egebant, ut corda aspersa haberent à conscientia mala, & corpus ablutum aquâ munda. Denique ipse Apostolus eodem loco ipso, quem præ manibus habemus, seipsum explicat, quid per lavacrum regenerationis intelligat, ea verba subjiciens, quæ superioribus lucem adferunt,* & renovationem Spiritus Sancti. *Hanc autem particulam* &, *tantùm valere posse, quemadmodum* hoc est, *superius demonstravimus.*

I. Non assentimur vel Pontificiis vim physicam regenerandi sacramentis tribuentibus, vel Lutheranis, docentibus, unumquemque baptizatum non tantùm in societatem ecclesiæ visibilis particularis, sed etiam invisibilis catholicæ cooptari, Christo inseri, Filium Dei effici, atq; ita regenerari. Nec tamen cum Socinianis paria facimus, eò quòd hæc talia de baptismo aquæ externo secundùm quid negemus. Quippe Socinianis baptismus est *nudus ritus*. Nobis autem baptismus est ritus *significativus, & obsignativus* quo omnibus baptizatis electis significatur & obsignatur remissio peccatorum & regeneratio internè, tam verè, quàm externè aquâ adsperguntur.

II. Et hanc esse mentem Spiritus S. eo ad Titum loco, quo baptismus dicitur *lavacrum regenerationis* dicimus. Quia sc. eam gratiam in usu legitimo significat, obsignat, ex instituto divino; adeo ut quemadmodum circumcisio fuit sigillum justitiæ fidei, ita eandem quoque habeat rationem & baptismus, qui in N. T. in locum circumsionis, qui fuit sacramentum initiationis in Ecclesia veteri, successit. Et talem efficaciam moralem non adimit Adversarius baptismo aquæ, per commentarium ad verba Pauli *Tit 3.5.*

III. Quia etsi Apostolus non dicat eo loco baptismum esse Lavacrum regenerationis physicum; eò quòd Deus se baptismo aquæ non adstrinxerit, ut non possit non gratiam salutarem absque eo conferre. 1. Gratia enim verbo non est semper alligata. 2. Fuerunt ista separata in primo baptismi ministro, Johanne puta, qui dixit se quidem aquâ baptizare, eum autem, qui post se venit, baptizaturum Spiritus S. 3. Quod si obtineret Socinianum dogma, omnes ex æquo, nemine excepto, regenerarentur, quod non tantùm exemplo Simonis Magi, sed & infinitorum instantiis refellitur. 4. Quia quidam justificati & gratiâ regenerationis donati ante acceceptum baptismum, ut liquet à Cornelio & Eunucho baptizatis *Act. 10. & 8.* 5. Quia hæc opinio gratiam salutarem à liberrima Dei electione avellit, unicam regenerationis nostræ causam principem, puta sanguinem Christi, evertit, maximèque efficaciter applicanti, Spiritui scilicet Sancto, repugnat.

IV. Attamen ex omnibus superius allegatis argumentis liquet, baptismum sensu eo quo diximus esse lavacrum regenerationis. Nec eum sensum enervat Smalcius allegatione verborum Pauli ex Epist. ad *Eph. 5. 26. ut eam sanctificaret ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum.* Quia his verbis purifica-

ficatio ecclesiæ, non tribuitur verbo, quod supponit Adversarius, sed Christo, sanctificanti ut causæ principi, & baptismo (quem vocat Apostolus *lavacrum aquæ*) ut causæ instrumentali morali: ostenditurque, unde hoc habeat baptismus, quod Ecclesiam eo modo purificet, nempe per verbum, sc. *promissionis*, isti baptismo annexum. Baptismus n. nihil esset, & ritus iste foret frustraneus, nisi verbo promissionis niteretur. Adeò ut hæc verba Pauli sententiam nostram confirment; commentum autem Socinianorum de nudo ritu convellant.

V. Et dato etiam, non concesso, purificationem Ecclesiæ hoc loco verbo tribui, nullum causæ suæ desperatæ in eo loco Adversarius haberet patrocinium. Quia, inde non sequetur, non posse tribui eundem effectum baptismo; imò quia baptismus non efficitur sine verbo, sed cum verbo, hic effectus eo sensu quo diximus magis est tribuendus baptismo. Verbum enim signo annexum majoris est virtutis, quàm vel signum nudum vel sermo simplex. Nec hoc inde sequetur: Ergo eodem modo purificat baptismus quo verbum. Quia etiam justificatio tribuitur Deo Patri, Filio, Spiritui Sancto, sacramentis, fidei, bonis operibus. Anne ergo quia Pater justificat, Filius, Spiritus Sanctus, sacramenta, fides, bona opera non justificant? Aut si his quoque tribuenda justificatio, omnes eodem modo justificant? Nihilminus. Justificat Deus Pater *effectivè*, Filius *meritoriè*, Spiritus Sanctus *applicativè*, sacramenta *obsignativè*, fides *apprehensivè*, bona opera *declarativè*. Sic ergo etiam verbum lavat & purgat Ecclesiam, sed non eodem modo, quo baptismus.

VI. Verba Apostoli ad *Hebr.* 10. 22. non favent isti Socinianæ baptismi evacuationi, quibus dicit, *Accedamus cum verò corde, per certioratam fidem, aspersione purgatis cordibus à conscientia mala: & abluto corpore aquâ mundâ.* Quia alludit Apostolus ad veteres ritus, quibus Israelitæ ad tabernaculum & cultum Dei accessuri variis ablutionibus se purgabant. Lotiones illæ conscientias non purgabant. Nos verò ablutos à conscientiâ mala accedere jubet, intelligens intus sanguine & Spiritu Christi purgari ab omni peccato, ut nulla sit condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu: foris aquæ baptismo ablui corpora, ut sordes omnes peccatorum merito deponere & debeamus & possimus. Ad sacramentum enim baptismi Apostolus respicit, quo externa quidem fit corporum ablutio,

lutio, interna verò cordium purgatio per Christi sanguinem obsignatur. Vocat *aquam puram*, quâ sanguinem & Spiritum Christi nos purificantem significat, allusione ad promissionem, *Ezech. 26. 25. effundam super vos aquam puram.*

VII. Sensus ergo est: Cùm sanguine & Spiritu Christi à sordibus peccati purgati simus: hujusque purgationis symbolum baptismum habeamus: accedamus igitur purificatis cordibus per fidem, non polluti peccatis conscientiam turbantibus aut vastantibus, per veram resipiscentiam. Tantum abest ut hîc modus loquendi Apostolicus, baptismum aquæ tollat, ut eum, ut necessarium internæ ablutionis symbolum supponat.

VIII. Verba Spiritus Sancti apud Titum, istis, quibus baptismus dicitur lavacrum regenerationis adjecta, nimirum hæc: *& renovationis Spiritus Sancti.* Neutiquam, adimunt baptismo ablutionem peccatorum & regenerationem symbolicam significativam & obsignativam. Sed tantummodo ostendunt, cui id, quod baptismus significat & obsignat, tanquam primo collatori debeatur, nimirum, Spiritui Sancto, qui id, quod nobis baptismus ex instituto divino significat, in cordibus nostris ipse efficit. Afferunt ergo ista prioribus lucem, eam quam explicavimus, nimirum, ut causam principalem à causa organica morali distinguant, nec id, quod solius est Spiritus Sancti, eodem modo tribuant baptismo aquæ, quod sine idololatria fieri nequit. Sed nequaquam tenebras Socinianas loco clarissimo offendunt.

IX. Particulam καὶ & aliquando significare, *id est*, novimus, & ita accipiendam censemus *Math. 3. 11. Ipse vos baptizabit Spiritu & igne*, id est, Spiritu qui est sicut ignis. Item illud Christi *Joh. 3. 5. Nisi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu*, hoc est: Nisi quis fuerit genitus ex Spiritu, qui est sicut aqua, vel cujus effectus sunt similes aquæ. Sed subtilitas ista ad rem non facit: Quia & hi ipsi loci baptismum aquæ non tollunt, sed supponunt, ut expresè in eo apud Mathæum videre est.

Quæst. 5. *At de illis verbis Ananiæ Paulum compellantis*, surge, baptizare, & ablue peccata tua, *quid statuendum est?*

Resp. *Tenendum id prorsus est, quod etiam multis aliis locis*

locis scripturæ lucem adferre poterit, cum in scriptura novi fæderis actui vel ceremoniæ exteriori adscribitur, quod ad salutem prorsus pertinet, nullâ ratione id eò fieri, ac si ceremonia illa exterior eam vim haberet; sed eò, quòd actu illo duntaxat adumbratio quædam rei illius, quæ ad salutem prorsus pertinet, fiat. Ita cum dicitur: Calix benedictionis quem benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? & panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi? *& alibi,* quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Gal. 3. 27. *Atque hac ratione Ananiæ verba intelligi possunt & debent; Etsi ad eum quoque modum accipi poßint, Ananiam non id egisse, ut Paulus per baptismum aquæ peccata ablueret; verùm ut baptizaretur & peccata ablueret, invocando nomen Domini: cum tempus jam illud venisset, quo omnis invocans Dominum servandus eßet.*

I. Ipse Glossator verborum Ananiæ Socinianus anceps hæret, quem inter duos genuinum sensum eligat: cum de utroque dicat, *posse* sic verba intelligi. Utrumque examinabo, neutrum istius loci esse probabo.

II. Nam. 1. Verùm equidem est, tribui externo signo, quod rei signatæ est, sed tamen, non nisi signo divinitus instituto, non autem cuivis externo ritui, qui inventum est arbitrii humani, qualem putant esse baptismum Sociniani. Sed tribuitur externo signo, res signata, quando signum illud institutionis diuinæ est & vim analogicam habet significandi ea, quæ rei signatæ competunt: itemque, quando annexam habet promissionem divinam. Sic autem se res habet in baptismo. Divinæ est institutionis. *Math. 28. v. 19.* Habet analogiam significandi rem signatam. Quia sicut aquâ abluuntur sordes corporis, ita sanguis Christi purgat à peccato. *1. Ioh. 1. 7.* Habet annexam promissionem dicente Petro. *Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum*

III. Ergo est in baptismo *adumbratio quadam, rei illius qua ad salutem prorsus pertinet*. Quæ autem est illa res baptismo adumbrata? 1. Regeneratio? est enim baptismus *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5. *Nisi enim quis renatus fuerit, non ingredietur in regnum cælorum*. Joh. 3.5.2. Mundatio à peccatis per sanguinem Christi. Quia nihil immundum in civitatem sanct. introibit. Cum autem baptismus rei tam necessariæ ad salutem sit adumbratio, idque ex instituto divino, non nisi blasphemè pro nudo ritu & actione externâ haberi potest.

IV. Allegatio verborum Pauli: *Calix benedictionis* &c. errorem non incrustat. Quia gratis Adversarius supponit, cænam Domini esse nudum ritum. Superiùs à nobis evictum est, verè nos corporis Christi in cæna fieri participes, & cum eo beneficiorum morte Christi partorum. Ergo à pari argumentor. Si Cæna Domini nudus ritus non sit, sed ritus à Deo institutus, ut participantes de pane & vino Christi, realiter etiam participent de corpore & sanguine Christi ejusque beneficiis; Ergo etiam baptismus nudus ritus non est, sed ritus à Deo institutus, in quo, eo legitimè utentibus res baptismo adumbrata verè significatur & obsignatur.

V. Quod confirmatur verbis ab Adversario allegatis ex epist. ad *Gal. 3. 27. quotquot in Christum baptizati estis Christum induistis*; Quibus verbis baptismus induitionis Christi statuitur symbolum. Non quòd omnes, qui baptizantur, Christum induant, sed quòd qui *in Christum* baptizantur, hoc est, qui non tantum externè aquâ abluuntur, sed qui internè etiam baptizantur Spiritu Christi, ii Christum induant; alioqui etiam Simon magus Christum induisset. Non equidem hoc vult Apostolus baptismo indui Christum ex opere operato, ut quotquot aquâ tinguntur, Spiritu renascantur, & fide Christum induant, sed docet, quis sit baptismi effectus in legitimo usu.

VI. Ex dictis liquet, non eum esse sensum dicti Ananiæ ad Paulum *surge, baptizare, ablue peccata*, id est, *adumbra tibi peccatorum ablutionem*, sed baptizare, & baptismo confirmator de ablutione peccatorum, æquè certò, ac aquâ materiali corpus tuum abluis. Quo fine enim susciper tur illa adumbratio ablutionis, nisi eo, ut ablutus aquâ, de ablutione peccatorum certioraretur? Si non nisi adumbratio est historica, frustraneus planè est hic ritus; cum historia baptismi rem istam satis clarè narret.

De-

VI. Deinde: Ananias non equidem id egit ut Paulus per baptismum aquæ peccata ablueret, scilicet ex opere operato, sed tamen id egit, ut per baptismum aquæ de remissione & ablutione peccatorum confirmaretur. Nam si is est sensus, *ablue peccata, invocando nomen Dei*, τὸ baptizare planè inutiliter præcessit. Nam si nudâ invocatione nomine Domini peccata abluuntur quid opus est baptismo? Et phraseos istius, *per invocationem*, vel *invocatione nomine Domini abluuntur peccata*, nullum dabit Adversarius exemplum, sensus autem nostri *baptizare*, ablue peccata, exemplum est clarissimum, *Act. 2. vers. 38. baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi*, item, *in remissionem peccatorum.*

VIII. Militat ergo exegesis Sociniana super verba Ananiæ contra Pontificios & Lutheranos, qui collationem gratiæ baptismo omni annexam credunt; non autem contra nos, qui omni baptizato in usu legitimo gratiam regenerationis obsignari contendimus.

IX. Christum Joh 3. 5. cum Nicodemo non agere de baptismo aquæ largimur, quod quæst. 7. docet Adversarius. Verùm non eo, ut baptismum nudum ritum cum Socinianis constituamus; sed tantùm, ut doceamus, per baptismum externum *physicè* non conferri regenerationem, sed *moraliter* obsignari. Agit Christus cum Nicodemo de baptismo Spiritus, ejusque necessitatem absolutam asserit, ita ut sine eo nemo planè salvari queat.

X. Baptismus aquæ itidem est necessarius, sed non eadem necessitate, quia Deus etsi promissionem remissionis peccatorum voluerit baptismo annexam, non tamen se ita isti baptismo adstrinxit, ut citra eum sibi gratiam regenerationis dispensare nefas sit. Ergo & hic locus non contra nos, sed Pontificios & Lutheranos allegatus.

CAP.

CAPUT. V.

De Promisso Vitæ æternæ.

QVæst. 1. *Exposuisti mihi perfecta Christi mandata: illius quoque promissa exponi velim?*

Resp. *Maximum omnium, quod omnia in se comprehendit, est vita æterna: verùm etiam aliud superest ad prius obtinendum vehementer pertinens.*

Quæst. 2. *Quod verò istud est?*

Resp. *Donum Spiritus Sancti.*

Quæst. 3. *At nonne eadem promissa comprehensa fuere in lege Mosis?*

Resp. *Imò nullum eorum comprehensum fuit. Etenim nusquam in lege Mosis reperies, vel vitam æternam, aut donum Spiritus Sancti, obedientibus præceptis legis promissum: quemadmodum in lege per Christum data promissa esse constat.*

I. Vita æterna tam excellens est promissum, ut eo nullùm sit vel excellentius vel majus. Donum etiam Spiritus Sancti tale est, ut vitam æternam nemo habere queat, nisi qui de eo participet. Quibus si caruerunt Veteris Ecclesiæ cives, sanè misera eorum fuit conditio, utpotè quorum spes ultra terminos vitæ hujus corporalis nequaquam se porrexit. Dicit autem Paulus: *Si in hac solum vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus.* 1. *Cor.* 15. 19. Pariter ego de illis dico: Si Veteres in hâc vita tantùm sperarunt in Deum, miserrimi fuerunt omnium hominum; cùm tamen multi eorum passim *beati* dicantur. Beatum autem esse, & esse miserrimum, implicat.

II. Probabo ergo primò promissam fuisse in Vet. Testam. vitam æternam. Deinde ea quæ ab Adversariis in contrarium adferuntur, diluam. Æternam vitam Vete-

Veteribus promissam fuisse hæc evincunt argumenta. *Primo* Levit. 18. 5. *Homo qui fecerit ea, vivet in eis* & *Nehem. 9. vers. 29. in quibus* (præceptis) *si ea faceret homo, victurus esset.* Ezech 20. 13. *Et jura mea spernentes, quæ qui fecisset homo vixisset per ea.* Vitam æternam autem his locis intelligi ex collatione *Luc. 10. v. 26.* & seq. Ubi Christus legisperito percontanti, *quid faciendo vitam æternam possidebo*, respondit, *in lege quid scriptum est?* quâ responsione Christus omnino præsupponit, quæstionem istam in lege Mosis decisam; Si hoc, quomodo bonum vitæ æternæ veteri fœderi inclusum non fuit? Confer. *Rom. 10 5.* Moses describit justitiam quæ ex lege est, his verbis, *quòd qui præstiterit ea, vivet per illa.* & Gal. 3. vers. 12.

III. *Secundò.* Quod minatur mortem æternam inobedientibus, illud etiam promittit vitam æternam obedientibus. Atqui lex Mosis mortem æternam minatur *Gal. 3. 10. Scriptum enim est: Execrabilis est, quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Ubi autem id scriptum est? in lege, *Deut. 27. v. 26. Maledictus qui non præstiterit verba legis* hujus &c. Maledictio hîc autem non potest intelligi temporaria; quia utplurimum transgressores legis, non maledicti, sed benedicti in temporalibus fuerunt, ut passim testatur David in Psalmis, præcipuè 37. & 73. Ergo id intelligendum de maledictione æterna. De qua Christus *Math. 25. 21. Maledicti*, abite à me in ignem æternum.

IV. *Tertiò.* Quia phrasibus iisdem & modis loquendi qui in Mose extant, vita æterna fidelibus in Nov. Test. promittitur. Ergo iisdem fidelibus Vet. Test. fuit promissa. *Act. 3. 25. Vos estis filii Prophetarum & pacti, quod pepigit Deus erga Parentes nostros, dicens ad Abrahamum, & in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.* Quibus verbis salus promittitur civibus Ecclesiæ N. Test. ut apparet è contextu. At hæc promissio totidem verbis expressa extat Gen. 18. 18. *Et in eo benedicendæ sunt omnes gentes terræ.* Et Gal 38. *Quum prævidisset autem scriptura Deum ex fide justificaturum gentes, id ante Evangelizavit Abrahamo, benedicentur in te omnes gentes.* & vers. 16. *Abrahamo verò dicta sunt promissiones & semini ejus.* Confer. Rom. 1. 1, 2, 2. *Ad prædicandum Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos, in Scripturis Sanctis.*

V. *Quartò.* Quia in scripturis Vet. Test. est vita æterna Joh. 5. 39. & 2. Tim. 3. 15. *Totâ scripturâ*

divinitùs est inspirata, ut homo Dei sit perfectus &c. Ergo Deus etiam in Vet. Test. vitam æternam promisit: Putabant autem Judæi ex lege se vitam æternam habere in scripturis, ex lege nempe, quæ est, Deut. 30. 16. *Præcipio tibi hodie, ut diligas Jehovam Deum tuum* &c. *ut vivas.* Non autem hîc promitti vitam temporalem sed æternam patet ex *Marc 10. 17.* Ubi Christus interroganti: *Præceptor bone quid faciam ut vitam æternam possideam?* respondit. *Mandata nosti.* Cui responsioni planè locus nullus esset, nisi mandata observantibus, vita æterna promissa esset.

VI. Quintò *Justus ex fide suâ vivet* Habac. 2. 4. Quod dictum de vitâ æternâ interpretatùr Apostolus ad *Rom. 1. v. 17. Iustitia enim Dei revelatur per illud ex fide in fidem: sicut scriptum est, justus autem ex fide vivet.* Gal. 3. vs. 11. *Nullum autem per legem justificari apud Deum manifestum est, quoniam justus ex fide vivet.* & Heb 10. 38. *Iustus autem ex fide vivit.* Interpretari autem Evangelicè de vitâ æternâ Apostolus non posset, nisi vita æterna illis verbis per fidem adipiscenda & obtinenda promissa fuisset.

VII. *Sextò*; Remissio peccatorum & vita æterna sunt unum idemque Socinianis, docente Ostorodo Instit. cap. 21. pag. 144. 145. Undt ob wir wol oben (puta cap. 5. §. 4. pag. 37. 38.) da wir den willen Gottes erklâret erstlich der vergebung der sünden / hernach aber des ewigen lebens gedacht haben; So hat doch solches nicht die meinung als were vergebung der sünden / undt das ewige leben unterschiedene dinge / &c. *Quasi remissio peccatorum, & vita æterna sint res distinctæ.* Jam ex suppositis ita argumentor: Vita æterna & remissio peccatorum sunt unum & idem. Remissio peccatorum in Vet. Test. fuit promissa. *Jer. 31. 34. Dictùm Iehova, me condonare iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum recordari amplius.* Mich. 7. 18. *Quis est Deus fortis par tibi? condonans iniquitatem, & præteritas defectiones, non retinens in æternum iram suam, eò quòd delectetur benignitate.* Esa. 40. 1, 2. Zach. 12. 1. Act. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in eum.* Si ergo habeatur in Prophetis remissionis peccatorum promissio, habetur etiam promissio vitæ æternæ, quia non sunt distincta.

VIII. *Septimò.* Paulus nihil dixit extra Mosen & Prophetas *Act. 26. 22. & 28. 23.* & tamen annunciavit *omne consilium* Dei, *Act. 20. v. 27.* sc. illud consilium, quod doctrinam salutis contineret,

ret, & quod homini sufficienter de salute æternâ consuleret. Quia ergo in scriptis Paulinis reperiuntur promissiones vitæ æternæ, in libris Mosis & Prophetarum eos quoque fuisse oportet; alioqui non potuisset dicere Apostolus, *se omne consilium Dei revelasse*, idque *ex Mose & Prophetis.*

IX. *Octavò.* Moses & Prophetæ frequentes sunt in promittendo salvatore Jesu Christo. Ergo continent etiam promissiones, vitæ æternæ. Prius liquet *Gen. 3. 15. Semen mulieris conteret caput serpentis.* Deut. 18. 18. Esa. 7. 14. & 9. 6. Dan 9. 23. Act. 3. 22. & 23. *Omnes Propheta à Samuele & deinceps ii qui fuerunt, quotquot loquuti sunt, etiam prænunciarunt dies istos.* Consequentia clarissima. Quia Christus est vita æterna, & vita æterna in ipso est. *1. Ioh. 5. 11, 12, 20.* Et hic finis est adventus ejus in mundum ut vitam & salutem æternam acquireret, *Ioh. 10. 10. Ego veni ut vitam habeant.*

X. *Nonò.* Vitam æternam non tantum promissam, sed & notam & creditam fuisse liquet ex *Dan. 12. 2. Multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiscentur, hi ad vitam eternam, illi ad opprobria & contemptum æternum. Decimò.* Ex eo quia nota fuit in Vet Test. resurrectio. *Act. 23. 6.* Ubi Paulus doctrinam Pharisæorum V. Test. urgens dicit: *de spe & resurrectione mortuorum ego injudicium vocor.* Act. 24. 14, 15. *Hoc verò tibi fateor me secundùm viam, illam quam hæresin vocant, ita colere patrium Deum, ut qui credam omnibus quæ in lege & in Prophetis scripta sunt. Et spem habeam in Deo, fore, quam etiam ii expectant resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum.* Et Christus *Math. 22. 31.* dicit Sadducæis negantibus resurrectionem: *De resurrectione verò mortuorum non legistis* &c. Lucas clariùs hoc dicit, *cap. 20. 36. Mortuos autem suscitatum iri etiam Moses indicavit in rubo.* Quibus autem nota fuit resurrectio mortuorum, iis etiam fuit nota vita æterna. Quia resurrectio vel est ad vitam æternam, vel ad opprobrium æternum *Dan. 12. v. 2.*

XI. Vitam æternam notam fuisse in Vet. Test. probo *Undecimò* ex scientia quam habuerunt de ultimo judicio *Omnes sistemur ad tribunal Christi*, inquit, Paulus *Rom. 14. 10.* & allegat confirmationis gratiâ *Esai. 45. v. 23. Scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus: certe mihi se flectet omne genu* &c. Judæ. 14. 15. *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adamo Enochus, dicens: Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes, &*

redarguat quicunque ex ipsis sunt impii de factis omnibus, quæ impiè patrarint, deque omnibus duris quæ loquuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.

XII. Item *Duodecimò* probatur ex *libro vitæ* qui in Scripturis Vet. Test. fuit propositus. *Dan. 12. 1.* Ergo in eo fuit promissa vita æterna. Quia *liber vitæ* est liber *vitæ æternæ* Phil. 4. 3. Apoc. 3. 5. & 13. 8. & 17. 8. &c. *Decimotertiò.* Pii in libris Veteris Test. habuerunt promissiones salutis æternæ. Hos 13. 14, *De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos Ubi sunt pestes tuæ ô mors? ubi exitium tuum ô sepulchrum?* Quæ promissio vel maximè loquitur de liberatione à morte, à Diabolo, ab inferno, teste Spiritu Sanct. *1. Cor. 15. 55.* & *Heb. 2. 14.*

XIII. *Decimoquartò.* De salute æterna exquisiverunt & *scrutati sunt* Prophetæ *1. Pet. 1. v. 10, 11.* confer. *Luc. 10. v. 24. Ioh. 8. 56.* quomodo verò illis, nihil de vita æterna constitit? Idem probatur exemplis quorum unum proponitur *Heb. 11. 8. Per fidem vocatus Abrahamus auscultavit Deo.* &c. & ☩. 10. *exspectabat enim civitatem illam habentem fundamenta*, quæ autem fuerit illa civitas liquet à ☩. 16. ubi *cælestis* indigitatur. Unde sic: Si hæc expectatio orta ex fide, tum sequitur ipsis promissionem de vita æterna factam. Ratio consequentiæ est, quia fides est ex auditu. *Rom. 10. 17.*

XIV. Quid, quòd pii Vet. T. Henochum & Eliam vivos in cælum fuisse translatos probè sciverint. *Gen. 5. v. 24. 2. Reg. 2. v. 1.* quidni ergo cælum æternæ felicitatis ipsis fuerit revelatum. Hinc pii quoque Vet. Test. crediderunt animarum suarum immortalitatem, *Ecclesf. 12. 9. 1. Sam 25. v. 29. Erit tamen vita Domini mei ligata in fasciculo viventium.* Crediderunt resurrectionem ex mortuis, *Iob. 19. 25, 26. Ezech. 37. 1.* &c. Crediderunt futurum judicium, post quòd pii in vitam æternam, impii autem in perpetuæ ignominiæ barathrum sunt præcipitandi *Eccl. 12.* ult. *Nam omne opus Deus ipse adducet in judicium cum omni re occulta, sive bonum sive malum.* & ☩. 1. *Lætare juvenis &c. Sed cognosce, fore ut propter omnia hæc, adducat te Deus ipse in judicium.* Esai. 66. 34. Ex his omnibus liquet, quàm falsum sit, vitam æternam esse novum promissum in Nov. Testamento. Quid Adversarii obtendant audiamus.

XV. Intendere autem hîc primò digitum libet ad syncretismum Arminiano Socinianum, quem prodiderunt Arminiani libello qui inscribitur, *Specimen calumniarum ex Remonstrantium Apologia excerptarum*

rum, sic scribentes: *Posito* (hoc autem idem est cum eo, quod dicitur, dato non concesso) *quòd verissimum sit, vita æterna promissionem seu directè seu indirectè notam in Vet. Test. factam esse, non tamen periculum salutis incurrere, qui id aut ignorent, aut negent. Nuspiam enim mandatum ullum extat, ut fideles sub N. Test. id credant, nec ratio ulla est, qua fidem & obedientiam universam, quæ à fidelibus in Nov. Test. requiritur, absque istius cognitione salvam & integram constare non posse evincit.* Quem errorem Arminii vide refut. apud Maccov. Loc. Comm. secundæ edit. pag. 110, 111, 112.

XVI. Arminianorum dogma à Sociniano in tantùm differre videtur, quòd illi aliquem mentionem solùm vitæ æternæ factam in V. T. existiment, interim tamen eam promissam non esse, aut si promissa saltem non claris certis & apertis terminis; Sociniani autem nullatenus vel notam, vel promissam contendant. At cum Arminiani iisdem argumentis pugnent pro sua sententiâ, quibus Sociniani suam incrustare solent, vel hinc judicatu est facile, quàm exiguum dogmatis inter se differant, & quàm pestilentissimè Arminianismo via ad Socinianismùm sternatur.

XVII. Primum eorum Argumentum est ex *Heb. 2. 3.* ubi *tanta illa salus primum* dicitur *capta enarrari, peripsum Dominum. Resp.* autem, Adversarios hoc loco planè abuti. Nam hîc nequaquam simpliciter dicitur, tum cæptum prædicari Euangelium, sed cæptum prædicari ita, quemadmodum dicitur, Math. 4. 17. *Ex eo tempore capit Iesus prædicare & dicere* &c. Non quòd antea Evangelium non fuerit prædicatum, sed quòd immediatè per Christum non prædicatum. confer. Heb. 1. 1. *Multis vicibus, multisque modis olim Deus est loquutus Patribus in Prophetis, ultimus hisce diebus loquutus nobis est in filio.*

XVIII. Ergo Evangelium dupliciter accipitur, vel absolutè pro doctrina Evangelii, vel pro doctrina Evangelii de exhibito Christo, quo sensu Paulus accipit Rom. 1. 2, 3. *Evangelium, quod ante promiserat per Prophetas suos* &c. Si Adversariorum mens sit, Evangelium absolutè dictum non fuisse notum, antequam per Christum in carne esset annunciatum, respondeant Adversarii si possunt ad hoc argumentum: *Paulus annunciavit omne consilium Dei* Act. 20. *Paulus nihil dixit extra Mosen & Prophetas.* Act. 26. Ergo Moses & Prophetæ docuerunt Evangelium & consequenter doctrinam de vita æterna.

XIX. Adferunt *Secundò* verba

Apoſtoli 2.*Tim.* 1. *v.* 10. quibus Chriſtus dicitur, *vitam & immortalitatem in lucem produxiſſe per Evangelium*, item Joh. 1. 18. *Filius qui eſt in ſinu Patris ille nobis expoſuit.* Verùm quis ignorat eum ſcripturæ morem, quo dicitur res aliqua tum fieri vel naſci, quum manifeſtatur, magiſque propalatur, ut Prov. 17. 17. *Amicus naſcitur in die malo*, hoc eſt, tum ſe prodit, cum nos premit anguſtia, non quòd tunc demum talis eſſe incipiat, ſed quòd ſe talem antea quoque fuiſſe, jam manifeſtet.

XX. Hic quoque eſt ſenſus hujus loci. Nam teſtatur Paulus, quòd gratia Dei, quæ nobis data eſt per Jeſum Chriſtum, manifeſta fit nunc per apparitionem ſalvatoris noſtri, qui morte abolitâ, vitam & immortalitatem in lucem produxit per Euangelium, ſcilicet clariſſimis ſuis eâ de re concionibus, quas ipſe frequentes habuit, & maximam lucem attulit iis, quæ antea de immortalitate & vita vel dicta vel ſcripta erant. At hinc non ſequitur, quòd Chriſtus demum poſt ſuam ex Maria virgine nativitatem, poſtquam miniſterium docendi publicè fuit exorſus, ſpirituales vitæ æternæ promiſſiones hominibus propoſuerit. Contrarium evincunt omnia paulò ante à nobis allata argumenta. Diſtinguat Smalcius inter promiſſionem ſimpliciter factam, & ejus lucidiſſimam explicationem.

XXI. Ergo illuſtris gratia de morte abolita, & vitâ reſtituta nunc manifeſtata dicitur, non quòd Patribus fidelibus vita æterna promiſſa non fuerit, ſed duæ aliæ ejus rei ſunt cauſæ: quarum *prior* eſt, quia Chriſtus non niſi in promiſſione ut plurimum typica exhibitus Patribus, in carne tandem viſus eſt, quæ quanta & quam illuſtris ſit gratia, teſtis eſt *Joh. epiſt.* 1. *c.* 1. *v.* 1. & *Petr. epiſt.* 1. *c.* 1. *v.* 11, 12. *Poſterior* autem eſt, quia gratia, quæ quondam intra anguſtos Judeæ limites delituit, dirutâ jam maceriâ, ad gentes etiam ſe diffuderit, ac univerſum terrarum orbem pervagata ſit.

XXII. Quod etiam replicandum eſt ad id quod ex epiſt. ad *Titum.* 2. *v.* 11. eâ fini producunt. Nimirum *ſalutarem gratiam* per apparitionem Chriſti *illuxiſſe omnibus hominibus.* Nam aliud eſt, vitam æternam uni tantùm genti fuiſſe promiſſam; aliud omnibus gentibus promiſſam, aliud aliquibus ex unâ gente collatam, aliud conferri cæptam omnibus gentibus. Poſterius dicitur allegato loco, quòd ſcilicet gratia Dei quæ antea populo tantùm Iſraelitico offerebatur, jam offeratur omni populo, ſub quocunq; mundi climate.

Pue-

XXIII. Puerile etiam illud est, quod quarto loco proferunt: *Legem umbram habuisse futurorum non ipsam formam rerum expressam.* Heb. 10. 1. Col. 2. 17. Quia hæc dicuntur de ceremoniali lege, quæ umbra erat & typus exhibendi Christi. Quid inde? Ergo vita æterna in Vet. Testam. non promissa? Imò contrarium sic probo. Ubi typi Christi, ibi promissio Evangelii, ibi vita æterna. In Vet. Test. fuerunt typi Christi. Ergo Evangelium, & vita æterna.

XXIV. Quintò adferunt illud Heb. 8. 6. *Christus præstantioris pacti est mediator, quod etiam præstantioribus promissis sancitum est.* Christum præstantioris fœderis, quippe melioribus promissis sanciti, mediatorem esse, quàm est Mosaicum fœdus, adeo certum est, ut id qui neget, fallatur valdè. Hoc tamen non obstante, immota stat sententia nostra. Quia Sociniani Vetus fœdus seu fœdus legale Mosaicum confundunt, cum fædere gratuito cum Patribus inito. Fœdus gratuitum, cum Patribus in Christo initum, eadem omnino cum Testam. Novo habuit promissa, ut evictum argumentis, & ex doctrina de convenientiâ & differentiâ utriusque fæderis liquet.

XXV. Præstantiora ergo sunt promissa Novi Testamenti, non quoad rei *substantiam*, sed quoad *accidens*; nimirum 1. Quoad modum patefactionis. In Vet. Test. fuerunt promissiones de Christo exhibendo, in Novo ipsa exhibitio. 2. Quoad objecti latitudinem. Quia in Vet. Test. promissiones spectabant unam gentem. *Psal.* 147. *v.* 19, 20. in Vet. Test. *omnes gentes Math.* 18. 3. Quoad claritatem. In V.T. patefactio non tam clara fuit sic ut in Novo, ibi umbra, hic corpus. Hinc S. S. tres claritatis gradus constituit 2. *Pet.* 1. 19. *Velut lucernam splendentem in obscuro loco, usque dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.* Primum gradum comparat candelæ in loco obscuro ardenti, alterum diluculo, tertium meridiei. Candelæ comparans patefactionem Vet. Testam. Initia exhibitionis in Nov. Test. diluculo, nostra verò tempora meridiei. Hoc sensu ergo nos in Nov. Test. habemus præstantiora promissa, nec inde sequitur, ergo illi promissis planè caruerunt. Imò verò, quia dicimur nos habere præstantiora, illi præsupponuntur habuisse aliqua; quia comparativus gradus, positivum supponit. Et, quia gradus speciem non variat, ejusdem speciei fuerunt veterum promissa.

XXVI. At inquiunt: *Lex nihil consummavit, sed introducta est spes potior, Heb.* 7. *v.* 19. Est verò hoc

hoc loco ab Apostolo comparatio instituta inter Sacerdotium Aaronicum & Christi. Hoc illi præfert. Usus argumento eo, quod habet ℣ſ. 18. *Fit enim irritum præcedens, propter ipsius infirmitatem, & inutilitatem*, scilicet non omnimodam & absolutam. Non enim potest dici, legem omnimodè fuisse infirmam & inutilem, habuit ea suos usus, suas utilitates, sed restrictas, nempe respectu *consummationis* justitiæ coram Deo valentis, quam Sacerdotium Leviticum ex se præstare nequivit Judæis. Ast *introductio spei melioris*, Christi videlicet Sacerdotium, (quod *spem meliorem* continet, quia proponit palam & clarissimè promissiones remissionis omnium peccatorum nostrorum & vitæ æternæ gratuitas, & dat nobis Spiritum Sanct. qui nos regignit & illuminat) homines potest perficere, & perfectè ducere ad vitam æternam. Ergo melior spes in Nov. Test. non quoad *substantiam objecti*, sed quo ad *circumstantiam*. Proinde consequentia nulla. Nostra spes est melior, ergo illorum nulla.

XXVII. Hinc pii Vet. Test. homines non tantùm sperarunt, sed & certò persuasi fuerunt *se per gratiam Christi salvatum iri*, Act. 15. 11. Nec est quod Sociniani excipiant, verba, *quemadmodum & illi*, hic non indigitare Patres Vet. Test. sed discipulos ex gentilitate conversos. Nam quæstio erat, num discipulis illis ex Ethnicismo conversis, lex sit imponenda ut, per illam salventur. Negant Apostoli ob hæc argumenta. 1. Quia lex esset jugum prorsus ἀβάστακτον importabile. 2. *Quia per gratiam Domini Jesu Christi crederent salvari* (credentes scilicet N. T.) *quemadmodum & illi* (credentes V. Test.) *salvati sunt*. Si per hos, posterioribus verbis designatos putes discipulos ex gentilitate conversos, tum id sumes pro medio termino, quod est in quæstione, & idem per idem probabis hoc modo. Credimus salvari gentiles conversos, quemadmodum & illi gentiles conversi salvati sunt. Argumentatio inepta. Ergo sic procedit: Si Patres Vet. Testam. non vi legis quæ jugum erat importabile salvati, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi, Ergo & hi.

XXVIII. Allegare præterea solent contra thesin nostram illud 1. Joh. 1. 2. *Quòd vita illa conspicua facta sit nobis*. Si ergo tempore Apostolorū patefacta, antea patefacta non non fuit. *Resp*. Esse hoc loco metonymiam causæ efficientis pro effecto, adeoque Sp. S. hic loqui de Christo incarnato tanquam authore istius vitæ. Joh. 14. 6.

At *inquies*, si autor vitæ æternæ demum tempore Apostolorum patefactus, ergo & ipsa vita; quia effectus ante causam esse non potuit. *Resp.* Cum vita promissa dicitur, id vel de *promissione*, vel de *exhibitione* ejus agitur; de posteriore autem agit Apostolns loco citato, scilicet de *promissione*, non *exhibitione*, dicente ipso Christo: *Si enim crederetis Mosi; mihi crederetis, nam ille de me scripsit.* Joh. 5. vs. 46.

XXIX. Objiciunt etiam illud Christi: *Ego sum via, veritas, & vita* Joh. 14. 6. Si inquiunt *Christus est vita, ergo ante eum non fuit. Resp.* Si dicas promissam non fuisse, nego ob supra allatas rationes. Et Christus vita dicitur, non quòd ipse primus sit, qui doctrinam de immortalitae & vitâ æternâ revelaverit; sed quòd ipse sit author vitæ, adeo, ut quotquot unquam vitam æternam sunt consequuti, per ipsum eandem habeant. Act. 4. vs 12.

XXX. Porro & hoc est quod in ore perpetuò habent: Ecclesiam Veterem infantilis fuisse ætatis, adeoque etiam tantùm ut infantem se habuisse *Gal* 4. 3. ac eapropter in corporalibus istis non vidisse spiritualia. *Resp.* Ecclesiam veterem infantilem dici, non quòd nihil sciverit de Christo & bonis spiritualibus; sed quòd istius Ecclesiæ cognitio valde tenuis fuerit in collatione ad hodiernam Ecclesiam; quippe quæ clarè videt ea consummata esse, quæ quondam promissa & prædicta, fuerunt.

XXXI. Denique etiam obtendunt: Judæos qui scriptorum Vet. Testament. sunt peritissimi, fateri, nullum vitæ æternæ apertum extare in iis testimonium; sed *Resp.* Hodiernos Judæos frustra objici. 1. Quia κάλυμμα *velamen impositum est faciei eorum*, quod non nisi in Christo tollitur 2. *Cor.* 3. 13, 14, 15. Et hodiernorum Judæorum testimonium productum contra expressum Christi effatum, *Math.* 13. 17. *Multi Propheta & justi desiderarunt videre, quæ videtis: & audire quæ auditis*, itemque contra expressa asserta, Petri, Act 3 21. *de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum*, & Act. 10. vers 23. *Huic etiam omnes Propheta testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum* &c. Pauli Act. 26. v. 6, 7. *Nunc verò ob spem promissionis facta Patribus nostris à Deo, sto in judicium vocatus*, nullius est momenti.

Iii Quæst.

hoc loco ab Apostolo comparatio instituta inter Sacerdotium Aaronicum & Christi. Hoc illi præfert. Usus argumento eo, quod habet ỳs. 18. *Fit enim irritum præcedens, propter ipsius infirmitatem, & inutilitatem*, scilicet non omni modam & absolutam. Non enim potest dici, legem omnimodè fuisse infirmam & inutilem, habuit ea suos usus, suas utilitates, sed restrictas, nempe respectu *consummationis* justitiæ coram Deo valentis, quam Sacerdotium Leviticum ex se præstare nequivit Judæis. Ast *introductio spei melioris*, Christi videlicet Sacerdotium, (quod *spem meliorem* continet, quia proponit palam & clarissimè promissiones remissionis omnium peccatorum nostrorum & vitæ æternæ gratuitas, & dat nobis Spiritum Sanct. qui nos regignit & illuminat) homines potest perficere, & perfectè ducere ad vitam æternam. Ergo melior spes in Nov. Test. non quoad *substantiam objecti*, sed quo ad *circumstantiam*. Proinde consequentia nulla. Nostra spes est melior, ergo illorum nulla.

XXVII. Hinc pii Vet. Test. homines non tantùm sperarunt, sed & certò persuasi fuerunt *se per gratiam Christi salvatum iri*, Act. 15. 11. Nec est quod Sociniani excipiant, verba, *quemadmodum & illi*, hic non indigitare Patres Vet. Test. sed discipulos ex gentilitate conversos. Nam quæstio erat, num discipulis illis ex Ethnicismo conversis, lex sit imponenda ut, per illam salventur. Negant Apostoli ob hæc argumenta. 1. Quia lex esset jugum prorsus ἀβάστακτον importabile. 2. *Quia per gratiam Domini Jesu Christi crederent salvari* (credentes scilicet N. T.) *quemadmodum & illi* (credentes V. Test.) *salvati sunt*. Si per hos, posterioribus verbis designatos putes discipulos ex gentilitate conversos, tum id sumes pro medio termino, quod est in quæstione, & idem per idem probabis hoc modo. Credimus salvari gentiles conversos, quemadmodum & illi gentiles conversi salvati sunt. Argumentatio inepta. Ergo sic procedit: Si Patres Vet. Testam. non vi legis quæ jugum erat importabile salvati, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi, Ergo & hi.

XXVIII. Allegare præterea solent contra thesin nostram illud 1. Joh. 1. 2. *Quòd vita illa conspicua facta sit nobis*. Si ergo tempore Apostolorũ patefacta, antea patefacta non non fuit. *Resp*. Esse hoc loco metonymiam causæ efficientis pro effecto, adeoque Sp. S. hic loqui de Christo incarnato tanquam authore istius vitæ. Joh. 14. 6.

At *inquies*, si autor vitæ æternæ demum tempore Apostolorum patefactus, ergo & ipsa vita; quia effectus ante causam esse non potuit. *Resp.* Cum vita promissa dicitur, id vel de *promissione*, vel de *exhibitione* ejus agitur; de posteriore autem agit Apostolus loco citato, scilicet de *promissione*, non *exhibitione*, dicente ipso Christo: *Si enim crederetis Mosi; mihi crederetis, nam ille de me scripsit.* Joh. 5. v. 46.

XXIX. Objiciunt etiam illud Christi: *Ego sum viâ, veritas, & vitâ* Joh. 14. 6. Si inquiunt *Christus est vita, ergo ante eum non fuit.* *Resp.* Si dicas promissam non fuisse, nego ob supra allatas rationes. Et Christus vita dicitur, non quòd ipse primus sit, qui doctrinam de immortalitae & vitâ æternâ revelaverit; sed quòd ipse sit author vitæ, adeo, ut quotquot unquam vitam æternam sunt consequuti, per ipsum eandem habeant. Act. 4. v. 12.

XXX. Porro & hoc est quod in ore perpetuò habent: Ecclesiam Veterem infantilis fuisse ætatis, adeoque etiam tantùm ut infantem se habuisse *Gal 4.3.* ac eapropter in corporalibus istis non vidisse spiritualia. *Resp.* Ecclesiam veterem infantilem dici, non quòd nihil sciverit de Christo & bonis spiritualibus; sed quòd istius Ecclesiæ cognitio valde tenuis fuerit in collatione ad hodiernam Ecclesiam; quippe quæ clarè videt ea consummata esse, quæ quondam promissa & prædicta, fuerunt.

XXXI. Denique etiam obtendunt: Judæos qui scriptorum Vet. Testament. sunt peritissimi, fateri, nullum vitæ æternæ apertum extare in iis testimonium; sed *Resp.* Hodiernos Judæos frustra objici. 1. Quia κάλυμμα *velamen impositum est faciei eorum*, quod non nisi in Christo tollitur *2. Cor. 3. 13, 14, 15.* Et hodiernorum Judæorum testimonium productum contra expressum Christi effatum, *Math. 13. 17. Multi Prophetæ & justi desiderarunt videre, quæ videtis: & audire quæ auditis*, itemque contra expressa asserta, Petri, Act 3 21. *de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum*, & Act. 10. vers 23. *Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum* &c. Pauli Act. 26. v. 6, 7. *Nunc verò ob spem promissionis factæ Patribus nostris à Deo, sto in judicium vocatus*, nullius est momenti.

hoc loco ab Apostolo comparatio instituta inter Sacerdotium Aaronicum & Christi. Hoc illi præfert. Usus argumento eo, quod habet ℣. 18. *Fit enim irritum præcedens, propter ipsius infirmitatem, & inutilitatem*, scilicet non omni modam & absolutam. Non enim potest dici, legem omnimodè fuisse infirmam & inutilem, habuit ea suos usus, suas utilitates, sed restrictas, nempe respectu *consummationis* justitiæ coram Deo valentis, quam Sacerdotium Leviticum se præstare nequivit Judæis. Ast *introductio spei melioris*, Christi videlicet Sacerdotium, (quod *spem meliorem* continet, quia proponit palam & clarissimè promissiones remissionis omnium peccatorum nostrorum & vitæ æternæ gratuitas, & dat nobis Spiritum Sanct. qui nos regignit & illuminat) homines potest perficere, & perfectè ducere ad vitam æternam. Ergo melior spes in Nov. Test. non quoad *substantiam objecti*, sed quo ad *circumstantiam*. Proinde consequentia nulla. Nostra spes est melior, ergo illorum nulla.

XXVII. Hinc pii Vet. Test. homines non tantùm sperarunt, sed & certò persuasi fuerunt *se per gratiam Christi salvatum iri*, Act. 15. 11. Nec est quod Sociniani excipiant, verba, *quemadmodum & illi*, hic non indigitare Patres Vet. Test. sed discipulos ex gentilitate conversos. Nam quæstio erat, num discipulis illis ex Ethnicismo conversis, lex sit imponenda ut, per illam salventur. Negant Apostoli ob hæc argumenta. 1. Quia lex esset jugum prorsus ἀβάστακτον importabile. 2. *Quia per gratiam Domini Jesu Christi crederent salvari* (credentes scilicet N. T.) *quemadmodum & illi* (credentes V. Test.) *salvati sunt*. Si per hos, posterioribus verbis designatos putes discipulos ex gentilitate conversos, tum id sumes pro medio termino, quod est in quæstione, & idem per idem probabis hoc modo. Credimus salvari gentiles conversos, quemadmodum & illi gentiles conversi salvati sunt. Argumentatio inepta. Ergo sic procedit: Si Patres Vet. Testam. non vi legis quæ jugum erat importabile salvati, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi, Ergo & hi.

XXVIII. Allegare præterea solent contra thesin nostram illud 1. Joh. 1. 2. *Quòd vita illa conspicua facta sit nobis*. Si ergo tempore Apostolorũ patefacta, antea patefacta non non fuit. *Resp*. Esse hoc loco metonymiam causæ efficientis pro effecto, adeoque Sp. S. hic loqui de Christo incarnato tanquam authore istius vitæ. Joh. 14. 6.

At *inquies*, si autor vitæ æternæ demum tempore Apostolorum patefactus, ergo & ipsa vita; quia effectus ante causam esse non potuit. *Resp.* Cum vita promissa dicitur, id vel de *promissione*, vel de *exhibuione* ejus agitur; de posteriore autem agit Apostolus loco citato, scilicet de *promissione*, non *exhibuione*, dicente ipso Christo: *Si enim crederetis Mosi; mihi crederetis, nam ille de me scripsit.* Joh. 5. ℣. 46.

XXIX. Objiciunt etiam illud Christi: *Ego sum viâ, veritas, & vitâ* Joh. 14. 6. Si inquiunt *Christus est vita, ergo ante eum non fuit.* *Resp.* Si dicas promissam non fuisse, nego ob supra allatas rationes. Et Christus vita dicitur, non quòd ipse primus sit, qui doctrinam de immortalitae & vitâ æternâ revelaverit; sed quòd ipse sit author vitæ, adeo, ut quotquot unquam vitam æternam sunt consequuti, per ipsum eandem habeant. Act. 4. ℣. 12.

XXX. Porro & hoc est quod in ore perpetuò habent: Ecclesiam Veterem infantilis fuisse ætatis, adeoque etiam tantùm ut infantem se habuisse *Gal 4.3.* ac eapropter in corporalibus istis non vidisse spiritualia. *Resp.* Ecclesiam veterem infantilem dici, non quòd nihil sciverit de Christo & bonis spiritualibus; sed quòd istius Ecclesiæ cognitio valde tenuis fuerit in collatione ad hodiernam Ecclesiam; quippe quæ clarè videt ea consummata esse, quæ quondam promissa & prædicta, fuerunt.

XXXI. Denique etiam obtendunt: Judæos qui scriptorum Vet. Testament. sunt peritissimi, fateri, nullum vitæ æternæ apertum extare in iis testimonium; sed *Resp.* Hodiernos Judæos frustra objici. 1. Quia κάλυμμα *velamen impositum est faciei eorum*, quod non nisi in Christo tollitur *2. Cor. 3. 13, 14, 15.* Et hodiernorum Judæorum testimonium productum contra expressum Christi effatum, *Math. 13. 17. Multi Prophetæ & justi desiderarunt videre, quæ videtis: & audire quæ auditis*, itemque contra expressa asserta, Petri, Act 3 21. *de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum*, & Act. 10. vers 23. *Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum* &c. Pauli Act. 26. v. 6, 7. *Nunc verò ob spem promissionis factæ Patribus nostris à Deo, sto in judicium vocatus*, nullius est momenti.

hoc loco ab Apostolo comparatio instituta inter Sacerdotium Aaronicum & Christi. Hoc illi præfert. Usus argumento eo, quod habet ℣ſ. 18. *Fit enim irritum præcedens, propter ipsius infirmitatem, & inutilitatem*, scilicet non omnimodam & absolutam. Non enim potest dici, legem omnimodè fuisse infirmam & inutilem, habuit ea suos usus, suas utilitates, sed restrictas, nempe respectu *consummationis* justitiæ coram Deo valentis, quam Sacerdotium Leviticum ex se præstare nequivit Judæis. Ast *introductio spei melioris*, Christi videlicet Sacerdotium, (quod *spem meliorem* continet, quia proponit palam & clarissimè promissiones remissionis omnium peccatorum nostrorum & vitæ æternæ gratuitas, & dat nobis Spiritum Sanct. qui nos regignit & illuminat) homines potest perficere, & perfectè ducere ad vitam æternam. Ergo melior spes in Nov. Test. non quoad *substantiam objecti*, sed quo ad *circumstantiam*. Proinde consequentia nulla. Nostra spes est melior, ergo illorum nulla.

XXVII. Hinc pii Vet. Test. homines non tantùm sperarunt, sed & certò persuasi fuerunt *se per gratiam Christi salvatum iri*, Act. 15. 11. Nec est quod Sociniani excipiant, verba, *quemadmodum & illi*, hic non indigitare Patres Vet. Test. sed discipulos ex gentilitate conversos. Nam quæstio erat, num discipulis illis ex Ethnicismo conversis, lex sit imponenda ut, per illam salventur. Negant Apostoli ob hæc argumenta. 1. Quia lex esset jugum prorsus *ἀβάστακτον* importabile. 2. *Quia per gratiam Domini Jesu Christi crederent salvari* (credentes scilicet N. T.) *quemadmodum & illi* (credentes V. Test.) *salvati sunt*. Si per hos, posterioribus verbis designatos putes discipulos ex gentilitate conversos, tum id sumes pro medio termino, quod est in quæstione, & idem per idem probabis hoc modo. Credimus salvari gentiles conversos, quemadmodum & illi gentiles conversi salvati sunt. Argumentatio inepta. Ergo sic procedit: Si Patres Vet. Testam. non vi legis quæ jugum erat importabile salvati, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi, Ergo & hi.

XXVIII. Allegare præterea solent contra thesin nostram illud 1. Joh. 1. 2. *Quòd vita illa conspicua facta sit nobis*. Si ergo tempore Apostolorũ patefacta, antea patefacta non non fuit. *Resp*. Esse hoc loco metonymiam causæ efficientis pro effecto, adeoque Sp. S. hic loqui de Christo incarnato tanquam authore istius vitæ. Joh. 14. 6.

At *inquies*, si autor vitæ æternæ demum tempore Apostolorum patefactus, ergo & ipsa vita; quia effectus ante causam esse non potuit. *Resp.* Cum vita promissa dicitur, id vel de *promissione*, vel de *exhibitione* ejus agitur; de posteriore autem agit Apostolus loco citato, scilicet de *promissione*, non *exhibitione*, dicente ipso Christo: *Si enim crederetis Mosi; mihi crederetis, nam ille de me scripsit.* Joh. 5. vs. 46.

XXIX. Objiciunt etiam illud Christi: *Ego sum viâ, veritas, & vitâ* Joh. 14. 6. Si inquiunt *Christus est vita, ergo ante eum non fuit. Resp.* Si dicas promissam non fuisse, nego ob supra allatas rationes. Et Christus vita dicitur, non quòd ipse primus sit, qui doctrinam de immortalitae & vitâ æternâ revelaverit; sed quòd ipse sit author vitæ, adeo, ut quotquot unquam vitam æternam sunt consequuti, per ipsum eandem habeant. Act. 4. vs 12.

XXX. Porro & hoc est quod in ore perpetuò habent: Ecclesiam Veterem infantilis fuisse ætatis, adeoque etiam tantùm ut infantem se habuisse *Gal 4.3.* ac eapropter in corporalibus istis non vidisse spiritualia. *Resp.* Ecclesiam veterem infantilem dici, non quòd nihil sciverit de Christo & bonis spiritualibus; sed quòd istius Ecclesiæ cognitio valde tenuis fuerit in collatione ad hodiernam Ecclesiam; quippe quæ clarè videt ea consummata esse, quæ quondam promissa & prædicta, fuerunt.

XXXI. Denique etiam obtendunt: Judæos qui scriptorum Vet. Testament. sunt peritissimi, fateri, nullum vitæ æternæ apertum extare in iis testimonium; sed *Resp.* Hodiernos Judæos frustra objici. 1. Quia κάλυμμα *velamen impositum est faciei eorum*, quod non nisi in Christo tollitur *2. Cor. 3. 13, 14, 15.* Et hodiernorum Judæorum testimonium productum contra expressum Christi effatum, *Math. 13. 17. Multi Prophetæ & justi desiderarunt videre, quæ videtis: & audire quæ auditis*, itemque contra expressa asserta, Petri, Act 3 21. *de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum*, & Act. 10. vers 23. *Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum* &c. Pauli Act. 26. v. 6, 7. *Nunc verò ob spem promissionis factæ Patribus nostris à Deo, sto in judicium vocatus*, nullius est momenti.

Apostoli 2. *Tim.* 1. *v.* 10. quibus Christus dicitur, *vitam & immortalitatem in lucem produxisse per Evangelium*, item Joh. 1. 18. *Filius qui est in sinu Patris ille nobis exposuit.* Verùm quis ignorat eum scripturæ morem, quo dicitur res aliqua tum fieri vel nasci, quum manifestatur, magisque propalatur, ut Prov. 17. 17. *Amicus nascitur in die malo*, hoc est, tum se prodit, cum nos premit angustia, non quòd tunc demum talis esse incipiat, sed quòd se talem antea quoque fuisse, jam manifestet.

XX. Hic quoque est sensus hujus loci. Nam testatur Paulus, quòd gratia Dei, quæ nobis data est per Jesum Christum, manifesta fit nunc per apparitionem salvatoris nostri, qui morte abolitâ, vitam & immortalitatem in lucem produxit per Euangelium, scilicet clarissimis suis eâ de re concionibus, quas ipse frequentes habuit, & maximam lucem attulit iis, quæ antea de immortalitate & vita vel dicta vel scripta erant. At hinc non sequitur, quòd Christus demum post suam ex Maria virgine nativitatem, postquam ministerium docendi publicè fuit exorsus, spirituales vitæ æternæ promissiones hominibus proposuerit. Contrarium evincunt omnia paulò ante à nobis allata argumenta. Distinguat Smalcius inter promissionem simpliciter factam, & ejus lucidissimam explicationem.

XXI. Ergo illustris gratia de morte abolita, & vitâ restituta nunc manifestata dicitur, non quòd Patribus fidelibus vita æterna promissa non fuerit, sed duæ aliæ ejus rei sunt causæ: quarum *prior* est, quia Christus non nisi in promissione ut plurimum typica exhibitus Patribus, in carne tandem visus est, quæ quanta & quam illustris sit gratia, testis est *Joh. epist.* 1. *c.* 1. *v.* 1. & *Petr. epist.* 1. *c.* 1. *v.* 11, 12. *Posterior* autem est, quia gratia, quæ quondam intra angustos Judeæ limites delituit, dirutâ jam maceriâ, ad gentes etiam se diffuderit, ac universum terrarum orbem pervagata sit.

XXII. Quod etiam replicandum est ad id quod ex epist. ad *Titum.* 2. *v.* 11. eâ fini producunt. Nimirum *salutarem gratiam* per apparitionem Christi *illuxisse omnibus hominibus*. Nam aliud est, vitam æternam uni tantùm genti fuisse promissam; aliud omnibus gentibus promissam, aliud aliquibus ex unâ gente collatam, aliud conferri cæptam omnibus gentibus. Posterius dicitur allegato loco, quòd scilicet gratia Dei quæ antea populo tantùm Israelitico offerebatur, jam offeratur omni populo, sub quocunq; mundi climate.

Pue-

XXIII. Puerile etiam illud est, quod quarto loco proferunt: *Legem umbram habuisse futurorum non ipsam formam rerum expressam.* Heb. 10. 1. Col. 2. 17. Quia hæc dicuntur de ceremoniali lege, quæ umbra erat & typus exhibendi Christi. Quid inde? Ergo vita æterna in Vet. Testam. non promissa? Imò contrarium sic probo. Ubi typi Christi, ibi promissio Evangelii, ibi vita æterna. In Vet. Test. fuerunt typi Christi. Ergo Evangelium, & vita æterna.

XXIV. Quintò adferunt illud Heb. 8. 6. *Christus præstantioris pacti est mediator, quod etiam præstantioribus promissis sancitum est.* Christum præstantioris fœderis, quippe melioribus promissis sanciti, mediatorem esse, quàm est Mosaicum fœdus, adeo certum est, ut id qui neget, fallatur valdè. Hoc tamen non obstante, immota stat sententia nostra. Quia Sociniani Vetus fœdus seu fœdus legale Mosaicum confundunt, cum fædere gratuito cum Patribus inito. Fœdus gratuitum, cum Patribus in Christo initum, eadem omnino cum Testam. Novo habuit promissa, ut evictum argumentis, & ex doctrina de convenientiâ & differentiâ utriusque fæderis liquet.

XXV. Præstantiora ergo sunt promissa Novi Testamenti, non quoad rei *substantiam*, sed quoad *accidens*; nimirum 1. Quoad modum patefactionis. In Vet. Test. fuerunt promissiones de Christo exhibendo, in Novo ipsa exhibitio. 2. Quoad objecti latitudinem. Quia in Vet. Test. promissiones spectabant unam gentem. *Psal. 147. v. 19, 20.* in Vet. Test. *omnes gentes Math. 18.* 3. Quoad claritatem. In V.T. patefactio non tam clara fuit sic ut in Novo, ibi umbra, hic corpus. Hinc S. S. tres claritatis gradus constituit *2. Pet. 1. 19. Velut lucernam splendentem in obscuro loco, usque dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.* Primum gradum comparat candelæ in loco obscuro ardenti, alterum diluculo, tertium meridiei. Candelæ comparans patefactionem Vet. Testam. Initia exhibitionis in Nov. Test. diluculo, nostra verò tempora meridiei. Hoc sensu ergo nos in Nov. Test. habemus præstantiora promissa, nec inde sequitur, ergo illi promissis planè caruerunt. Imò verò, quia dicimur nos habere præstantiora, illi præsupponuntur habuisse aliqua; quia comparativus gradus, positivum supponit. Et, quia gradus speciem non variat, ejusdem speciei fuerunt veterum promissa.

XXVI. At inquiunt: *Lex nihil consummavit, sed introducta est spes potior, Heb. 7. v. 19.* Est verò hoc

At *inquies*, si autor vitæ æternæ demum tempore Apostolorum patefactus, ergo & ipsa vita; quia effectus ante causam esse non potuit. *Resp.* Cum vita promissa dicitur, id vel de *promissione*, vel de *exhibitione* ejus agitur; de posteriore autem agit Apostolus loco citato, scilicet de *promissione*, non *exhibitione*, dicente ipso Christo: *Si enim crederetis Mosi; mihi crederetis, nam ille de me scripsit.* Joh. 5. vs. 46.

XXIX. Objiciunt etiam illud Christi: *Ego sum viâ, veritas, & vitâ* Joh. 14. 6. Si inquiunt *Christus est vita, ergo ante eum non fuit. Resp.* Si dicas promissam non fuisse, nego ob supra allatas rationes. Et Christus vita dicitur, non quòd ipse primus sit, qui doctrinam de immortalitae & vitâ æternâ revelaverit; sed quòd ipse sit author vitæ, adeo, ut quotquot unquam vitam æternam sunt consequuti, per ipsum eandem habeant. Act. 4. vs 12.

XXX. Porro & hoc est quod in ore perpetuò habent: Ecclesiam Veterem infantilis fuisse ætatis, adeoque etiam tantùm ut infantem se habuisse *Gal* 4. 3. ac eapropter in corporalibus istis non vidisse spiritualia. *Resp.* Ecclesiam veterem infantilem dici, non quòd nihil sciverit de Christo & bonis spiritualibus; sed quòd istius Ecclesiæ cognitio valde tenuis fuerit in collatione ad hodiernam Ecclesiam; quippe quæ clarè videt ea consummata esse, quæ quondam promissa & prædicta, fuerunt.

XXXI. Denique etiam obtendunt: Judæos qui scriptorum Vet. Testament. sunt peritissimi, fateri, nullum vitæ æternæ apertum extare in iis testimonium; sed *Resp.* Hodiernos Judæos frustra objici. 1. Quia κάλυμμα *velamen impositum est faciei eorum*, quod non nisi in Christo tollitur 2. *Cor.* 3. 13, 14, 15. Et hodiernorum Judæorum testimonium productum contra expressum Christi effatum, *Math.* 13. 17. *Multi Propheta & justi desiderarunt videre, quæ videtis: & audire quæ auditis*, itemque contra expressa asserta, Petri, Act 3 21. *de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum*, & Act. 10. vers 23. *Huic etiam omnes Propheta testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum* &c. Pauli Act. 26. v. 6, 7. *Nunc verò ob spem promissionis facta Patribus nostris à Deo, sto in judicium vocatus*, nullius est momenti.

Quæſt. 4. *Attamen prorſus aliquam ſpem vitæ æternæ in Dei populo ante Chriſtum fuiſſe apparet?*

Reſp. *Nihil obſtat ſperare quidpiam etiamſi promiſſo Dei careas, modo res ea ſit ſummopere expetenda, & ejuſmodi, quam credibile erat, eam Deum cultoribus ſuis daturum. Vitâ verò æternâ nec magis eſt quicquam expetendum, nec eſt quicquam credibilius, quàm Deum cultoribus ſuis eam daturum tanquam mercedem, quæ ipſius perſonæ vehementer conveniat, ſine qua, cætera bona, etiamſi à Deo proficiſcantur, vix ſunt digna divinæ mercedis nomine.*

Quæſt. 5. *Id verò quamobrem?*

Reſp. *Duabus de cauſis: primùm quòd non tam ipſum bonum, quàm illius perpetuitas divinum quiddam habere videatur: deinde, quòd conſtet, aliorum bonorum, exceptâ vita æterna eſſe participes etiam eos, qui Deo non ſerviunt, imò eum blaſphemant.*

Quæſt. 6. *Habituri ne ſunt vitam æternam, ii qui eam ſperarunt, licet iis promiſſa non fuerit?*

Reſp. *Prorſus, at non omnes, verùm ii, qui ex animo Deum coluerunt & dicto audientes ei fuêre. Nec enim obſtat quicquam, quo minus plus præſtet, quàm promiſerit Deus. Et Chriſtus id apertè docet* Luc. 20. verſ. 37, 38. *cum è verbis ipſius Dei & verè & ſubtiliter ratiocinatur, Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum reſurrecturos à mortuis & victuros. Quem imitatus author, ad* Hebræos 11. ℣. 16. *ait: Deum non*

non erubescere eorum vocari Deum, eò quòd paraverit iis urbem, & eos æternùm victuros statuerit.

Quæst. 7, *Si daturus erat vitam æternam illis hominibus, cur eam non promisit?*

Resp. *Tam excellens promissum distulerat Deus in tempus quod noverat opportunum, ut tantò evidentiùs appareret omnibus tam excellens bonum esse proprium ipsius munus è merâ benignitate ejus profluens.*

I. Quia salus & vita æterna, testantibus uniformiter scripturis, non obtingit cupiam, nisi in Christo mediatore, urgemus Adversarios hoc argumento: Veteres aut in Christo salvati, aut penitùs non salvati; quia, ut extra ecclesiam, sic extra Christum non est salus. Illi,ne crudeles videantur in fideles & pios V. Test. comminiscuntur, hoc, quod quatuor hisce quæstionibus relatum est. Nimirum; Posse aliquem sperare aliquid, etsi ejus rei nullam habeat promissionem, modo illud sit expetibile; ac proinde pios Vet. T. etiam habuisse ea ratione vitam æternam.

II. At verò hæc sententia nullâ authoritate verbi divini, sed meris conjecturis nititur. Nam non quæritur quid homines potuerint sperare, sed quid ex verbo revelato sperandum ipsis fuerit: nec quid Deus piis in Vet. Testam. hominibus dare potuerit, sed quid dare decreverit, nempe vitam æternam, eamque per fidem in promissum mundi Messiam, ut ex allegatis nostris liquet argumentis.

III. Proinde nugatorium planè est, quod dicit Smalcius, potuisse veteres sperare vitam æternam, etsi ejus rei nullam habuerint promissionem: Nam quomodo Veteres vitam æternam, de qua illis, ut docent Sociniani, nihil unquam revelatum, sperare potuerunt, quomodo item sperare, cùm spei ejus mandatum nullum, promissionem nullam, cui illa spes inniteretur, habuerint. Certè ut fides salvifica esse nequit, nisi positâ promissione vitæ æternæ, *quomodo n. credent de quo non audierunt? Rom. 10. 14,* ita etiam spei locus nullus, ubi nec objectum spei revelatum, nec mandatum ullum de fundanda spe in illo objecto.

IV. Vitâ æternâ à parte post, equidem nihil est magis optabilius, nihil magis expetendum, quia quæ sit vitæ æternæ conditio, quæ proinde expetibilitas ejus, id nulli unquam mortalium constitisset, nisi revelatione innotuisset. Quomodo autem id, quod non innotuit, exoptare potuerunt veteres cùm ignoti nulla sit cupido?

V. Deinde, frustra præsupponit Smalcius, vitam æternam esse operum mercedem. Fuisset vita æterna merces bonorum operum debita, quòd si homo in statu integritatis perstitisset, legemque latam perfectè præstitisset. Verùm, postquam homo violatâ lege, in eum se statum præcipitem dedit, ut legem implere nequeat, adeoque implendo legem vitam æternam mereri, vita æterna nequaquam operum merces debita censeri potest; sed merces gratiæ, infinities dignitatem operum excedens, à Spiritu Sancto judicatur. Excellentia vitæ æternæ equidem præ bonis cæteris tanta est, ut vix ulla possit inter ea institui comparatio; attamen non video, quâ ratione encomium istud quæstioni controversæ applicetur.

VI. Ergo dico: Veteres habuisse vitam æternam revelatam & sibi promissam, *quia expectabant civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus.* Heb. 11. 10 Contra quæ verba Apostoli Socinus quidem excipit: Expectasse eos vitam æternam; nihil tamen ipsis fuisse divinitus revelatum vel promissum; sed illos conjecturis quibusdam hâc parte innixos fuisse. Exceptio frivola. Quia dicitur, eos expectasse *per fidem*; Si per fidem, ergo habuerunt fidei istius fundamentum verbo revelatum *Rom. 10. v. 17.* quod clarissimè probatur, ex *Luc. 16. 29.* ubi epulo petit, ut mittatur Lazarus ad fratres ipsius, ne & ipsi in eum tormentorum locum deveniant. Abraham eum ad Mosen & Prophetas remittit, quos si audituri essent, non essent deventuri in eum locum; undè liquet Mosen & Prophetas non tantùm scivisse sed & docuisse de vita æterna. Ex quorum enim doctrina cruciatus æternos quis evitare potest, ex illorum quoque doctrina potest cognoscere & obtinere contrarium; quandoquidem effugere inferni pænas nemo potest, quin eo ipso, quòd effugit, vitæ æternæ particeps fiat.

VII. Ergo vitam æternam nemò sperare potuit, nisi cui ea promissa fuit; Quia docente Apostolo, *Eph. 2. 12. Ii qui erant extranei quoad pactorum promissiones, fuerunt spem non habentes, & absque Deo in mundo.* At tales fuerunt, judi-

judice Smalcio pii Veteres Testamenti, Ergo quia *extranei, quoad pactorum promissiones*, spem habere non potuerunt, contra id, quod docet Adversarius: *Nihil obstat sperare quidpiam, etiamsi promisso Dei careas.* Apostoli doctrina est, eum qui promisso caret, spe quoque carere; adeo ut promissio basis sit & fundamentum spei. Apostolo ergo subscribimus.

VIII. Porro, vanus est Smalcius in eo, cum dicit, eos veteres habere vitam æternam, qui eam sperarunt, licet iis promissa non fuerit, *si modo ex animo Deum coluerint.* Vanus inquam, est in eo. Nam is qui promissionem sibi factam non habet, ex animo Deum colere non potest. Quia is, *qui extraneus est, quoad pactorum promissionem*, is est *absque Deo*,) id est, absque cognitione Dei salutari) *in mundo, Eph. 2. 12.* Quomodo autem, is qui sine Deo in mundo vivit, Deum ex animo colit?

IX. At inquit ille. *Nec enim obstat quicquam, quo minus plus præstet quam promiserit.* Id verò in scripturis me legisse non memini, Deum plus præstare quam promiserit. Exempla istius axiomatis voluissem ab Adversario producta. Ostendendum erat Adversario, quòd Deus, quibus tantùm corporalia promisit, contulerit unquam spiritualia. Lego equidem, *Eph. 3. v. 3. Ei verò qui summa cum exuberantia potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus.* Verùm aliud est Deum plura præstare posse, quàm nos vel petimus vel cogitamus, aliud plura præstare, quàm ille promisit. Quia Deus etiam ea, quæ nos cogitando concipere non possumus promisit, verbi gratia, *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ Deus præparavit iis, qui eum diligunt.* 1. Cor. 2. v. 9.

X. Fallitur autem & fallit Smalcius hâc fini allegans exempla Abrahami Isaaci & Jacobi, ex *Luc. 20. 37, 38.* Quid enim? an hi salvati, an iis obtigit vita æterna, absque promissione sperantibus? Nihil minus. Nam si isti Patres non habuerunt verbum divinum, de vitâ æternâ, à Deo ipsis danda, tum neque fidem de ea accipienda habuerunt vel habere potuerunt; Tolle namque divinum verbum, & sustulisti fidem justificantem. *Rom. 10. 14, 15, 16, 17.* Tolle divinam mysteriorum salutis æternæ revelationem & sustulisti nostram γνῶσιν. Confer. *Eph 3. 8, 9, 10. Col. 1. 25, 26.* Quid quòd expressè dicat Apostolus ad Hebræos Abrahamum *per fidem* vocatum auscultasse Deo, *per fidem* commo-

ratum in terra aliena, *per fidem* expectasse civitatem illam cujus artifex est Deus, (id est, vitam aeternam) *per fidem* obtulisse Isaacum. Unde haec omnia? quia sc. *promissionem acceperat*, Heb. 11. 17. Hinc Abraham gestivit videre dies Novi Testamenti. *Ioh. 8. 56.*

XI. Quid de Isaaco? *Per fidem de futuris benedixit Isaacus Iacobo & Esavo* Heb. 11. v. 20. De Jacobo? Per fidem Jacobus moriens singulis filiis Josephi benedixit. *Ibid. vers. 21.* Hinc etiam salutem Domini expectavit, *Gen. 49. v. 18.* Jam quae est illa horum fides? Und kan ihm auch niemandt auff eine andere weyse / dan eben umb desselben glaubens willen gefallen / inquit Ostorod. Instit. cap. 2. pag. 19. hoc est, *omnium quicunque unquam Deo placuerunt, est una eademque fides.* At verò non potest una omnium hominum, qui unquam Deo placuerunt, fides fuisse, si non sub Vet. Test. sed demum sub novo datae sunt vitae aeternae promissiones. Cùm fides promissioni, ceu suo fundamento innitatur.

XII. Impertinentius adhuc allegatur, illud ex *Heb. 11. 16.* ab Aduersario. Nam qui expectarunt à Deo eam urbem sibi paratam, non expectaruut neque expetiverunt absque promissione. Quia expectarunt *per fidem.* Fides autem nititur promissione, ut toties dictum.

XIII. Ex dictis jam liquet, ineptè Adversarium tradere rationem ejus, cur scilicet Deus illis hominibus, quibus erat vitam aeternam in Vet. Test. daturus, eam tamen non promiserit; ut scilicet appareat tam excellens bonum non nisi è merâ benignitate profluere. Quasi verò ii qui docent promissionem spiritualium bonorum & vitae aeternae factam Ecclesiae à primordiis mundi hîc quippiam detrahant benignitati Dei, quod acceptum ferant humanae dignitati. In promissione ista à seculis in Paradyso adhuc facta, nil nisi mera Dei gratia à nobis praedicatur.

XIV. Si autem quaeras, cur Deus, Christum quem promiserat Ecclesiae Veteri, demum in plenitudine temporis voluerit in carne manifestari; Respondet Apostolus ad *Heb. 11. 39. 40. Non obtinuerunt promissum illud, quoniam Deus de nobis potius quiddam providerat, ne absque nobis consummarentur.* Quae quidem verba non de promisso vitae aeternae interpretanda sunt, ac si Deus veteribus non promisisset vitam aeternam, ut ea post Pontificios torquent Sociniani. Adversâ fronte haec tortura cum textu Apostolico pugnat, praecessit enim: *Abrahamum expectasse*

patriam

patriam cælestem &c. Ergo promissum, quod Patres non obtinuerunt, est Christi in carne exhibitio, interprete Christo *Math. 13. 16, 17.*

X V. Dices: *Apostolum diserte versu 49. dicere, Deum aliquid melius de nobis providisse ut non absque nobis consummarentur.* Nimirum expedita est nodi istius solutio. Deus aliquid melius de nobis prævidit, dum filium suum non Patrum, sed nostro tempore in carne exhiberi voluit, ne nimirum Patres sine nobis consumarentur. Ergo non de promissione *gloriæ*, sed de promissione *impletæ benedictionis* per Messiam incarnatum hic est sermo.

Quæst. 8. *Nonne in novo fœdere præter vitam æternam sunt etiam vitæ hujus promissa.*

Resp. *Scriptura sanè testatur pietatem etiam sub N fœdere promissionem habere, non futuræ solùm, verùm etiam præsentis vitæ.* 1. Tim. 4. ℣. 8. *ac etiam si quis Christi causa & Evangelii ejus omnia relinquat, eum centuplicia in hac vita rerecepturum cum persecutione, & in seculo futuro vitam æternam.*

Quæst. 9. *Ergo quoad promissa vitæ præsentis exæquatum est novum fœdus veteri?*

Resp. *Cùm ex aliis, scripturis constet hominem Christianum acquiescere debere iis tantùm quæ ad vitam tuendam sunt necessaria,* 1. Tim. 6. ℣. 8. *apparet promissa vitæ hujus sub novo fœdere facta, etiam plenissima, sic accipi debere, ne Christiano homini desit quicquam, quod ad hanc vitam tuendam necessariò requiratur. Verùm sub veteri fœdere, non solùm quærere licuit & possidere plura, quàm vitæ hujus usus requireret; sed etiam è superfluo voluptates & alia, sine quibus esse in hac vita possumus parare, modò id sine alterius*

fieret

fieret injuria. Propterea promissa vitæ hujus sub veteri fœdere non contrahenda sunt, sed ut verba sonant accipienda. Unde etiam cernere est, vitam æternam in Veteri fœdere non fuisse promissam; alioqui novum fœdus non haberet præstantiora promissa, quàm habebat Vetus, contra quàm supra docuimus.

I. Nos in utroque Testamento Veteri & Novo, tam illius, quàm hujus fœderis Ecclesiæ factas fuisse promissiones duplices statuimus, tum eas, quæ hanc, tum alias quæ futuram vitam concernunt; adeo ut ratione promissionum hujus vitæ in utroque nulla sit differentia, sed utrobique bona corporis Deus siverit esse præmium pietatis gratiosum. In promissis autem spiritualibus diximus differentiam esse *accidentalem* non *substantialem*.

II. Nugatorium planè est, quod Smalcius ultimà quæstione docet. Deum scilicet Veteribus bona temporalia non tantùm ad necessitatem, sed etiam ad voluptatem concessisse, adeoque licuisse veteribus, bona & plura quærere & possidere, quàm vitæ hujus usus requireret. In Novo autem Testamento, etsi bona temporalia quoque sint promissa tanquam fructus pietatis, non licere tamen ea vel quærere vel possidere, ultra quàm ad vitam tuendam sunt necessaria.

III. Hypothesis hìc ea substruitur, quam supra refutavimus ad cap. 1. de præceptis Christi quæ legi addidit p. 381. & seqq. scilicet eum avarum esse qui in Nov. Testam. plus habere vellet quàm ad tuendam vitam, tum suam, tum suorum pertinet, sed quàm ista thesis sit inepta, ibi vide. Æquè fidelibus Ecclesiæ N. T. abundare licet in bonis fortunæ, ac illis in Veteri Test. concessum est.

IV. Quia id, quod in utroque Testamento ad vitam sustendandam ac tuendam necessariò requiritur, considerandum est, tum *Physicè*, tum *Ethicè*, tum *Politicè*. Si Physicè vita consideretur, pane & aquâ ea sustentari posset. Sed quia Deus non tantùm Physicam, fideles suos, sed etiam Oeconomicam & politicam vitam vivere voluit, alia, ad honestatis casus, qui in Oeconomia Politia frequentes obveniunt, iis quoque indulsit, quæ si orando & laborando honestis mediis acquirant, nihil contrarium vel religioni vel pietati Christianæ committunt.

Ex

V. Ex objecti etiam distributione liquet, non tantùm eâ, quæ sustentationi vitæ privatæ inserviunt esse promissa, sed & plura. Quia, qui res hujus corporis curat, non tantùm ratione sui curare tenetur, sed etiam aliorum respectus apud talem esse debet. Verbi gratia. Alendi sunt Ministri Ecclesiæ *Gal.* 6. 6. 1. *Cor* 9. v. 11. Magistratui vectigalia solvenda *Rom.* 13. v. 6. Providendum domesticis. 1. *Tim.* 5. v. 8. Liberis thesauri colligendi 2. *Cor.* 12. *vers.* 14. necessitatibus sanctorum communicandum *Rom.* 12. v. 13. *Eph.* 4. v. 28. *Act.* 11. *vers.* 29. benefaciendum omnibus, maximè domesticis fidei, *Gal* 6. 10.

VI. Nec tantùm personarum hic ratio habenda, sed & circumstantiæ, temporis scilicet, non tantùm *præsentis*, sed etiam *futuri*. Quod commendâtur, *Prov.* 6. v. 8. *Abi ad formicam piger, aspice vias ejus & sape: Comparat æstate cibum suum, comportat per messem escam suam.* Conf. Prov. 20. 4. *Qui propter hyemem piger non arat, mendicabit in æstate.* Hinc Paulus dicit, parentum esse θησαυρίζειν, quod est à θησαυρὸς & hoc παρὰ τὸ εἰς αὔριον τίθεσθαι, quia thesaurus dicitur, quicquid reponitur pro futuro asservandum, ad futuras scilicet necessitates, Physicè, Ethicè, Politicè, Oeconomicè, Ecclesiasticè spectatas.

VII. Non omne studium plus habendi, acquirendi, avaritiæ accusari debet. Distinctè hic est procedendum. Nam is demum avarus est, in quo est immodicum studium plus habendi, quàm ejus, suorumque & proximi sustentandi necessitas ecclesiastica, politica, oeconomica, medica &c. tum ratione præsentis tum futuri temporis, requirit, quique iis immodicè, posthabito regno cælorum inhiat. Quibus sic habentibus non tantùm promissa temporalia Veteri Ecclesiæ facta, sed nec promissa Ecclesiæ N. Test. sunt contrahenda, verùm, ut verba sonant utraque accipienda.

VIII. Ac proinde, ex suppositâ falsâ hypothesi, falsò Adversarius infert: *Unde etiam cernere est vitam æternam in Veteri fœdere non fuisse promissam.* Quasi verò incompatibilia sint promissa hujus & futuræ vitæ, & quia illa fuerunt in V. Testam., his nullus locus fuisset. Etsi verò in utroque fœdere similia fuerint promissa, & Vet. Test. Ecclesia, Ecclesiæ N. T. sit exæquata, ratione promissorum; non tamen hinc infertur, ergo fœdus novum non habet præstantiora promissa: Quia exæquata sunt promissa quoad *substantiam*, non quoad *accidens*, ratione cujus promissa fœderis novi sunt præstantiora, ut superius evictum.

Caput. VI.

De Promisso Spiritus Sancti.

QVæst. 1. *Expone mihi alterum promissum & explica quid sit donum Spiritus Sancti?*

Resp. *Donum Spiritus Sancti in N. fœdere promissum duplex est, unum perpetuò manens, alterum ad tempus, quod visibile fuit, ut illud invisibile.*

Quæst. 2. *Quod verò est ad tempus concessum idque aspectabile donum.*

Resp. *Est donum edendorum aut possidendorum miraculorum quod ab initio in Christum credentibus manifestè dabatur.*

Quæst. 3. *Cur verò donum id non semper duravit?*

Resp. *Propterea, quòd ad confirmandum novum fœdus concessum fuit, quod ubi satis Deo confirmatum visum est, ejus arbitrio & consilio desiit.*

Quæst. *Quid verò per hæc verba tibi vis,* satis fuisse novum fœdus confirmatum?

Resp. *Id volo, eos qui ad credendum Evangelio apti fuere, ex eo quod ad confirmationem fœderis factum erat, satis in posterum, ut crederent, habuisse.*

Quæst. 5. *Quinam verò sunt ii apti.*

Resp. *Qui vel animi probitate præditi sunt, vel ab ea non alieni: Etenim noluit Deus, ut ii qui ex eorum genere non essent, causam rejiciendæ Christi doctrinæ nullam haberent, non habi-*

habituri si ea confirmatio perpetua fuisset: Nec enim quisquam tam improbus fuisset, qui doctrinam Christi pro vera non agnovisset, atque eam non tam virtutis & pietatis amore quàm illius expetendi boni, vitæ nempe æternæ, quam Christus suis promittit, desiderio incitatus, & inflammatus, amplexus fuisset. Quo factum fuisset, ut in religione Christiana, quæ Dei consilio improbos à probis erat secretura, discrimen inter bonos & malos nullum appareret.

I. De distinctione donorum Spiritus Sancti cum Smalcio non controvertam. Clarior est scriptura quàm ut illi contradici queat: *Distinctiones autem donorum sunt.* 1. Cor. 12. 4. quorum primum donum ait esse donum miraculorum, alterum spem vitæ æternæ, de quibus sibi hic agendum censuit. Eaque dona peculiari Novi Testamenti esse contendit. Sed benè monet Smalcius lib. de divinit. Christi, cap. 8. de Promisso Spiritus Sanct. *Non debet autem aliquis suspicari, nos negare, Deum multis fidelibus Spiritum Sanctum dedisse sub veteri etiam fœdere. Is enim qui sic suspicaretur, graviter erraret.*

II. Graviter ergo errat Smalcius, vel se ipso judice, hoc Catecheseos capite, donum Spiritus S. demum in Nov. Test. à Christo promissum docens... Sed fortè ab errore se expediet dicens, quod allegato libro & capite scribit. *Credimus Deum dedisse multis Spiritum suum, sed non omnibus legi obedientibus: & illis multis credimus Deum dedisse illum Spiritum ex singulari* sua gratia: sed non ex promisso. Quàm subtiliter! Quasi verò aliquis legi obedire potuisset absque Spiritu Sancto. Unde enim hoc est quòd in Vet. Test. multi obedierint legi? ex se ipsis hoc habuerunt? Si dicas, sine fronte sis oportet. Audi enim. *Et dabo vobis cor novum &* Spiritum novum ponam *in medio vestri, & amovens cor lapideum, è carne vestra indam vobis cor novum.* Et Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam *ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis facientes ea.* Ezech. 36. v. 26, 27. Quid? an hi legem præstiterunt absque Spiritu Sancto? Minime. Is erat, Quo Deus fecit, ut ambularent in statutis suis. Ergo non absq; Sp. S.

III. Quid quod David *Psal. 51. 13.* Deum supplex oret, ne *Spiritum suum Sanctum ab eo recipiat.* & Psal 143. 10. *Spiritus tuo deduc me* Quomodo autem petere potuisset, nisi promissioni divinæ innixus? Aut profectò irrationales planè fuerint preces Davidis oportet, utqui petierit Spiritum Sanct., cujus nec naturam, nec vim, nec efficaciam nosset; quem, an sibi Deus daturus erat in certus erat, eò quòd ex mente Smalcii promissione careret. At verò qui precibus Deo approximat, *eum credere oportet*, quia absque fide Deo gratus esse non potest *Heb*, 11. 6. At verò si credere ooportet, fides promissioni innitatur necesse est. *Rom. 20. v. 14. Quomodo igitur invocabunt eum in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo non audierint?*

IV. De dono miraculorum, verùm est quod dicit, illud fuisse donum visibile, ad tempus, cessasse post confirmatam Evangelii doctrinam. Sed veris istis falsa immiscet, donum sc. miraculorum tàntùm viguisse & proprium fuisse eorum, qui in primitiva ecclesia Christiana Apostolorum tempore vixerunt? Quid? annon dono isto hoc miraculorum claruit Moses, Elias, Elisæus? Non diffitetur Smalcius lib. & cap paulò ante citato: *Quemadmodum etiam vetus illud fœdus, tot apparitionibus, tot Miraculis & aliis rebus similibus subinde confirmabatur.* Nec potest negare Smalcius, quin *digitus ille Dei*, per quem Moses miracula efficiebat, sit *Spiritus ille Dei*, per quem Christus dæmonia ejecit. *Math. 12. 28.*

V. Quæstione quartâ Pelagianizat Smalcius, præsupponens quosdam ad credendum Evangelio scilicet naturâ suâ aptos fuisse. Quis enim aptus est ad credendum Evangelio? *cùm non simus idonei ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis*, 2 Cor. 3. 6. Nemo animi probitate præditus est, nemo à pietate non alienus, nisi qui efficaci Spiritus Sanct. gratia, à reliquis discernitur: nemo suapte natura ad vitam æternam aptus. Pelagiani fermenti est, dicere, eos ad credendum aptos esse, *qui animi probitate præditi sunt vel ab ea non sunt alieni.*

VI. Censuram porro gravem meretur id quod quæstione 5. supponit Smalcius, quod rectè observatum à Cl. olim Collega nostro, D. Cloppenburgio, initio scilicet præsidium omne religionis Christianæ fuisse in miraculis, atque hæc sola fuisse illa evidentia & palpabilia argumenta, quæ scilicet coegerint suo impetu ad fidem Christo habendam, etiam illos, qui nullo pietatis

tatis affectu ducerentur: Quibus jam sublatis, ea tantùm restent argumenta, quæ non omnibus in universum, sed solis tantùm probis, sanabilibus & ad vitam æternam aptis, ad eos de veritate religionis convincendos, satis sint.

VII. Observare hîc quoque licet prævaricationem impiam, quâ Christianis eripiuntur omnia argumenta quibus hactenus feliciter perfidiam Judaicam vicerunt, ac veritatem fidei & religionis Christianæ ex scripturis Vet. T. fortiter asseruerunt, secundùm praxin ab Apostolo præscriptam, *2. Tim. 3 19.* & exercitam *Act. 18. v. 25. 28.* Ubi Apollos potens in scripturis, dicitur potenter & solidè in publica concertatione Judæos vicisse, Jesum esse Christum, non aliâ quàm ex scripturis Vet. Testam. demonstratione.

VIII. Somnium illud quoque est Socinianum, donum miraculorum scil. tantæ naturâ sua esse efficaciæ, ut omnibus etiam improbis veritatem doctrinæ Christi persuadere potuisset, contra expressam salvatoris contestationem *Math 11 23.* ubi docet, tantas fuisse virtutes & miracula Christi, quæ si apud Sidonios fuissent edita, præservati fuissent à die malo, cùm apud Capernaitas nullius fuissent operationis.

IX. Ineptissimum autem omnium est, quod attexit, nimirum, nisi donum miraculorum cessasset; sed eo utrique tum apti ad vitam æternam, tum improbi quos dicit, de veritate religionis Christianæ convicti fuissent, discrimen inter bonos & malos nullum appariturum fuisse. Ineptissimè inquam. Quasi verò, tempore eo, quò donum in Ecclesia floruit, nullum inter utrosque fuerit discrimen. Et ut hoc addam, supponit, homines à priori se ad religionis Christianæ veritatem, & viam salutis ineundam discriminare posse, contra id, quod scriptum reliquit Apostolus *1 Cor. 4 7. Quis enim te ab aliis discernit.* Quâ ratione autem internosci debeant probi à reprobis, docuit Saluator *Math 7. 16. A fructibus ipsorum agnoscetis eos.*

Quæst. 6. *Dic igitur mihi, quod est Sp. S. donum perpetuò manens?*

Resp. *Antequam id exponam, demonstrandum est, sub novo fœdere esse quoddam Spiritus Sancti donum quod perpetuo,*

petuo, hoc est omni tempore in Ecclesia duret.

Quæst. 7. *Imò id à te peto.*

Resp. *Sic igitur habeto, præter alia Testimonia, ex illis verbis id perspicuum haberi* Luc. 11. 13. *Deum filiis suis, id ab eo contendentibus, Spiritum suum dare, & semper dare velle.*

I. Hâc parte Adversario subscribimus, nimirum Spiritus Sanct. donum perpetuum futurum in Ecclesia. Quia præter eum quem Adversarius allegavit locum, & alia suppetunt ejus rei argumenta. Christus enim absentiam corporis sui, pollicitatione perpetuâ Spiritus Sancti compensavit, qui mundum esset convicturus de peccato; qui ducturus esset docentes in Ecclesia & verbum audientes in omnem veritatem, *Ioh. 16. v. 13.* qui suscitaturus esset in fidelibus inenarrabilia suspiria, qui attestaretur Spiritui fidelium, eos esse filios Dei. *Rom. 8. v. 16. 26.* qui futurus esset arrhabo hæreditatis in cordibus fidelium ad obtinendam redemptionem. *2. Cor. 1. 22.. Eph. 1. 14,* Nihil inquam solaminis ex istis promissionibus ad Ecclesiam hodiernam redundare posset, si ea ad illam tantùm Ecclesiæ periodum restringerentur.

II. Præterea, cui ignota est amplissima illa Spiritus Sancti promissio *Esa. 44. 3. Effundam aquas super sitientem, fluenta super aridam, effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super prognatos tuos.* Quâ non est obscurior illa, quæ habetur *Ioel. 2. 28. Effundam Spiritum meum super omnem carnem,* &c.

III. Sed quid? an quia donum istud Spiritus Sanct. futurum erat in Novi Test. Ecclesia perpetuum, Ecclesia Vet. Test. isto dono caruit? Non dices. Quia ubi opera Spiritus, ibi autor eorum. Atqui opera Spiritus Sancti in Veteris Ecclesiæ civibus tam eminentia fuere, ut qui ea in iis non observet, ipse, eo ipso se Spiritu hoc carere prodat: Quid enim fides illa Abrahami ab Apostolo de prædicata, pietas illa Davidis secundùm cor Dei, Ambulatio Enochi cum Deo; Salomonis, Josiæ, Hiskiæ, virtutes, Jobi integritas, & quæ talia, nonne opera Spiritus Sancti fuere? Et quo Spiritu dictante, Hiobus tam confidenter tantâ cum fidei persuasione de certitudine salutis suæ pronunciat; *Scio quod redemptor meus vivat* &c. *Hiob. 19.*

Quæst.

Quæst. 8. *Quid verò est is Spiritus Sanct.?*

Resp. *Ut facilius intelligas, quid is sit Spiritus Sanctus, sic habeto,* primum *in scripturis Novi fœderis Spiritus Sancti voce designari ipsum Evangelium, ut locus.* 1. Cor. 2. ✠. 10. *apertè indicat, si cum loco* 2. Tim. 1. 10. *conferatur. Quod enim in primo loco ait Apostolus,* Deum nobis revelasse per Spiritum suum, *idem Apostolus in altero loco inquit,* Christum illuminasse per Evangelium: *id verò est vita æterna, & eam consequendi via atque ratio. Vocatur autem Evangelium Spiritus: partim, quòd in eo contenta ab ipso Deo sunt patefacta, nec ullo modo ingenio humano indagari, nec investigari potuêre: partim, quòd hominis Spiritum respiciant, & nos spirituales reddant, quod lex non habuit. Præterea etiam Apostolus seipsum* 2. Cor. 3. 6. *Ministrum non litteræ, id est legis, sed Spiritus, aut Novi fœderis vocat. Quo sensu cum accipitur vox Spiritus Sancti, tum omnibus datur quibuscuncque annunciatur Evangelium.* Deinde *ea vox Spiritus Sancti designat Dei donum, quod certis hominibus datur, quod cum à scriptura vocetur arrha,* 2. Cor. 1. 22. *aut etiam arrha hæreditatis nostræ, & simul de eo dicitur, quòd in corda nostra infundatur, hinc necessariò efficitur, nihil aliud esse, quàm firmam & certam vitæ æternæ nobis promissæ spem, cujus in cordibus nostris gustum sensumque percipiamus.*

Quæst. 9. *Nonne eam spem vitæ æternæ concipimus per ipsam*

ipsam Evangelii prædicationem?

Resp. *Sanè concipimus aliquo modo; Etenim ex ipsâ prædicatione Evangelii, ipsa spes vitæ æternæ acquiri potest, quæ in ea est promissa, (alioquin cur promitteretur?) Verùm tamen ad inserendam animis nostris firmam & certam spem, cujus virtute in omnibus tentationibus invicti in fide subsistamus, videtur necessariò requiri, ut eâ promissio exterius per Evangelium proposita, interius à Deo in cordibus nostris obsignetur.*

I. Per donum Spiritus Sancti, quod in novo demum Testamento promissum ait, dicit, primo loco intelligi Evangelium. Non inficiamur nomine Spiritus quandoque Evangelium intelligi, in scriptura, eò quòd sit *ministerium Spiritus* 2. Cor 3 8. Sed hoc negamus Primò, Evangelium demum, in Novo Testam. promissum fuisse, contrarium toties evictum est, ut repetere pigeat. Quod enim Paulus ad *Rom.* 1. 1, 2. dicit, se esse separatum ad prædicandum *Evangelium Dei quod ante promiserat per Prophetas* &c. nequaquam de ipsa doctrina Evangelii intelligendum est, sed de objecto, nimirum Christo, quem Deus per Prophetas promiserat.

II. Secundò; Dico, Adversarium perperam hic torquere verba Apostoli 1. *Cor.* 2. 10. *Nobis autem Deus ea retexit per Spiritum suum*, ut ostendat Spiritum aliquando significare Evangelium. Nec id evincit collatio loci, 2. *Tim.* 1. 10. quo docet Apostolus, *vitam in lucem productam per Evangelium.* Quia etsi uterque locus agat de iis, quæ salutem & vitam æternam concernunt; tamen modus revelandi & retegendi utrobiq; idem, & proinde natura utriusque eadem infertur. Quia illo loco, retectio rerum salutarium tribuitur Spiritui Sanct. ut causæ efficienti principali, hoc autem loco productio vitæ in lucem Evangelio, tanquam causæ instrumentali. Ex particula *per* nihil evincitur, quod præjudicet personalitati Spiritus Sancti. Ea enim particula frequenter causam principem indigitari supra aliquoties manifestum fecimus.

III. Et non posse hoc loco per Spiritum Sanctum intelligi doctrinam Evangelii clarissimè probant immediatè sequentia:

1. *Spi-*

1. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* Huc facit illa oppositio inter Spiritum hominis & Dei ℣. 11. *Nemo novit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo: nemo novit ea quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei.* Prædicata hæc non quadrant in Evangelium, quòd scrutetur profunditates Dei, quòd noverit ea quæ sunt Dei. 2. Spiritus Dei est in Deo, ita scilicet, sicut Spiritus hominis est in homine, statuentibus Socinianis quæst. 12. hujus cap. ex 1. *Cor.* 2. 11. Atqui Evangelium & spes non sunt eo modo in Deo. 3. In nomine Spiritus Sancti jubemur baptizari, in nomine Evangelii & spei nuspiam jubemur baptizari. Ergo Evangelium & spes Sp. S. non sunt.

IV. Spiritus Sanct. suscitavit Jesum ex mortuis. *Rom.* 8. *v.* 11. Evangelium, spes vitæ æternæ obtinendæ, non suscitarunt Jesum ex mortuis. Ergo Spiritus Sanct. non sunt. Porro, per Spiritum Sanct. clamamus Abba Pater *Rom.* 8. *v.* 15. Spiritus Sanct. testatur cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei. Ista autem non præstant spes & Evangelium. Ergo Spiritus Sanct. non sunt. Adde his, quòd à Spiritu Sancto acti, loquuti sint Sancti Dei homines 2. *Pet.* 1. *v.* 21. quod de Evangelio & spe verificari nequaquam potest. Sancti enim Dei homines de Evangelio & spe vitæ æternæ obtinendæ loquuti sunt. Quæ autem hæc foret monstrosa propositio? Sancti Dei homines loquuti sunt de Evangelio & spe vitæ æternæ obtinendæ, acti ab Evangelio & spe vitæ æternæ obtinendæ.

V. Deinde; Paulus missus fuit ad prædicandum Evangelium. Atqui hoc, ad quod missus est ad prædicandum, revelavit illi Deus per Spiritum Sanctum. 1. *Cor.* 2. *v.* 10. Ergo Evangelium non est Spiritus Sanctus, nisi dicere velis absurdè, Apostolo revelatum fuisse Evangelium per Evangelium. Denique Scriptura distinguit inter Spiritum Sanctum & Evangelium *Act.* 2. 4. *Repleti sunt autem omnes Spiritu S., & cœperunt loqui aliis linguis*, (quid? magnalia Dei, Evangelium & spem vitæ æternæ in Christo & per Christum obtinendæ) *prout Spiritus illis dabat effari*, stante Sociniano commentario, sensus istius versus talis ait. Apostoli repleti sunt Evangelio & spe vitæ æternæ, & cæperunt loqui Evangelium & spem vitæ æternæ prout illis Evangelium & spes vitæ æterna dabat effari. Idem commentarius erit ex mente Sociniana instituendus super *Act.* 4. 31. ubi dicitur: *repleti sunt omnes Spiritu Sancto & loquuti sunt sermonem Dei cum liber-*

tate. Si ergo inter iſta eſt diſtinctio tanquam inter cauſam & effectum, eorum unum non erit alterum, Spiritus Sanct. non erit Evangelium, & ſpes vitæ æternæ. Omne enim contra diſtinctum includit negationem ſui contradiſtincti.

VI. Nihil autem obtinent Adverſarii, ex ea, quam inſtituunt ſcripturarum collatione *1. Cor. 2. 10.* ubi illud, quod Deus dicitur nobis revelaſſe *per Spiritum Sanctum* id revelaſſe dicatur *per Evangelium*. Quia unius effectus poſſunt eſſe plures cauſæ; nec tamen neceſſe eſt eas cauſas eaſdem eſſe inter ſe, cùm poſſint eſſe diverſi ordinis, una ſcilicet principalis, altera minus principalis, vel etiam ejuſdem ordinis partiales. Spiritus Sanctus, teſtatur de Chriſto, teſtantur quoque Apoſtoli *Ioh. 15. 26. 27.* an ergo Apoſtoli & Spiritus Sanct. unum idemque ſunt? Deus regenerat, verbum regenerat, an propterea Deus eſt verbum, & verbum Deus?

VII. Cæterùm, eam rationem nomenclationis quâ dicit Evangelium dici Spiritum, *quòd in eo contenta ab ipſo Deo ſint patefacta, nec ullo modo ingenio humano in dagari nec inveſtigari potuere,* audio; Verùm quâ ratione ſibi conſtet Smalcius, docens quæſt. hujus cap. 11. ad credendum Evangelio Sp. S. dono interiore opus non eſſe, non capio.

VIII. Monſtroſa & ridicula eſt concluſio iſtius diſcurſus. *Quo ſenſu cum accipitur vox Spiritus Sancti*, puta pro Evangelio, *tum omnibus datur, quibuscunque annunciatur Evangelium.* Talis enim hinc emergit propoſitio? Evangelium omnibus illis datur quibus datur Evangelium. Nugæ.

IX. *Deinde*, inquit, *ea vox Spiritus Sancti deſignat Dei donum quod certis hominibus datur.* Dona Spirit. S. quædam eſſe peculiaria, quæ non niſi quibuſdam hominibus, ſcilicet iis, qui ſunt filii adoptionis, certum eſt. Quia nimirum is Spiritus Chriſti eſt, ergo etiam non datur niſi iis, qui Chriſti ſunt. A Chriſto Capite non niſi ad membra Chriſti dona hæc diffluunt.

X. Tale autem donum eſt, firma & certa vitæ æternæ promiſſæ ſpes, quàm Spiritus Sanct. tanquam cauſa efficiens in cordibus fidelium efficit, qui per metonymiam effecti dicitur arrha hæreditatis, eò quòd Sp. Sanctus operetur in cordibus, hoc ipſum, quod homines de aliqua re certiorare ſolet, nimirum autor eſt illius ſpei & certitudinis de vita æterna obtinenda. Cum autem hanc ſpem vitæ æternæ certam N.Teſt. fidelium tantùm propriam tacitè ſupponit, principium petit.

Spi-

XI. Spiritum Sanctum etiam non esse eam spem liquet clarissimè ex *Rom. 8. 16. Testatur Spiritus Sanct. cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei.* Quo loco docetur, spem vitæ æternæ, ex testimonio Spiritus Sancti oriri. Unde, si ex testimonio Spiritus Sancti spes vitæ æternæ oritur, tum certè spes vitæ æternæ Spiritus Sanctus non sunt unum & idem. Consequentia certa, quia ista ut causa & effectum contradistinguuntur.

XII. Nec obest, quòd Spiritus Sanctus dicatur arrha hæreditatis nostræ, *2. Cor. 1. v. 22.* & quòd obsignemur Spiritu Sanct. Quia hinc minimè infertur: Ergo Spiritus S. est spes. Nam 1. non dicitur arrhabonem *Spiritum* sed *Spiritus.* 2. Dato, quòd Sp. S. sit arrhabo ipse, & non causa arrhabonis, nondum concluditur Spiritum Sanctum esse spem, non minus inquam, quàm si quis dicat, sigillum est spes, quia arrha datur ad firmandam spem, æquè ac sigillum. At verò quod firmandæ spei inservit, non ipsa est spes.

XIII. Etsi etiam Spiritu S. obsignemur, ex eo non sequitur, Ergo Spiritus Sanctus est spes. Nam spe non obsignamur, sed spes obsignatur, Obsignamur etiam sacramentis, & tamen sacramenta spes non sunt. Aliter equidem obsignamur Spiritu Sancto, aliter sacramentis, scilicet *illo* tanquam causa principali, *istis* instrumentaliter, attamen neutra harum causarum est ipsum effectum.

XIV. Ut Veteribus Christus promissus, Evangelium promulgatum, doctrina regenerationis, & vitæ æternæ patefacta, ut à superioribus liquet; ita quoque eos salutem Domini credidisse, expectasse, & de ea certos fuisse, persuasum habemus, exemplo Hiobi omniumque eorum de quibus disertè Apostolus *Heb. 11.* quòd per fidem *expetierint cœlestem urbem.*

Quæst. 9. *Nonne eam spem vitæ æternæ concipimus per ipsam Evangelii prædicationem?*

Resp. *Sanè concipimus aliquo modo. Etenim ex ipsâ prædicatione Evangelii ipsa spes vitæ æternæ acquiri potest, quæ in ea est promissa, (alioquin cur promitteretur?) verùm tamen ad inserendam animis nostris firmam & certam spem, cujus*

virtute in omnibus tentationibus invicti in fide subsistamus, videtur necessariò requiri, ut ea promissio exteriùs per Evangelium proposita, interiùs à Deo *in cordibus nostris obsignetur.*

I. Donum Spiritus Sancti, quo spei vitæ æternæ ex doctrina Evangelii perceptæ, majus indies accrescat robur, ut subsistendo sit in tentationibus, necessarium esse, non disputo cum Adversario. Res est extra controversiam; ut & hoc quod quæstione 10. docet: Non omnibus scilicet qnibus exterior prædicatio Evangelii obtingit, interiorem illam obsignationem conferri. Quia nimirum prædicatio Evangelii utrisque tum reprobis tum verè fidelibus offertur. Prædicatio Evangelii sagena est, quâ non tantùm boni sed & mali ac impuri pisces capiuntur. *Prædicamus*, inquit Apostolus, *Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, græcis verò stultitiam; ipsis autem vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Christum Dei potentiam ac sapientiam.* 1. Cor. 1. 23. 24.

II. Ratio, quam attexit ob quam scilicet interior obsignatio non omnibus obtingat, quibus externè prædicatur Evangelium, Pelagianismum sapit. Verùm est, eam spem vitæ æternæ per Spiritum Sanctum non obsignari, nisi Evangelio annunciato credentibus. Sed aliquem suapte naturâ absque Spiritus Sancti opere Evangelio credere posse, hoc inquam Pelagianum est, idque eo magis quòd supponat, Deum istâ fide Evangelio adhibitâ, & usu Evangelii externo salutari, moveri ad hoc, ut internam Spiritus Sancti gratiam conferat.

III. Altera ratio, quam eadem quæst. promit est (*Etenim si illud donum Spiritus Sancti quod ad tempus duravit* (puta donum miraculorum) *non dabatur nisi credentibus Evangelio, multo magis id Spiritus Sancti donum, quod perpetuum est, aliis non dari statuendum est, nisi qui & Evangelio planè crediderint, & illud ex animo amplexi fuerint*) planè falsa est. Nam donum miraculorum non tantùm verè fidelibus concessum fuit, sed etiam hominibus profanis, quo speciem pietatis mentiti sunt, ut videre est de illis qui ultimo dicturi sunt. *Domine nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?* Matth. 7. versu. 22.

Quæst. 11. *Nonne ad credendum Evangelio Spiritus S. interiore dono opus est.*

Resp.

Resp. *Nullo modo. Nec enim in Scripturis Sacris legimus cuiquam id conferri donum, nisi credenti Evangelio.*

I. Hic scilicet ille est Pelagianismus prophanus & in Deum blasphemus, viros credendi Evangelio, non esse Spiritus Sancti effectum, sed opus virium humanarum, contra scripturam docentem, fidem esse donum Dei, & praxin Apostolicæ Ecclesiæ quæ augmentum fidei precibus à Deo sibi impetrandam censuit, qui quidem error infra cap. 10. de Libero Arbitrio perstringendus erit. Jam pergimus.

Quæst. 12. *Postquam exposuisti mihi, quodnam sit donum Spiritus S. velim etiam doceri an Spiritus S. sit persona Deitatis?*

Resp. *Spiritum Sanct. non esse Deitatis personam, hinc discere potes,* primùm, *quòd ea quæ Spiritui Sancto in scripturis attribuuntur, nulla prorsus ratione conveniant, ut sunt, quòd detur, quòd ex eo detur, idque aut secundùm mensuram, aut absque omni mensura, quòd effundatur ipse, & ex ipso effundatur, & quòd eo potentur homines, quòd augeatur, quòd induplo detur, in partes distribuatur, tollatur ipse, & ex ipsis tollatur, & similia in scripturis extant.* Deinde, *idem ex eo patet, quòd non sit extra Deum natura, sed in ipso Deo. Nisi enim natura Deo inesset, non potuisset Paulus Spiritum Dei cum Spiritu hominis qui homini inest naturâ conferre, idque eo loco* 1. Cor. 2. 11. *ubi ait:* Quis hominum novit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in homine; ita quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei. *Quoniam verò Spiritus Sanct. in Deo est nec tamen in*

Spiritu Sancto reciprocè dici potest esse Deum, hinc apparet Spiritum Sanct. non esse personam. Præterea, *cùm superius demonstratum sit, unam tantùm in Deitate esse personam & Spiritus Sanct. Dei virtus sit, ut verba Christi* Luc. 24. 49. *ad Apostolos indicant*: Vos verò manete in urbe Hierusasalem, donec induamini virtute ex alto, *efficitur Sp. S. non esse personam divinam.* Denique, *si Spiritus S. esset persona, essentiam quoque divinam eum habere oporteret; nam ea attribuuntur illi, quæ propria sunt essentiæ divinæ, at superius docuimus substantiam divinam unam esse numero, nec tribus personis esse posse communem. Quamobrem Spiritum S. non esse personam deitatis planum est.*

I. Spiritum Sanct. esse Deitatis personam, adeoque naturâ Deum, hinc discere potes. 1. Quia expressè vocatur Deus. *2. Sam. 23. v. 2.* collato cum versu 3. *Spiritus Jehova loquutus est in me, & sermo ejus per linguam meam; dixit Deus Israelis, mihi loquuta est rupes Israelis.* Esa. 6 8, 9. *Deinde audivi vocem Domini dicentis quem missurus sum? & quis iturus est nobis? cui dixi, En ego, mitte me. Tum dixit, i, ut dicas populo isti, audite indesinenter, at ne intelligatis, & videte indesinenter neque cognoscatis* Confer. cum his Act. 28. 25, 26. *Benè sanè loquutus est Spiritus Sanct. Patribus nostris, dicens: vadè ad populum istum, & dic audientes audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis* &c. Idem probatur ex Luc. 1. v. 68. *Benedictus Dominus Deus Israelis quòd inviserit & redemerit populum suum*, collato cum versu 70. *Prout loquutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum.* & cum 2. Pet. 1. 21. *Acti à Spiritu Sancto loquuti sunt Sancti Dei homines.*

II. Huc faciunt apprimè eximia illa loca Actor. 5. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* collato cum vs. 3. *cur implevit Sathanas cor tuum, ut mentireris in Spiritum Sanct.* Cujus loci vindicias à corruptelis Adversariorum vide supra Cap. De Essentia Dei. pag. 132, 133. & seqq. 1. Cor. 3. 16, 17. *An*

17. *An nescitis vos templum Dei esse & Spiritum Sanct. habitare in vobis. Si quis templum Dei violat.* Quam frivolè & contra hunc locum excipiant Adversarii vide locum modo citatum. Confer. 1. Cor. 6. ℣. 19. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti?* & cum 2. Cor. 6. v. 16. *Nam vos templum Dei viventis estis.*

III. *Secundò* ab attributis Sp. Sancti pro ejus Deitate argumentamur. Quia est *aeternus*, ut colligitur ex *Gen. 1. v. 2. Immensus* Psal 139. 7. *Omniscius Ioh. 16, 13. 1. Cor. 2. 10. Tertiò* ab operibus, 1. Quia est *Creator Gen. 1. 2. Iob. 26. 13.* & *33. 4. Psal. 36. 6.* 2. Quia est *Conservator* rerum creatarum *Gen. 1. 2.* quia in cordibus fidelium per universum orbem quaquâ versum dispersis habitat, *Rom. 8. v. 9. 11.* & quidem tanquam in templo *1. Cor. 3. v. 16.* quod est solius veri Dei proprium. *Levit. 26. 12. Denique in desinenter ambulabo inter vos* &c. Quia Ecclesiæ præest, eamque absolutâ potestate, non minus quàm Pater & Filius regit. *Esai. 48. 16. Act. 10. 19, 20. Petro verò cogitante de visione dixit ei Spiritus, ecce tres viri quærant te. Surgens itaque descende, & nihil addubitans proficiscere cum eis: nam EGO eos misi.* & 13. cap. v. 2. *Dixit Spiritus Sanct. separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi.* vers. 4. *Ipsi igitur emissi à Spiritu Sancto.* & c. 16. vers. 6. *Prohibiti à Spiritu Sancto loqui sermonem in Asia.* & Act. 20. 28. *Attendite ad vos ipsos & totum gregem, in quo vos Spiritus ille Sanct. constituit Episcopos.* 1. Cor. 12. 11. collato cum ℣. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10.

IV. *Quartò.* Quia, cùm solius Dei sit justificare, *Rom. 4. 5.* Sp. Sanctus nos justificare dicitur, *1. Cor. 6. 11.* estque author ac velut parens nostræ regenerationis, *Ioh. 3. v. 5, 6, 7. Tit. 3. 5.* Quia, cùm Deus omnis consolationis author sit: *Rom. 15. 5. 2. Cor, 1. 3.* Spiritus Sanct. consolatur corda fidelium, unde & *consolator* appellatur *Ioh. 14. 16. 26. & 15. 26. & 16. 17.* Quia, cùm fideles non nisi à Deo doceantur intrinsecè *Esai. 54. 13. Ioh. 6. 45.* Spiritus Sanct. dicitur docere, nempe intrinsecè. *Luc. 12. v. 12. Ioh. 14. 26. & 16. 13. 1. Ioh. 2. 27.*

V. Quia, cùm liberos nos facere sit Dei opus, Spiritus S. nos liberos facere dicitur *2. Cor. 3. 17.* Quia, cùm omnis sapientia & loquendi facultas sit à solo verò Deo, ab eoque proinde petenda *Exod. 4. 11. Iac. 1. 5. 17.* Spiritus Sanct. & sapientiam & loquendi facultatem conferre dicitur: *Mat. 10. 19, 20. Marc. 13. 11. Luc. 12. 14, 15. Ioh. 14. 26. Act. 2. 4. 1. Cor.*

Cor. 2. 13. & 12. 8. Atque adeò Spiritus S. author est miraculorum, (quæ facere solius Dei est:) *Math. 12. 28.* & extraordinariorum illorum donorum, linguarum, curationum &c. quæ olim in Ecclesia viguerunt *1. Cor. 12. v. 4. 9. 10.*

VI. Quia cùm verus Deus eductum ex Ægypto populum duxerit *Esai. 63. 12. 13.* idem opus Spiritui Sancto tribuitur *v. 14.* Quia cum populi Israelitici rebellio contra verùm & æternum Deum facta fuisse legatur; Populus Israeliticus dicitur rebellis factus fuisse in Spiritum Sanctum *Psal. 78. 40. Esai. 63. 18.* Quia cum præcipiatur ne Deum tentemus *Deut. 6. 16. Math. 4. 7.* Non tentandus etiam dicitur Spiritus Sanctus, *Act. 5. 9.* Quia cum solius Dei, verbum sit audiendum & in præceptis ipsius ambulandum *Ezech. 20, 19. Luc. 11. 28.* verba Spiritus Sancti audienda præcipiuntur *Apoc. 2. 7. 17. 29.* Quia verba illa quæ Prophetæ vero Deo tribuunt *Levit. 26. 12, 13. Psal. 95. 7, 8. Esa. 6. 7. 9.* Spiritui Sancto tribuuntur *Act. 28. 25, 26. 1. Cor. 3. 16. & 6. 19. 2. Cor. 6. v. 16. Heb. 3. v. 7. 8, 9,*

VII. Denique à cultu argumentamur pro Deitate Spiritus Sancti. Quia scilicet in nomen ejus æquè ac in nomen Patris, & Filii baptizamus *Math. 28. v. 19. Marc. 16. 15.* Quia in eum sicut in Patrem & Filium credendum est, ut patet ex symbolo Apostolico. Quia ut author bonorum spiritualium invocandus, sicut Pater & Filius *2. Cor. 13. v. 13.* item *Apoc. 1. 4.*

VIII. Rationes contrarias Adversarii examinemus. Dicit: *Spiritum Sanctum non esse in Deitate personam, hinc discere potes, quòd ea qua Spiritui Sancto in Scripturis attribuuntur, nullâ ratione prorsus conveniant.* Inverto: Spiritum Sanctum esse in Deitate personam hinc discere potes, quòd ea, quæ Spiritui Sancto in scriptura attribuuntur nullà prorsus ratione illi convenire possent, nisi persona esset. Applicentur ea quæ diximus, nimirum, quòd in casu recto dicatur Deus, quòd attributa non nisi soli Deo competentia illi tribuantur; quòd opera solius Dei ipsi adscribantur; quòd honoris & cultus divini species illi deferantur, & vide, an hæc in eum cadere ullo modo possent, nisi ille in Deitate persona esset.

IX. Sed quænam ea sint, quæ Spiritui Sancto in scriptura tribuuntur, illi autem ut personæ nequaquam competant, pleniori mentis indagini subjiciamus. *Quòd detur, quòd ex eo detur, idque aut secundùm mensuram, aut absque men-*

omni mensura, quòd effundatur ipse, & ex ipso effundatur, & quòd eo potentur homines, quòd augeatur, in duplo detur, in partes distribuatur, tollatur ipse, & ex ipso tollatur, quòd interdum sit, interdum non sit; denique, quòd extinguatur, & similia in scripturis extant.

X. Negare non possumus prædicari de Spiritu Sancto quòd detur *Act. 5. 32. Spiritus ille Sanctus, quem dedit Deus iis, qui dicto sunt audientes ipsi.* quod ex vel de eo detur, *quod de Spiritu suo dedit nobis* 1. Joh. 4. 13. quod detur aut secundùm mensuram aut absque omni mensura *Eph. 4. 7. Data est unicuique gratia pro mensura donorum Christi.* Joh. 3. 34. *Non enim Deus huic admetitur Spiritum*; quòd effundatur. *Act. 2. 33. Effundit, hoc quod vos nunc cernitis & auditis*: & quòd ex ipso effundatur, ibid. *vers. 7. Effundam ex Spiritu meo in quamvis carnem.* Et quòd eo potentur homines, 1. *Cor. 12. v. 13. Et omnes potati sumus in unum Spiritum.* Eph. 5. 18. *Implemini Spiritu.* Quòd in duplo detur 2. Reg. 2, 9. *Sit portio dupla de tuo Spiritu penès me.* Quòd interdum sit & non sit Joh. 7. 39. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus.* quòd extinguatur. 1. Thess. 5. 19. *Ne extinguatis Spiritum.*

XI. Verùm quis non videt præter rem & scopum ista cumulari? Nos distinguimus. Voce Spiritus Sancti vel propriè persona Spiritus Sancti denotatur, vel metonymicè effecta Spiritus Sancti seu dona ejus. Posterioris significati sunt omnia loca allegata. Ergo ignorantiam Elenchi committit Adversarius. Ea sanè dona & effecta, non sunt illa tertia Deitatis persona: nec quisquam nostratium ita insanivit, ut dona vel effecta Spiritus Sancti ipsam Spiritus Sancti personam esse crederet. Argumenta à nominibus Dei ab attributis, à cultu religioso eam sufficienter probant.

XII. At verò me petitionem principii committere dicet Adversarius, qui inter Spiritum S. ut causam & effectum distinguo, atque ista de Spiritu Sancto ut causa prædicari statuo. Ego autem ex Adversariorum propria confessione ostendam, ita distinguendum esse. Quia hâc eadem quæst. docet Smalcius Spiritum Sanct. esse in Deo, esse essentaliter, ita scilicet quemadmodum Spiritus hominis est in homine. Quo posito, non adhibitâ nostra distinctione, quomodo Spiritus Sanct. extra Deum dari poterit? quomodo effundi, in duplum dari? Essentiam Dei mutabilem variabilem, cui aliquid decedat hinc statui, quis non videt? Item: An is Spiritus qui in Deo est dividi

per partes potest? Deus ergo divisibilis. An secundum mensuram datur? Ergo in Deo non est totaliter; an sine omni mensura? ergo nullo modo in Deo erit. An extinguetur iste qui est in Deo essentialiter Spiritus? Ergo nec in Deo nec in hominibus erit. Quæ omnia cum sint inexplicabilia sine nostra distinctione, apparet nos rectè inter Spiritum Sanct. tanquam causam & effectum, & dona ejus distinxisse.

XIII. Cæterùm, novimus quò collimet Adversarius cùm dicit. *Personæ non convenire ut detur.* Falsum id est Socinianismi principium. Deus Socinianis persona est, & tamen Deus se ipsum dedit nobis fœderali dispositione: ero vobis in Deum. *Heb. 8. 10.* Hinc dicimus *Pater noster*, quâ ratione noster, nisi gratuitâ largitione? Et Christum personam esse Sociniani non inficiantur & tamen, dari eum, certum est. *Filius nobis datus est* Esa. 9. v. 6. *Dedit filium suum unigenitum* Joh. 3. 16. Ergo, eò quòd datur Sp. S. personalitas ejus non infringitur; cùm & ipse se habeat, ut summus rerum arbiter atque dator. 1. Cor. 12. vers. 11.

XIV. Alterum Catecheseos argumentum quò Spiritum Sanct. non esse Deitatis personam probare satagit, est: *Quòd non sit extra Deum, sed in ipso Deo: & quidem ita, ut Deus non dicatur reciprocè esse in Spiritu Sancto.* Argumentum hoc aliàs ita formatur ab Adversariis. Persona non est in Persona. Spiritus Sanct. est in Patre. Ergo non est persona. At vero rò Majoris istius falsitas palpabilis est. Ecce enim enstasin. *Non credis me in Patre & Patrem in me esse?* dicit Christus Philippo Joh. 14. v. 10. *Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse.* ibid. vs. 11. Et *Marci 5. v. 10.* Legio diabolorum in una persona dicitur, cùm tamen diabolus etiam persona sit.

XV. Ais: Si detur unam personam esse in alia, probari porro debet, istam personam etiam esse in ista, quæ est in ista. Atqui Spiritus Sanctus quidem dicitur esse in Patre, sed non Pater in Spiritu Sancto. *Resp.* Non tantùm ea quæ per expressum scripta sunt, sed etiam quæ ex scripturis inmotâ consequentia eliciuntur, scripturæ dogmata esse. At verò ex scriptura probatum est Spiritum Sanct. ita esse in Deo, ut Deo consubstantialem, ut communem cum Deo habens essentiam. At verò quorum communis est essentia, ea mutuò in se existant oportet. Ergo cum trium personarum sit una communis essentia, ratione essentiæ tam Pater in Filio & Sp. S. quàm Filius in Patre & Spiritu

Sancto

Sancto, & Spiritus S. in Patre & Filio esse dicendus est.

XVI. Urget Catecheses: Spiritum Dei ita esse in Deo, quemadmodum Spiritus hominis est in homine *1. Cor. 2. v. 11.* Sed *Resp.* similitudinem illam Spiritus, qui in homine est ad id solùm accommodari posse, ad quod à Paulo accommodatur, nimirum ad scientiam, & ad inessentiam essentialem, non ultra. Sp. enim hominis cùm pars sit hominis, persona esse nequit. At verò Spiritus Dei qui in Deo est, pars Dei dici non potest, quia in Deo partes nullæ.

XVII. Eadem operâ hic respondetur ad illud Socinianorum argumentum. Spiritus alicujus non est persona, ab eo, cujus, est, distincta. At Spiritus Sanct. Ergo. Nimirum: Majorem non nisi in humanis valere. Spiritus enim hominis non est persona hominis. At in divinis res aliter habet; quia Spiritus Sanctus non tantùm Patris sed & Filii dicitur *Gal. 4. 6. Rom. 8. 9.* Ut verò in humanis ostendi non potest unum Spiritum esse duarum personarum, in divinis autem potest; ita etsi in humanis id, quod alicujus est, non possit esse persona ab eo cujus est distincta, in divinis tamen potest.

XVIII. Tertium Adversarii argumentum est. *Unam tantùm esse Deitatis personam*, quòd se superius demonstrasse gloriatur. Quartum: Si *Spiritus esset persona, essentiam quoque divinam haberet*, cujus contrarium se quoque superius docuisse jactat, *unam scilicet essentiam numero non posse tribus personis communem.* Quam verò lauream ex ea victoria reportarit Adversarius, Lector ibi videat. Quamobrem Spiritum Sanctum esse Deitatis personam planum est, contra quàm concludit Smalcius.

Quæst. 13. *Qui verò ii scripturæ loci accipiendi sunt, in quibus Spiritui Sancto actiones personarum propriæ & ad Deum ipsum spectantes attribuuntur?*

Resp. *Ad eum modum, quòd in scripturis rebus id attribuatur sæpè numero, quod personarum est, neque tamen res illæ propterea personæ censentur: ut peccato, quòd deceperit quod occiderit:* Rom. 7. 11. *& legi quòd loquatur* Rom.

 3. 19.

3. 19. *& scripturæ, quòd prospiciat, & prænunciet:* Gal. 3. 8. *& Charitati, quòd sit longanimis, benigna, non invideat, non sit morosa, non infletur, non agat indecorè, non quærat quæ ipsius sunt, non irritetur, non cogitet malum, non gaudeat super injustitia, congaudeat veritati, omnia ferat, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat.* 1. Cor. 13. 4, 5, 6, 7. *Deniq; Spiritui, id est, vento* Ioh. 3. 8. *quòd spiret ubi velit, & vocem ejus audias, verùm unde veniat & quò vadat ignores. Quoniam verò Spiritus Sanctus virtus Dei est, hinc fit, ut ea, quæ Dei sunt, Spiritui Sancto tribuantur, & sub nomine Spiritus Sancti sæpè Deus intelligatur, quatenus suam virtutem Deus per Spiritum Sanctum exerit.*

Quæst. 14. *Qui verò ais Spiritum Sanctum esse Dei virtutem, cùm distinctè nominentur Spiritus Sanctus & virtus altissimi in illis Angeli ad Mariam verbis* Luc. 1. 35.?

Resp. *Sæpius in scripturis una eademque res duabus diversis vocibus exprimi solet, ut tantò sit certior & evidentior: cujus rei exemplum habes* Math. 3. 11. Luc. 3. 16. *Ubi de Christo scribitur eum baptizaturum Spiritu Sancto & igne, quod tamen apud Marcum simpliciter scriptum extat, baptizaturum Spiritu Sancto.* Marc. 1. 8.

I. Inficias ire non possumus, quin scripturæ in frequenti more positum sit, operationes personarum, aliis quoq; rebus, quæ personæ non sunt, attribuere; Verùm id saltem fit figuratè, dum nimirum per prosopopæiam, quæ personarum sunt, accidentibus & rebus inanimatis assignantur. At hæc quæ de Spiritu Sancto dicuntur, hoc modo dici non possunt; neque integrum nobis est in

in Scripturæ Sacræ interpretatione à propria & genuina verborum significatione discedere, nisi aliquid sit, quod evidenter cogat ad sensum tropologicum discedere, qualem Adversarii operationibus Spiritus Sanct. assuere quidem cuperent, nunquam tamen firmiter possunt.

II. Spiritui Sancto igitur actiones ejusmodi non impropriè tribuuntur, sed verissimè & realiter. Hinc Spiritui Sancto definitio quoque personæ competit per omnia, id quod peccato, legi, scripturæ, charitati, vento competit minimè. Nam peccato &c. non tribuitur, quòd sit quiddam subsistens, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatùm ab alio, sed nudum tantùm personæ accidens, videlicet decipere occidere. Ita rebus inanimatis interdum tribuuntur operationes, sed voluntatem atque beneplacitum post antegressam deliberationem expresse & propriè illis fuisse assignatam, nusquam legimus.

III. Similiter, quæ Charitati & aliis rebus impropriè adscribuntur, completam & perfectam personam constituere non possunt. Et scriptura uno eodemque semper modo loquitur de Spiritu Sancto tanquam de persona; talem igitur eundem esse, meritò colligitur. De aliis autem rebus quæ non sunt personæ scriptura neque semper neque uniformiter operationes personarum prædicat, sed sicubi figuratè illas introduxit, mox propriè rursus de illis loquitur, ut inde facile cognosci queat, quid propriè dictum sit. Ita de Charitate, de peccato, quibusdam in locis satis propriè & perspicuè differit, & eas personas nullo modo esse ostendit, quod de Spiritu Sanct. nemo affirmare poterit; proinde certum & indubitatum manet Spiritum Sanct. esse Deitatis personam.

IV. Sed Spiritum Sanct. non esse Deitatis personam contendit, quòd dicatur *Virtus altissimi.* Quæro autem, quomodo dicatur *virtus altissimi*? an accidentaliter, an verò personaliter? Si illud accidens sit in Deo oportet; quia Spiritum Sanctum ita esse in Deo quemadmodum Spiritum in hominis in homine doctrina est Adversariorum. Cadit ergo summa Dei simplicitas, ut qui ex subjecto & accidente erit compositus. Cum autem Sp. S. non sit Dei virtus accidentalis, relinquitur, quòd sit substantialis, & consequenter Deitatis persona.

V. Addo ex hypothesi Adversariorum concedentium Spiritum Sanctum non esse creaturam. Sic enim ipse Socinus in refutatione

argumentorum Bellarmini & Wujeki cap. 10. p. 499. *Non autem quasi nos arbitremur, Spiritum S. esse creaturam, quem jam diximus, in potiore sensu acceptum, non modo virtutem esse quandam & efficaciam Dei, verùm etiam in ipso Deo naturaliter esse; in quo nihil creati esse potest.* Si ergo Spiritus, creatura non sit & tamen sit in Deo, dabitur in Deo aliquid, quod Deus non sit, & sic iterum actum est de simplicitate Dei. Habebit enim se vel per modum partis in Deo vel per modũ accidentis, utrumvis dicas, compositionem realem dicis, & simplicitatem Dei summam evertis.

VI. At inquis dicitur expresse Spiritus S. *virtus ex alto.* Luc. 24. v. 49. *Resp.* Spiritum Sanct. potentiam & virtutem Dei in sacris appellari non negamus; Interim ita appellatur virtus Dei, ut simul dicatur Dominus & Deus, quod de proprietate aliquâ Dei essentiali absolutè accepta in sacris nullibi legitur. Dicitur autem Spiritus Sanctus Dominus 1. Cor. 12. 4, 5, 6. *Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus; & distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Deus agens omnia in omnibus.* Quicunque autem Dominus & Deus appellatur, is non est proprietas duntaxat, essentiæ Dei sed persona subsistens: siquidem nullibi scriptum legimus, vel de bonitate vel de justitia Dei; quòd sit Dominus.

VII. Discursum argumentis includam; Dico: Spiritus Sanct. non est nuda virtus, sed virtus Dei personalis, veram personam & per se subsistentem habens. 1. Quia nuda Virtus propriâ personalitate destituta nuspiam dicitur Deus, Deus Israelis, Jehova. Atqui Spiritus Sanct. ut supra ostensum. Ergo. Nec est quòd Smalcius dicat: Posse Spiritum appellari Deum, eo loquendi modo, quo omnia quæ in Deo naturaliter, sunt Deus esse dici solent. Quia non quæritur quid juxtà hominum placitum Deus dici possit, sed quid ex scriptura & secundùm eam, Deus in casu recto, absque tropo vel figurâ rethoricâ dici debeat.

VIII. Nuda virtus in sacris literis non dicitur Consolator à Patre & Filio *alius*, quod Spiritus S. esse dicitur *Ioh. 14, 16. & 15, 26. & 16. 7.* Ergo Spir. S. non est nuda virtus. Regeris. At *virga & pedum Dei nos consolatur.* Psal. 23. *Resp.* ita est. Sed tamen ista non dicuntur *consolator*, & quidem à Patre & Filio *alius.* Urgent Adversarii vocem *alius* non denotare personam, sed *aliud quid*, quod Apostolis adfuturum loco Christi erat, quâ figuratâ loquutione eleganter res exprimitur. Inquiunt.

Hoc

Hoc modo loquendi posset Pater Filiis suis parum res suas curantibus discessurus dicere, fore, ut nisi res suas curent, alius magister veniat, paupertas scilicet, eos docturus, quomodo se gerere debeant. Quâ eadem figurâ etiam Masculinum, *alius* voci neutrius generis *πνεῦμα* adjungi posse omnino videtur.

IX. Sed Adversarii principium petunt, voce *alius* hîc non personam notari, sed *aliud* quicquàm figuratâ locutione. Dicitur id, sed nullo apice probatur. Per prosopopœiam paupertas tanquam alius Magister induci potest; sed ratio ejus ad præsentem locum applicandi nulla deprehenditur. In modo loquendi de paupertate figura est aperta, in loco Johannis ne vestigium quidem. Quia particulam *alius* hîc non rem aliquam figuratè, sed personam propriè denotare, ex ipsis verbis planum est. Nam ibi in uno continuo contextu, qui se divelli nullo modo patitur *alium* illum paracletum in eodem divino opere secum & cum Patre tanquam aliis duabus personis conjungit: & similiter prorsus loquitur de Spiritu Sancto ac de se & de Patre loquitur, eaque talia assignat quæ non nisi veræ personæ competunt. Vanè ergo excipit Smalcius in Refut. thesium Graveri pag. 16 quòd vox, *alius*, sit addita non ad denotandam aliam personam, sed *aliud quid*, quod Apostolis loco adfuturum fuerit loco Christi.

X. Porro, nuda Dei virtus non potest dici tertius in cœlo *μαρτυρῶν*, a Patre & Filio distinctus, quod de Spiritu Sancto dicitur *1. Ioh. 5. 7.* Si autem Spiritus Dei est tantùm Patris virtus, nequaquam triplex esse poterit illud testimonium, sed duplex tantùm Patris scilicet & Filii, cùm testimonium Spiritus Patris non futurum sit diversum, ab eo, quod est Patris. Pater non dicitur *μαρτυρεῖν* sed *μαρτυρῶν*. Et si virtus alicujus personalis potest esse peculiaris testis, ab ipsa persona testante realiter distinctus, tum quælibet persona foret testis geminus.

XI. Præterea, in nudæ virtutis nomen non baptizamur; in nudæ virtutis nomine non juramus: nec nudam virtutem cultu religioso adoramus. At in nomine Spiritus Sancti baptizamur; *Mat. 28.* in illius nomine religiosè juramus. *Rom. 9. 1.* idem Spiritus S. ab Angelis omnibusque piis religiosè adoratur. *Esai. 6. 3. 5, 6. 2. Cor. 13. 13.* Ergo Spiritus S. non est nuda Dei virtus, sed verè divina persona. Argumenta Adversariorum excussimus. *Scilicet*

Pri-

Persona non est naturaliter in persona. Principium petitur & personæ creatæ cum increatis confunduntur? illarum hæc est conditio, ut una in altera naturaliter esse nequeat: harum verò non, quia una numero est essentia infinita trium personarum, ideoque una in altera naturaliter esse potest.

XII. Spiritum Sanctum non esse ipsum Deum, propterea quòd sit Spiritus Dei, non sequitur: Nam sicut Christus est Filius Dei & tamen ipse Deus, ita etiam Spiritus Sanct. Dei Spiritus dici potest, & tamen ipse Deus. Alia verò est ratio cum Spiritus hominis dicitur esse & tamen non ipse homo; Comparatio namque non ulterius se extendit, quàm quatenus Spiritus hominis naturaliter non est extra hominem. Si quis ulterius urgeat hoc tertium, errat. Quòd autem datur vel secundum mensuram, vel absque mensura &c. Ista personæ Spiritus Sancti tribuuntur, per metalepsin causæ pro effectu, ratione donorum, quatenus scilicet ea Spiritus Sanctus in hominibus operatur.

XIII. Ex dictis liquet, perperam Adversarios torquere verba Angeli Luc. 1. 35. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te.* Nec perperam tantùm sed ineptissimè etiam. Nam si quæras ex iis, quid est Spiritus Sanctus? est virtus & potentia Dei, inquiunt. Jam ex hac responsione fiat dicti Angelici paraphrasis. Spiritus Sanctus, id est, virtus altissimi, est virtus altissimæ.

XIV. Non inviti equidem concedimus Spirit. S. esse vocari virtutem sed addimus hanc virtutem non esse qualitatem aliquam, sed substantialem quandam virtutem & quidem talem, quæ sit ipsissimus Deus. Nam Scriptura Sacra quæ *Luc. 1. 35. & 24. 49.* Spiritum Sanctum appellat δύναμιν ὑψίστου & δύναμιν ἐξ ὕψους, alibi vocat Deum operantem omnia in omnibus, & distribuentem singulis dona prout vult. *1. Cor. 12. v. 4, 5, 6, 11.*

XV. Quæ assertio adeo manifestæ est veritatis, ut Enjedinus, Socinianorum Coriphæus disertè dicat & doceat. Explicat. locorum Vet. & Novi Testamenti, pag. 288. 289. Spiritum Sanctum non accidentalem quandam, sed substantialem Dei virtutem esse, idque quia in Deo quicquid est substantia est. Quinimo addit, quòd quando Sociniani docent, quòd Spiritus Sanctus sit Dei virtus, hoc velint, quòd Deus sit illa virtus & potentia, & vicissim quòd potentia illa sit ipse Deus.

Quod

XVI. Quid ergo ad rem faciat hoc quod quæst. ultimâ dicit Adversarius, *sæpius in scriptura unam eandemque rem duabus diversis vocibus exprimi, ut tanto sit certior & evidentior* cujus axiomatis sui exempla promit ex *Math.3.11. Luc.3.16.* ubi de Christo scribitur eum baptizaturum *Spiritu & igne* equidem non video. Fiat argumentum, Ignis & Spiritus Sanctus sunt unum idemque. Ergo etiam virtus altissimi & Spiritus Sanctus. Quid si concedam! Ergo ne hinc sequitur Spiritus Sanctus non est persona Deitatis? Minimè. Contrarium ego ex ista hypothesi probo. Virtus altissimi est idem quod Spiritus Sanctus. Spiritus Sanctus est persona. Ergo virtus altissimi est persona. Si dicas per Spiritum intelligi virtutem altissimi, pergo quærere; quid intelligatur per virtutem altissimi? Spiritus Sanctus dicas oportet; qui Spiritus Sanctus & virtus altissimi sunt synonyma: & sic obtinebit illa absurdissima propositio supra elicita. Virtus altissimi est virtus altissimi.

CAPUT. VII.

De Confirmatione divinæ Voluntatis,

QVæst. 1. *Quemadmodum Iesus divinam voluntatem nobis patefecit declaratum est; ut confirmavit declarari amplius velim?*

Resp. *Quod ad ea attinet, quæ Christus ipse ad confirmandum divinam voluntatem quam patefecerit, fecit, ea tria occurrunt. Absoluta vitæ innocentia, miracula admodum magna & innumera & mors: quemadmodum ex illo testimonio Ioannis* 1. Joh.5. 8. *cernere est, in quo Ioannes ait:* Tres sunt qui testantur super terram, Spiritus, aqua, & sanguis. *Etenim sine dubio voce Spiritus Dei Spiritus designatur cujus*

virtute illa mirabilia facta constat, aquâ verò illius vitæ puritas, quemadmodum sanguine ipsius mors notatur.

I. Equidem sanctitatem vitæ, virtutem edendi miracula, mortem item Christi, sigilla quasi appensa fuisse doctrinæ Christi non diffitemur; sed si eo ipso præscriptum sit à Socinianis contra doctrinam salutis in Vet. Testam. reuelatam, neutiquam hanc assertionem sine virgula censoria ferimus. Quid enim? an Veteris Test. doctrina divina non fuit, eo quòd nemo fuerit, qui absolutè immunis esset à peccato, qui eâ vitâ sanctimonia emineret, ut nullius peccati reus peragi posset? an ideo religio Veteris Testamenti non divina, quòd à nemine tanta ac à Christo edita miracula, quid nemo Doctorum illius Ecclesiæ tam cruenta morte affectus?

II. Quanquam & doctrina salutis in Vet. Testam. habuerit eos, nec paucos, qui religionis veritatem conversationis pietate exornarent; qui miraculis stupendis se à Deo missos pobarent, qui mortem etiam cruentam religionis causâ oppetere non vererentur. Interea, nisi doctrina per se divina fuisset, externa eam vel docentium, vel profitentium pietatis species, nequaquam divinam asserere potuisset: nec miracula eam divinam evicissent, multo nimus violenta mors, quam sibi & Baalitæ accersebantur.

III. Eximium ergo, Sanctitas Christi, doctrinæ quam profitebatur erat decus atque ornamentum. Doctrina se ipsam insitis argumentis divinam probabat; hinc cum rarius in doctrinam ejus tanquam notham inveherentur frequentius invitam ejus, quantumvis in culpabilem, contumelias evomuerunt Judæi. Doctrina Christi per se divina fuit, talisque indicatur ex argumento, à vitæ autem Christi sanctimonia, ut dictum, ornamentum accepit, non argumentum.

IV. Frustra verò huc torquet Adversarius illud *1. Ioh. 5. vers. 8. Tres sunt qui testantur* &c. per Spiritum intelligens donum efficiendi miracuia, per aquam vitæ Christi puritatem, per sanguinem mortem. Allegoria ista jejuna nimis est. Ego dictum hoc cum Orthodoxis nostris sic interpretor. Tria opera præcipua Christi esse in terris, quæ de ejus divinitate & officio testantur. *Spiritus*, id est, copiosa Spiritus Sanctus effusio propria Novi Testamenti, *Ioel. 2. cap.* prædicta. *Aqua*, id

est,

est, regeneratio per veteres ablutiones significata. *Sanguis* Opus redemptionis sanguine partum. Hæc dant testimonium, quod Christus sit messias.

V. Majorem speciem veritatis habet noster in hæc verba commentarius. Agitur enim loco citato non de doctrina & Christi, & voluntate Dei per Christum revelata, sed de persona Christi. Cùm Sociniana glossa tota ad extenuandum officium Christi mediatorium conficta sit. Quia enim Christum tantùm Exemplarem salvatorem comminiscitur, ideo sanctitatem vitæ ejus eo tantum coarctat, ut nihil ex ea fructus redundasse censeat ad fideles, nisi quod ea doctrina ejus sit tanquam divina confirmata, & quod nobis pietatis exemplo, imitationis gratiâ præluxerit; non verò quòd sanctitas ejus nostræ cesserit justitiæ. Quia enim vitæ æternæ jus aliter acquiri non potuit nisi per τὸ *Hoc fac & vives*, nobis autem id impossibile erat, ideo Christus perfectâ suâ vitæ sanctimoniâ exactioni istius legis satisfecit, ut hâc ratione jus adeundi vitam æternam nobis conferret.

VI. Quidam Doctorum istis verbis Johannis per *Spiritum* intelligunt, *ministerium Spiritus* 2.Cor. 3. ℣. 8. Per *aquam*, aquam baptismi, per *sanguinem*, cænam Domini. Alii Spiritu, Spiritum adoptionis significari autumant, qui testatur *Rom. 8. Aquâ*, regenerationem, quâ certiorantur fideles de communione sui cum Deo. *Ioh. 3. Sanguine*, sanguinem fœderis Nov. Test. per quem accipiunt remissionem peccatorum. Alii prius testimonium v. 7. existimant esse de Christi divinitate, posterius v. 8. de Christi humanitate. Spiritus enim quem Deo Patri in manus commendavit, aqua & sanguis, quæ ex latere ejus transfosso fluebant, de veritate humanitatis ejus testimonium perhibebant.

Quæst. I. *Quæ verò fuit innocentia vitæ Domini Iesu, & quî per eam voluntas Dei confirmata fuit?*

Resp. *Innocentia vitæ ipsius tanta erat, ut non solùm peccatum nullum designaverit, nec dolus sit inventus in ore ipsius, nec peccati ullius convinci potuerit, verùm adeo sanctè vixit,* ut

nt nec ante eum, neque post eum, quisquam eum sanctitate æquarit, adeo ut ipsum Deum sanctimoniâ proximè accederet, Deoque hâc magnopere similis esset. Vnde efficitur doctrinam ab eo allatam fuisse verissimam.

I. Sanctitas & vitæ innocentia in Christo maxima fuit: interim tamen, nisi doctrina ejus per se divina fuisset & vera ratione objecti & naturæ, sanctitas Christi necessaria divinitatem illi largiri non potuit, quanquam dignitati doctrinæ haud parum accedat, si vita docentis, cum doctrina, quam tradit, sit conformis.

II. Error qui hic aliud quasi agendo instillatur, est, Christi sanctitatem & vitæ innocentiam argumentum tantùm fuisse divinitatis doctrinæ ejus, non verò nobis quippiam ad justificationem nostri profuisse. Dicimus ergò, ut Christus non sui gratiâ homo natus, sed nostri; ita etiam summam illam vitæ ejus sanctimoniam nobis penitus in bonum cessisse. Quia nempe non tantum ut vas noster, comminationi legis *Morieris* satisfacere debuit morte scilicet suâ, sed etiam præstandum erat illud *hoc fac & vives.* Ergo mortuus est Christus ne nobis æternum moriendum esset. Piè sanctè inculpatè vixit, ut legi, à nobis perfectam & absolutissimam obedientiam exigenti, nostro loco satisfaceret, atque sic justitia nostra fieret.

III. Si enim omnis doctrinæ Christi veritas à vitæ ejus sanctimonia pendeat. Veritas doctrinæ Veteris Testamenti nulla fuit, eò quòd nemo esset Patrum, qui dicere ausus fuisset. *Quis ex nobis convincet me de peccato.* Ioh. 8. cujus tanta fuerit vitæ innocentia & sanctimonia, ut nullus dolus in ore ipsius fierit, nec ullius peccati convinci potuerit.

Quæsti. 3. *Qualia verò miracula fuere & quomodo ea divinam voluntatum confirmant.*

Resp. *Tanta miracula fuere, qualia nemo ante ipsum patravit, & tot, ut Iohannes scribere non dubitarit, si sigillatim descripta fuissent, ne mundum quidem libros ipsos capturum fuisse. Ad*

eum

eum verò modum confirmatur iis Dei voluntas, quòd tantam virtutem patrandi miracula, quæ prorsus divina esse oportuit, Deus nunquam alii, nisi qui ab eo esset, collaturus fuisset.

I. Miracula Christi & magna & multa *futura* prædixit *Esai.* 35. 1, 2, 3. magna & multa *fuisse* testatur Novi Testamenti historia. Sed eò tantùm fuisse à Christo patrata, ut veritatem doctrinæ suæ demonstraret, nequaquam verum est. Unius rei possunt esse multi fines.

II. Et cùm Christum esse verum ejusdem essentiæ cum Patre Deum, haud infimum sit doctrinæ Christi caput, ex miraculis id ipsum caput doctrinæ confirmasse censendus est. Quæ quidem Orthodoxa est sententia Christum scilicet veram & æternam Deitatem magnitudine miraculorum suorum manifestam posuisse, ut eam negare non possit, nisi Spiritus Socinianus æternæ Deitatis Christi infensissimus hostis. Quia Deus solus miracula facit *Psal.* 72. *v.* 18. Quæ in contrarium objici possint, de miraculis Prophetarum, Apostolorum, ea vide refutata supra Cap. de Scripturæ certitudine. quæst. 16. th. 27.

Caput. VIII.

De Morte Christi.

QVæst. 1. *Qualis verò fuit mors ipsius, & quâ ratione voluntas Dei per eam confirmata est?*

Resp. *Ejusmodi, quam variæ afflictiones præcesserant, & quæ per se fuit atrocissima & ignominiosissima: adeo ut scriptura testetur, eum propterea fratribus fuisse in omnibus similem.* Heb. 2. 17.

I. Mortem Christi atrocissimam & ignominosissimam, post varias perpessas afflictiones fuisse, scriptura docet. Sed mortem talem atrocissimam per se esse divinitatis ejus notam nego. Humanitatis & infirmitatis ea nota est pati mori, non diffitente Smalcio lib. de divinit. Christi cap. 11.

Quæst. 2. *Quare scriptura testatur de Christo, eum fuisse sepultum, neque in sepulchro Deum ipsius fuisse oblitum?*

Resp. *Propterea ut appareat eum verè mortuum fuisse, nec tamen in morte relictum; atque ad eum modum credentes spem haberent etiamsi ab ipsa morte absorbeantur, non tamen se perituros.*

I. Causæ sepulturæ Christi sunt plures. Catecheses nostræ eas explicant. Sepeliri enim. 1. voluit & debuit Christus in testimonium veræ mortis, ut eum verè mortuum esse constaret. Non enim sepeliri solent vivi sed mortui. Quemadmodum igitur post resurrectionem se videndum & contrectandum præbuit, ut constaret de veritate corporis resuscitati, sic post mortem præbuit se palpandum & sepeliendum, ut constaret se verè esse factum cadaver.

II. 2. Ut postrema pars humiliationis accederet. Erat enim hæc quoque pars pœnæ, maledictionis & ignominiæ quam meriti eramus videlicet sepultura, secundùm dictum: *In pulverem reverteris. Gen. 3. 19.* Est quidem corpus mortuum sensuum expers; nihilominus ignominiosum fuit corpus ipsius in terram projici, non minus, quàm aliud cadaver. Sicut igitur resurrectio ex sepulchro est pars gloriæ: sic sepultura & demissio inter cadavera fuit pars humilitatis & ignominiarum, quas nostra causa sustinuit. Non enim detrectavit cadaver fieri propter nos.

III. Voluit 3. sepeliri, ut nobis sepulchrum horrori non sit, sed potius ut sepulchra nostra ipsius sepelitione sanctificarentur ne nobis sepulchra corruptionis loca, sed cubilia placidæ quietis essent. *Quartò* ut nos spiritualiter mortui quiescamus à peccatis. *Sepulti sumus una cum Christo per baptismum in mortem, ut sicut Christus à mortuis excitatus est, ad gloriam Patris ita & nos in novitate vitæ*

vitæ ambulemus. Rom. 6. 4. Col. 2. 12. Item ut veritas responderet typo Jonæ, & implerentur vaticinia de sepultura Messiæ: *Non derelinques animam meam in sepulchro* Psal. 16.

IV. Denique sepeliri Christus voluit, nec tamen in sepulchro relinqui, ut per resurrectionem potenter declararetur esse Filius Dei. *Rom. 1. 4.* nostramque spem de nostra resurrectione confirmaret, fore nimirum, ut ipsius exemplo mortui & sepulti, ipsius virtute, quâ se ipsum potenter suscitavit & à morte vindicavit, nos quoque suscitemur.

V. Non enim ferendam censemus heterodoxiam Socinianam, quâ docent, Christum non propriâ sed alienâ potentiâ & virtute suscitatum, contrarium quippe docet Christus ipse Joh. 2. 19. *Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud, loquebatur autem de templo corporis sui.* v. 21. & Joh. 10. *Auctoritatem habeo deponendi animam, & auctoritatem habeo rursum assumendi.* v. 18. Quod ipsum clarissimè evincitur ex Epist. ad *Rom. cap. 1. v. 4.* Ubi Christus dicitur, *declaratus Filius Dei potenter per resurrectionem.* Quomodo, an quòd se merè passivè habuerit in resurrectione sua, & quod vi alienâ, Patris scilicet, excitatus à mortuis? At verò sic omnes qui vel ante Christum suscitati, vel qui post eum suscitatum suscitabuntur potenter filii Dei declarabuntur: nec hîc speciale quid de Christo ab Apostolo prædicabitur. Quòd verò à Patre quandoque dicatur suscitatus, id non fit exclusivè ad Filium.

VI. Et quomodo spes nostræ resurrectionis firmaretur ex eo, quòd Christus suscitatus se ipsum suscitare tamen non potuerit? Sanè debile valde spei istius ex eo firmamentum: nec firmius ex Christi quàm ex cujusquam alterius suscitatione. Sed ex eo spes nostra robur ingens accipit, eum habere potestatem nos suscitandi, qui sui ipsius à morte suscitationis autor extitit.

Quæst. 3. *At cùr necesse erat Christum tot pati, & tam atrocem mortem subire?*

Resp. *Eò quòd ab ipso servandi iisdem afflictionibus & morte ejusmodi plerumque sunt obnoxii.*

Quæst. 4. *Atquæ causa erat, easdem afflictiones & mortem*

tem servatori Christo perferendi, quibus credentes sunt obnoxii.

Resp. *Duæ ejus extitere causæ; quemadmodum duplici ratione Christus etiam suos servat. Primum enim exemplo suo, ut in salutis via, quàm sunt ingressi persistant, suos movet:* De*inde iisdem in omni tentationum laborum & periculorum certamine adest, opitulatur & tandem ap ipsa æterna morte liberat. Verùm quâ ratione Christus suo ipsius exemplo credentes ad persistendum in illa singulari pietate & innocentia, sine qua servari nequeunt, movere potuisset, nisi atrocem mortem, quæ pietatem facile comitari solet, gustasset? aut quia curam suorum in tentationibus & periculis iisque ab omnibus malis liberandis tantam gerere potuisset, nisi quantopere graves & naturæ humanæ se intolerabiles essent, per ipse expertus esset. Atque hæc approbare videntur illa Petri Apostoli, 1. Pet. 2. 14.* Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, *& illa quæ Heb. 2. 18. habentur:* Christus in eo in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari, *Et inferius eadem Epist. c. 4. 15.* Potest nobiscum ferre infirmitates, tentatus per omnia in similitudinem.

·I Quærit Catechetes, cur Christus tot, tanta, tamque atrocia pati debuerit? respondet: eò quod servandi ab ipso iisdem afflictionibus & morti ejusmodi plerumque sunt obnoxii. Vera sunt ista eatenus, quatenus Christus est mediator noster exemplo. Hinc ipse salvator suos ad portandam post se crucem invitat, *Luc. 9. 23. Si quis vult me sequi, abdicet seipsum, & attollat crucem suam quotidie & sequa-*

quatur me. Sed quid? an Christus tantùm exemplaris est salvator? Nego. Non habuissent enim Veteres ullum salutis exemplar, secundùm quod tam sollicitè de salute exquisivissent, 1. *Pet.* 1. 10.

II. Deinde, *servandi à Christo, morti ejusmodi* (sc. qualis fuit Christi) *plerumq; sunt obnoxii.* Plerosque fidelium tali morti obnoxios esse nego. Multi sunt qui tempore persequutionis Ecclesiæ ob confessionem veritatis à Tyrannis trucidantur; sed qui trucidantur, non omnes crucifiguntur. Habet Ecclesia interdum halcyonea tempora sua, quibus, plerique servandorum altâ pace fruentes ex hac vita decedunt. His talibus ergo ex mente Smalciana nihil solatii ex afflictionibus & truculenta morte Christi. Quid enim? an is qui non patitur, qui non eo modo quo Christus affligitur, nihil morte Christi pro se & suo bono præstitum judicabit? Dicere fas erit tali: Christus tot, tanta, talia, passus est propter servandos, qui iisdem afflictionibus ac ejusmodi morti sunt obnoxii. Ego autem taliter non affligor, neque tali morte obeo. Ergo mors & passiones Christi nihil ad me. Et ita adversarius, gratiam Dei in morte & per mortem Christi oblatam, quam aliàs universalem omnibus & singulis clamitat, ad paucissimos, eos scilicet, qui similiter ac Christus patiuntur, affliguntur, moriuntur, restringit.

III. Passiones Christi eo quidem conducunt, ut ad exemplum ejus fideles, ubi pati contingit, ad patientiam se componant; nequaquam verò propterea reliqui fines mortis Christi excluduntur; *quia tumice & vibicibus ejus nobis fit sanatio.* Esai. 53. 5. Admittimus & alteram rationem ob quam Christus Smalcio tot & tanta dicitur passus, nimirum, ut fidelibus in omni tentationum, laborum, periculorum certamine adsit, opituletur & tandem ab ipsa morte liberet. Sed hoc argumento jugulum causæ Socinianæ petimus.

IV. Nam primò, si Christus ideo passus, & tam truculentâ morte mortuus, ut omnibus piis in omni tentationum, laborum periculo adsit, hinc veram ejus Deitatem evincimus; Quia qui omnibus piis per universum mundum loborantibus, periclitantibus tentationibus obnoxiis adesse debet, is immensæ & infinitæ essentiæ sit oportet; alioqui omnibus eodem tempore ubique locorum afflictis nequaquam præsens esse potest. Esse autem ubique præsentem attributum est solius veri Dei.

V Deinde. Qui omnibus ubique laborantibus, tentatis, periclitantibus non tantùm essentiâ sed

sed & auxilio præsens esse debet, is non tantùm omni præsens, sed & omnipotens sit oportet. Tum ratione multitudinis objectorum eodem tempore laborantium, opem implorantium & salutem expectantium, tum etiam ratione intensionis & qualitatis patientium. Pericula enim, labores, tentationes, non corporis tantùm affligunt pios, sed etiam anxietates dolores animi, & cruciatus quandoque inferni territant ipsos fideles, adeo ut illis cum doloribus inferni confligendum sit. Quibus malis omnibus simul & semel sanè mederi non potest nisi omnipotens Deus.

VI. *Tertiò.* Qui suos tandem ab ipsa morte liberat, id est, qui non tantùm corpora eorum in pulverem conversa potentiâ sua à corruptione perpetua vindicat (quod infinitæ potentiæ est argumentum, eò quòd à privatione totali non detur regressus ad habitum nisi per causam primam) sed & vitam æternam confert, is non est nudus Deus, nec Deus tantum factus, sed naturâ & essentiâ Deus. Quia Deus talem potentiam hæc efficiendi & dandi nemini unquam communicare potest, cui eo ipso essentiam suam non communicet.

Quæst. 5. *Nonne Deus facere poterat ne credentes afflictionibus & atroci morti forent obnoxii?*

Resp. *Poterat quidem, si rerum naturam mutare voluisset, verùm hæc* Deus *non facit nisi interdum, idque rarò admodum, atque in rebus quibusdam singularibus, & ad tempus; verùm non semper neque communiter; quemadmodum hîc prorsus opus fuisset, si credentes in Christum afflictionibus & morti exemptos voluisset.*

I. Primò ineptum est quærere, an Deus possit vel potuisset hoc vel illud, cùm de facto & voluntate Dei constet. Hanc Deus voluit esse viam salutis, ut per multas tribulationes ingrediamur in regnum cœlorum. Cur autem hanc viam hisce spinis conseverit, varias ejus Deus habuit rationes; ob explorationem nostri, non ut Deo, sed nobis ipsis specimen robotis nostri pateat; ut patientiam nostram

exerceat; ut nostram patientiam aliis in exemplar proponat; ut nos nobis & viribus nostris confidere dedoceat; ut nos totos à se dependere faciat; ut nos imagini filii sui conformes reddat, patiendo, quo tandem illi quoque in gloria conformemur, atque sic per angusta ad augusta euntes, angusta patientes augustis potiamur.

II. Quod ait, si Deus voluisset pios ab afflictionibus esse immunes, rerum naturam immutare debuisset, id minimè veritati & naturæ Dei est conforme; Qui enim omnia nutu suo gubernat, is ne naturam immutet oportet, si suos ab afflictionibus immunes esse vellet? Ad verbum Salvatoris nostri unicum idque suave retrocesserunt hostes ejus, *ego sum.* Quid? an naturæ rerum vim intulit eo ipso, pro eo tempore, dum verbo & nutu compesceret tumultuantes maris fluctus, an naturam immutasse censendus est? Nihil minus. Ergo nec Deus violentâ aliquâ rerum mutatione afflictiones à piis procul esse jubere posset; cùm absque nutu ejus nulla eorum vel capitis capillo ullius fidelis nocitura esset.

Quæst. 6. *Cur autem id prorsus necesse fuisset?*

Resp. *Idcirco, quòd credentes in Christum præditi sint singulari pietate & vitæ innocentiâ, & quòd non liceat eis de quoquam vindictam expetere, quorum alterum naturâ suâ efficit ut omnium malorum odio sint expositi, & ita graviter ab iis affligantur, ac etiam morti sicubi occasio & opportunitas invitarit, subjiciantur: alterum verò magis etiam malis est incitamento & facultatem suppeditat ista omnia ad finem perducendi.*

I. Verum est, omnia cum liceat, vix licet esse bonum; & ut veritas ita pietas odium parit. Nec tamen inde sequitur: ergo Deus rerum naturam immutare deberet si pios ab odio vindicare vellet. Quam facilis Deo fuit reconciliatio Esavi cum Jacobo, tam facilè si benevolentiâ prosequatur Jehova vias alicujus, inimicos ejus ei pacatos reddere posset. Et odium illud quod pietate suâ, sibi accersunt pii, non *per se*, & consequenter non necessariò, sed *per accidens* ex pietate oritur.

II. Illud verò manifestè falsum

est, non licere fidelibus de quoquam vindictam expetere. Licet enim generaliter vindictam expetere à Deo, ut ille sit vindex causæ suæ & nostræ, *Psal. 43. 1.* Licet etiam à Magistratu publicam expetere vindictam, quia non frustra gladium gerit. *Rom. cap. 13.*

Quæst. 7. *Qui verò sanguis aut mors Christi nobis voluntatem Dei confirmavit?*

Resp. *Duplici ratione: primùm, quòd nos manifestè de ingenti in nos Dei charitate certos reddiderit, idque adeo, quòd Deus nobis velit id donare quod in novo fœdere promittat: unde etiam sanguis novi fœderis est dictus, qui præstantiora loquatur, quàm sanguis Abel & ipse Christus testis verax & fidelis dictus est: Deinde quòd resurrectione Christi, quæ non nisi morte ipsius interveniente fieri potest, de resurrectione nostrâ, & porro vita æterna consequenda certiores facti simus, si præceptis Domini Iesu pareamus.*

I. Quia Sociniani cum Muhammedanis Christum pro magno tantùm Propheta habent, ut qui viam salutis antea penitus incognitam aperuerit, Doctrinamque cælestem attulerit, omnia in scripturis quæ de Christo agunt, torquent, facta sc. & scripta esse eo tantùm fine, ut divinitas dodoctrinæ ejus confirmaretur. Ostendimus jam innocentiam vitæ Christi fuisse equidem argumentum divinæ ejus doctrinæ, itemque miracula ejus eandem confirmasse; Sed Catechetes à nobis non obtinuit sanctitatem vitæ Christi itemque miracula ejus eo *tantùm* conducere, ut voluntas Dei iis confirmaretur.

II. Idem ergo dicimus de morte Christi, esse eam argumentum quo confirmatur doctrina salutis, sanguis quippe ejus est sanguis fæderis ejus, quod Deus nobiscum pepigit. Attamen ut mors Christi istis cancellis circumscribatur eaque tantùm voluntatem Dei fuisse confirmatam statuatur, exinanitionem & depreciationem mortis Christi blasphemam non ferimus.

Sed

Sed audiatur Catechetes id nobis suadens.

III. Dicit: *Primum quòd nos manifestè de ingenti in nos Dei charitate certos reddiderit.* Ita est, mors Christi insigne est & ineffabile argumentum amoris Dei erga fideles. Hinc salvator non sine admirationis nota SIC *Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum suum daret Ioh.* 3. exclamavit; quam eandem charitatem eodem argumento celebrat Apostolus, Rom. 5. 8. *Commendat Deus charitatem suam erga nos, eò quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Sed fiat argumentum: Quod nos de ingenti Dei charitate certos reddidit, illud est Voluntatis Dei confirmatio, illud est doctrinæ Christi planè divinæ argumentum. Ego inverto discursum: Quod nos de ingenti charitate Dei certos reddit, ejus finis principalis non est doctrinam Christi nobis probare ut divinam, sed aliud quid & majus intenditur. In quo enim charitas Dei consistit? Sanè magnum est argumentum amoris Dei doctrinam dare divinam; verùm majus est argumentum dare filium suum in mortem quàm dare doctrinam divinam. Et Christi doctrina divina fuit, proque tali agnita *Joh.* 3. 2. etiam antequam Christus morte afficeretur. Dico ergo quod dixi, docere mortem Christi eum tantùm habuisse finem, ut nos de voluntate Dei, hoc est, de divinitate doctrinæ Christi certos faceret, est exinanitio mortis Christi.

IV. Morte Christi id confirmatum est, *quod nobis velit id donare, quod in novo fœdere promittit.* Morte Christi non tantùm confirmatum esse, sed & partum atque acquisitum dico, quod Deus promisit in novo fœdere, vel rei fœderis Euangelici quod perperam Catechetes Socinianus ad tempora Novi Testamenti restringit; cùm mors Christi etiam Veteribus suam largita sit efficaciam; quippe quæ fuit mors agni ejus qui jam inde à jacto mundi fundamento mactatus est. *Apoc.* 13. 18.

V. Cur sanguis Christi, dictus sit *sanguis novi fœderis* vel novi pacti, *Heb.* 12. *v.* 24. itemque *Heb.* 13. 20. non est quod discamus ex Smalcio, cùm ipse salvator nomenclationis istius satis expressam sed à mente Smalcii planè alienam, reddiderit rationem: *Hoc est sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Mat. 26. 26.

VI. Quo sensu sanguis Christi præstantiora loquatur, quàm sanguis Abel, non obscurum est si historia *Genes.* 4. 10. conferatur, ubi de sanguine Abelis dicitur:

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, hoc est, vindictam postulat sanguinis fratris innocenter fusi. Adeo ut hoc loco Apostolus efficaciam sanguinis Christi amplificet comparatione cùm sanguine Abelis instituta. Ut quemadmodum Abelis sanguis objectivè clamat, Deumque provocat ad vindictam; ita sanguis Christi veniam peccatorum & pænarum in judicio Dei postulat.

VII. Est & Christus ipse *testis verax & fidelis dictus* Apoc. 1. 5. & 3. 14. quo elogio officium Christi Propheticum celebratur, quia scilicet testimonium, hoc est, Evangelium de redemptione generis humani clarius nobis, quam unquam antea revelatum fuerat, ex sinu Patris protulit, illudque testimonium tanquam *testis fidelis*, concionibus assiduis, stupendis miraculis asseruit, peccatores ad resipiscentiam mitissimè vocavit, induxit; morte suâ cruentâ testimonium hoc confirmavit, ministerioque instituto, Ecclesiæ de Doctoribus prospexit, qui perpetuis temporibus idem testimonium Christi promulgarent.

VIII. De testimonio Christi insignia sunt verba ipsius Christi *Ioh. 18. vers. 37.* Pilato confidenter dicentis: *Ego ad hoc genitus sum & ad hoc veni in mundum, ut dem testimonium veritati.* Apostolos quoque Dominus vocat testes suos: *sed & vos testabimini de me.* Joh. 15. 27. Etsi autem Christus dicatur *testis fidelis* eò quòd doctrinam suam etiam morte obsignarit, an propterea mortis Christi finis alius nullus erit? Unius rei possunt esse plures fines, subordinati, iiq; vel principales vel minus principales. Sic quoque de morte Christi judicandum est. Posito enim hoc mortis Christi fine, ut sc. morte suâ doctrinam cælestem confirmaret, non tollitur alter, ut morte mortem vinceret, ut animam poneret pro ovibus, ut sanguine suo redimeret Ecclesiam, ut remissionem peccatorum mereretur, ut justitiæ Dei satisfaceret.

IX. Deinde ait: Mors Christi nobis voluntatem Dei confirmat. *Quòd resurrectione Christi, quæ non nisi morte ejus interveniente fieri potuit, de resurrectione nostra & porro vita æterna consequenda certiores facti sumus.* Argumentum tale erit: cujus interventu certioramur de resurrectione nostra & vita æterna, id confirmat voluntatem Dei. Non repugno. Sed rursum istam mortis Christi depreciationem non fero, quâ mors Christi tantùm interveniens aliquod fit, sive causa sine qua non, per quam omnis efficacia morti Christi adimitur. Blasphemia hæc est scripturæ contraria. Scriptura alios fructus & effe-

effecta mortis Christi docet. Purgationem ab omni peccato *1. Joh. 1. 7.* remissionem peccatorum, *Mat. 26. 28.* portationem peccatorum nostrorum in corpore suo super lignum, ut vibicibus ejus sanaremur. *1. Pet. 2. 24.* Eximiora hæc sunt mortis Christi effecta, quàm ut mortem Christi tantùm aliquod interveniens esse concedamus, cui scilicet metonymicè adscribatur, quod proprium est resurrectionis Christi.

X. Morte Christi nobis voluntatem Dei confirmatam esse: *quòd resurrectione Christi, de resurrectione nostra & porro vita æterna consequenda certiores facti simus.* Morti convenire confirmationem voluntatis divinæ, hoc est doctrinæ Christi in antecedentibus concessimus. Sed præter eum effectum & finem alios quoque, & quidem principes ostendimus, & porro ostendemus. Tribui confirmationem voluntatis Dei morti Christi, quatenus scilicet illa fuit necessarium intercedens inter resurrectionem ejus falsum est, nec ullo scripturæ apice probatur.

XI. Assumimus hic eam quam nobis Smalcius suppeditavit regulam, pauciora nimirum explicari debere per plura. Admittimus. Atqui multò plura scripturæ loca loquuntur de efficacia mortis Christi, quàm resurrectionis. Absit autem ut virtuti resurrectionis quippiam detractum velim. Hoc tantùm ago, ut ostendam, non depreciandam esse virtutem mortis Christi infra effecta resurrectionis Christi, quasi verò omnia quæ de virtute mortis Christi prædicantur metonymicè intelligi debeant de resurrectione ejus. Cur non eodem modo & sensu statuit adversarius ea quæ de resurrectione prædicantur, metonymicè intelligenda esse de adscensione Christi in cælum, quæ non nisi resurrectionis ejus interventu fieri potuit. Item, cur ea quæ de adscensione in cælum prædicantur, non statuit metonymiâ antecedentis & consequentis intelligenda esse de missione Spiritus Sancti? quia hæc non nisi interventu adscensionis fieri potuit.

XII. Tribuendum ergo cum scriptura, morti, quod mortis; resurrectioni, quod resurrectionis; adscensioni in cælum, quod ejus est. Singula hæc peculiater influunt in ἀποτέλεσμα redemptionis nostræ suo modo. Morti expiatio offensarum, resurrectioni justificatio nostri, adscensioni verò cæli reseratio & loci nobis in cælo præparatio. *Rom. 4. ult. Joh. 14. 3.*

XIII. Sed fucum præterea facit Socinianus Doctor Catechumenis suis, docens: *resurrectione Christi, nos de resurrectioni nostra confir-*

confirmari. Veriffimum id eſt, ſed ex hypotheſi Sociniana minimè id ſequitur. Nam ſecundùm adverſarios, Chriſtus ſe merè paſſivè habuit ad ſui reſurrectionem, neque magis quicquam ad eam contribuit, quàm Lazarus ad ſuam: & tanquam heterodoxon impugnant, quod nos ex ſcriptura profitemur, Chriſtum nimirum reſtauraſſe templum corporis ſui quod Judæi diruerant. Dicant mihi Adverſarii ex hypotheſi ſuâ, quomodo reſurrectionis noſtræ certitudo fortius habeat firmamentum in reſurrectione Chriſti, quàm Lazari, vel alius cujuspiam à morte ſuſcitati? cùm uterque ſe eodem modo in reſuſcitatione ſcilicet paſſivè tantùm habuerit?

XIV. Fiat argumentum & apparebit robur. Qui à Deo ſuſcitatus eſt, ejus reſurrectione noſtra reſurrectio confirmatur. Lazarus à Deo ſuſcitatus eſt. Ergo Lazari reſurrectione noſtra reſurrectio confirmatur. Et ut tantò magis heterodoxia adverſariorum palpetur, ſic argumentor: Qui ſe æqualiter habuerunt in reſuſcitatione, eorum reſuſciatio eodem modo nos de reſurrectione noſtri certos facit. Lazarus & Chriſtus æqualiter ſe habuerunt in reſuſcitatione. Ergo utriuſque ſuſcitatio eodem modo nos de reſurrectione noſtra confirmat, Quis ferat blaſphemiam, eandem vim certiorationis tribuere reſurrectioni Lazari, quam Chriſti? Ægrè id à ſe ſtatui admittent Adverſarii, ſed admittere eos oportet ſtante ſuâ de Chriſti reſurrectione, in quâ ſe merè paſſive habuit, ſententia.

XV. Argumentemur autem ex orthodoxa ſententia de reſurrectione Chriſti; quæ eſt, quod Chriſtus ſe ipſum à morte vindicarit, & ſe potenter per reſurrectionem declararit eſſe filium Dei, qui poteſtatem habuit animam ponendi, id eſt moriendi, & reſumendi eam, id eſt ſeipſum reſuſcitandi, magis pro certitudine reſurrectionis noſtræ ſtringet argumentum hoc modo: Qui poteſtate ſuâ propriâ ſe ipſum à mortuis ſuſcitavit, is etiam habet poteſtatem corpora noſtra reſuſcitandi. Quis non videt melius & firmiùs procedere argumentum pro certitudine reſurrectionis noſtræ? Quod enim aliquis non habet, alteri dare non poteſt. Niſi enim Chriſtus ſeipſum poteſtatem excitandi habuiſſet, nullo jure illi major poteſtas nos ſuſcitandi adſcribi poſſet, quàm alii cuipiam potentiâ Dei ſuſcitato, cui ſcilicet Deus hanc poteſtatem largiri potuiſſet, alios quoque ex mortuis ſuſcitandi.

Pro-

XVI. Proinde: Quæ sententia majus addit robur certitudini resurrectionis nostræ, ea proculdubio orthodoxa est de resurrectione Christi sententia. Atqui ex sententia nostra majus robur accedit certitudini nostræ &c. Ergo nostra est potior & orthodoxa. Consequenter meræ sunt erroris Sociniani incrustationes & pigmenta, quibus nihil speciei multo minus rei subest.

Quæst. 8. *Expone eam rem fusiùs, quâ ratione resurrectione Christi, atque ad eum modum ipsius morte de resurrectione nostra & vita æterna confirmati simus?*

Resp. *Primùm morte & resurrectione Christi certi sumus facti, de nostra resurrectione ad eum modum, quòd in exemplo Christi propositum id nobis spectemus, eos qui obtemperent, è quovis mortis, quantumvis atrocis, genere liberari: Deinde, quòd jam prorsus nobis constet, Christum eam consequutum esse potestatem, quâ possit suis, id est, iis, qui ipsi parent vitam æternam donare. Etenim resurrectio Christi, mortem ejus subsequuta, ejusmodi erat, ut ex mortuis resuscitatus, potestatem omnem in cælo & in terra consequutus sit.*

I. Prodit se ipsum sorex, & quàm pestilens Socinianorum de resurrectione Christi sit opinio, hâc quæstione explicatur. Nimirum nihil ei inesse virtutis physicæ vivificantis, quæ à Christo tanquam Deo, tanquam capite nostro in nos influat, sed quæcunque illa est virtus mera & exemplaris est Socinianis. Quòd scilicet Deus, eos etiam, qui atroci genere mortis pereunt, suscitare possit. Sed an majoris est virtutis & potentiæ eos suscitare ultimo die, qui atroci mortis genere perierunt, quàm qui placidè obdormierunt! In utrisque dissolutio est animæ à corpore, & privatio habitus totalis, etsi tormina immanissima, quæ utramque hominis partem, quoad vixit excruciârint. Æqualis ergo potentia suscitandi in utrisque requiritur, non major in eo qui violentâ, quàm qui morte quietâ decessit. Aut saltem, si exemplariter tantùm

spes resurrectionis nostræ in resurrectione Christi erigitur, eorum spes maximè erigetur, quos immanis tyrannorum crudelitas, truculentam mortem subire coegit. Deinde, spes ista non tam in resurrectione Christi, quàm in potentia Dei fundamentum habebit.

II. Sed obviam it isti discursui Adversarius, dicens: *Quia jam prorsus nobis constet Christum eam consequutum potestatem, quâ possit suis, id est, iis, qui ipsi parent vitam æternam dare.* Non inficior, quin Christo data sit omnis potestas in cælo & in terra sed Christo nudo homini eam potestatem in cælo & in terra dari potuisse nego. Potestas enim ista infinita est, nec in finitam naturam cadere potest. Et in resuscitatione mortuorum, à privatione totali regressus est ad habitum, qui non datur per causam aliquam secundam & instrumentalem, sed primam, quæ est solus Deus. Adeoque, cum à Christo speremus resurrectionem & vitam æternam, verum eum Deum essentiâ, non factum ex gratia & donatione profiteamur oportet. Et si essentiâ Deus, qui non donata sibi potestate sed essentiali mortuos suscitat, ad quid ambages Christum non resuscitasse seipsum? item, in resurrectione ejus esse exemplar resurrectionis nudum?

III. Dico ergo, Christo non potuisse dari à Deo istam potestatem resuscitandi mortuos, nisi ejusdem essentiæ Deus esset, eò quod potestas ista infinita sit. Si autem Christo ea vis putetur à Deo concessa tanquam instrumento, per quod Deus ipse eam effecturus esset, pari ordine Christus statuitur cùm reliquis, quibus Deus tanquam instrumentis moralibus usus est tali casu, quod planè est profanum.

Quæst. 5. *Quâ ratione ea Christi potestas quam morte interveniente Christus consequutus est, nos magis de promissione Dei certos reddit, quàm si ea Christus careret?*

Resp. *Duplici ratione: Primùm, quòd jam videmus quoddam principium impletionis ipsius Dei promissionis, præsertim, quòd Deus promisit ipsum Christum nos à morte liberaturum, & daturum nobis vitam æternam; deinde quod similiter videamus implendæ promissionis divinæ nobis factæ potestatem esse in manu*

ejus,

ejus, quem non pudet nos fratres appellare, & qui afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, si ei parere velimus, gustavit, eoque potest nostri misereri & infirmitatum nostrarum sensu affici, uti ea de re superius disseruimus.

I. Omnia hîc insulsa, inepta, ipsis hypothesibus Adversariorum adversa. Dicit enim: *potestatem quam Christus morte consequutus est, nos magis de promissione Dei certos reddere, quàm si eâ Christus careret.* Quare? *Quia quoddam principium impletionis ipsius Dei promissionis jam videamus.* Quæ autem illa promissio? *Ipsum Christum nos à morte liberaturum.* Ubi autem ea promissio? Non in N. Test. quia illud est complementum promissionum, & in Christo omnes promissiones sunt Amen. *2. Cor. 1. v. 20.* Et si in Christo complementum habuerunt promissiones, ergo ante Christum factæ sint oportet, secundùm illud Apostoli. *Separatus ad prædicandum Evangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo* &c. *Rom. 1. v. 1, 2, 3.* Ergo sibi ipsi Adversarius commentario isto adversatur.

II. Quod de potestate in manu Christi ad implendas promissiones divinas infarcit Adversarius, ineptum planè est, si Christus naturâ Deus non statuatur. Est id quidem solatii nostri argumentum, haud exiguum, quòd Christum non pudeat nos fratres suos appellare, quòd afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, gustârit. Sed solatii istius fons exaresceret penitus, si tantum frater noster esset, si tantùm ex eo gratiæ salutem hauriremus, quòd Christus easdem afflictiones nobiscum gustaverit.

III. Fiat argumentum. Qui frater noster est, qui easdem nobiscum afflictiones gustavit, in manu ejus est potestas implendi promissiones divinas. Apostoli sunt fratres nostri, easdem nobiscum gustârunt afflictiones, quia poculum quod Christus bibit, bibere potuerunt, & eodem etiam baptismate baptizari, *Matt. 20. 22.* Ergo in manu Apostolorum est potestas implendi promissiones divinas. Vides, quàm egregiè procedat argumentum?

IV. Sic ergo dicimus. Qui ita est frater noster, ut simul sit Dominus & Deus noster, qui ita easdem gustavit afflictiones, ut easdem vel nutu solo repellere potuisset, in ejus manu est potestas implendi promissiones divinas.

nas. Atqui Christus &c. Ergo. Nisi enim Deus esset, miseriis nostris in specie & individuo compati non posset, quippe eas ignoraret. Cùm enim miseriæ in fidelium infinitæ sint numero, & præterea non corpus tantùm, sed animum vel præcipuè affligant, impossibile esset Christo eas cognoscere, nisi omniscius esset; omniscius autem esse non potest nisi Deus sit: nec etiam omnibus fidelium miseriis mederi posset, nisi omnipotens Deus esset.

Quæst. 10. *Hinc igitur perspicio, longè plus in resurrectionè quàm in Christi morte situm esse in nostræ salutis negotio?*

Resp. *Ita prorsus habet. Ad eum enim modum ea de re testantur sacræ literæ.* Si enim inimici Dei cum essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus. *Rom.* 5. *v.* 10. *& rursus.* Quis est qui condemnet, Christus est, qui mortuus est magis verò & excitatus, qui etiam est in dextra Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

I. Perspicimus quidem ex dictis, multum situm esse in resurrectione Christi; sed plus in ea situm esse quàm in morte Christi, necdum Adversarius nobis persuasit. Nec id ullis fidiculis ex allegatis scripturæ locis elicitur. Nam quod verba Pauli, Rom. 5. 10. *Si enim cum inimici Dei essemus reconciliati sumus per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius* attinet, crassam puto Adversarium committere elenchi ignorantiam, & proprio semetipsum jugulare gladio. Quid enim illud est, quod dicit Apostolus: *cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem.* Nonne hîc rotundis verbis morti Christi acceptum fertur, quod hactenus de ea sine fronte negavit Adversarius?

II. Non dicit *resurrectio* sed *vita*, scilicet quæ resurrectione iterum acquisita fuit, ut sensus sit: si tanta inerat morti Christi, rei per se infirmæ, virtus, ut nos Deo reconciliare posset, quid de vita ejus

ejus quæ mortem consequuta, statuendum. Non ergo hîc quippiam tribuitur resurrectioni in depreciationem mortis. Sed morti cum vita conjunctæ majus inesse robur salvandi asseritur quàm soli morti. Si enim moriens & voluit & potuit servare inimicos, quanto magis vivens & regnans vult & potest servare reconciliatos.

III. Deinde, sunt ex Theologis, qui hîc per vitam intelligunt vitam Christi sanctam; hoc est, perfectam legis obedientiam, cui in opere salutis tribuitur quod ipsi debetur. Sicut enim morti Christi scriptura defert satisfactionem pro peccatis nostris; ita vitæ Christi sanctæ acquisitionem juris vitæ æternæ. Non enim pudet nos hîc iis accedere Theologis, qui statuunt, duo debuisse Christum ut sponsorem nostrum præstare. *Primò* satisfacere comminationi legis *morte morieris*, secundò postulato legis *hoc fac & vives*. Et ad duo obligabatur ad pœnam, & ad obedientiam. Priori obligationis parti respondet mors, quam quidam obedientiam seu justitiam Christi passivam, sed perperam vocant. Posteriori verò vita Christi sancta, obedientia ejus s. justitia activa, quam Christus non tantum bonò nostro, sed & loco nostro præstitit, adeo ut eam vitæ Christi sanctimoniam nobis ad justitiam imputari, nosque eâ coram Deo justos reputari certum sit, ac si eam justitiam ipsi præstitissemus. Non secus scilicet ac inobedientiâ injusti & peccatores sumus coram Deo; ita etiam obedientiâ & justitiâ Christi justi sumus coram Deo.

IV. Hoc supposito, palpare licet, planè præter scopum allegatum esse istum Apostoli locum. Quæ enim consequentia? Per vitam Christi sanctam reconciliati servamur; Ergo plus situm est in resurrectione quàm in morte Christi. Quid quod morti his verbis expresse tribuatur acquisitio reconconciliationis, *reconciliati sumus per mortem*, reconciliati scilicet per mortem servabimur. Ergo vitâ Christi servamur in ea reconciliatione, quæ morte jam parta fuit.

V. Sunt ergo ista ita contesserata, ut mors Christi præcedere vita iterum subsequi debuerit, quâ posteriore vita, quæ mortem consequuta est, id quod vitâ eâ, quæ mortem antecessit, itemque morte ipsâ partum est, virtute vivi & regnantis Christi conservaretur, ne ullis hostium insultibus nobis eripiatur.

VI. Multo minus ad rem faciunt Socinianam verba Pauli ad Rom. 8. 34. *Quis est qui condemnet?*

Christus est qui mortuus est. Benè habet. Ergo morte Christi id jam acquisitum fuit electis, ut in statu indamnabilitatis per eam constituerentur. Sed ais: sequentia docent, plus situm *esse in resurrectione quàm in morte.* Quænam? *magis verò & excitatus.* Minimè gentium? Si is est sensus: Plus situm esse in resurrectione quàm in morte Christi, quia dicit: *magis verò qui & excitatus est*, inferam ego, magis situm esse in sessione Christi ad dexteram Dei; itemque plus situm esse in interpellatione Christi pro nobis, quàm in sessione ejus ad dexteram Dei, quia palpabilis est ista Apostoli gradatio, neminem scilicet posse condemnare electos, eò quòd Christus mortuus: nec tantum moruus, sed & resuscitatus: nec tantùm resuscitatus, sed & ad dexteram Dei collocatus: nec hoc tantùm, sed & ibidem pro nobis interpellans; influunt enim ista omnia suo modo in apotelesma salutis nostræ. Morte peccata expiata, resurrectione justitia parta, sessione ad dexteram Dei Spiritus Sanct. effusus, intercessione meritum efficaciter applicatum.

Quæst. 11. *Cur verò ita crebro omnia hæc morti Christi adscribit scriptura?*

Resp. *Propterea, quòd mors via ad resurrectionem & exaltationem Christi fuerit, adeo ut sine ea secundùm Dei decretum, pervenire ad illa non potuerit:* Deinde, *quòd ex omnibus, quæ Deus & Christus nostræ salutis causa fecerunt, mors Christi potissimum nobis Dei & Christi charitatem ostendat & ante oculos ponat.*

I. Quàm speciosa hæc sint commenta ex iis quæ hactenus dicta sunt, apparet; clarius verò ex dicendis porro apparebit. Perinde scilicet est, ac si dicas: diluculo rectè tribuuntur omnia effecta ipsius solis in meridie lucentis, calefacientis, exsiccantis, arefacientis, eò quòd diluculum necessarium sit antecedens ipsius meridiei: & quia sol, sub ipsum meridiem talia efficere non potuisset, ni diluculum, aurora præcessissent; sine istis enim præviis ad illam sublimitatem sol elevari non potuit. Risu & explosione dig-

dignus, qui ita in naturalibus nugaretur. Commiseratione verò dignus in Theologia qui inscius ita hallucinatur, increpatione & anathemate, qui malitiosè tam violentas instituit scripturarum torturas. Et miror stuporem hominum, eos quidvis in cerebro suo natum obtrudere non vereri in tanta scripturarum luce, non allegato hâc fini unico scripturæ apice.

II. Verùm est, non potuisse Christum resurgere exaltari, nisi secundùm decretum Dei mors Christi præcessisset. Sed quia Deus voluit mortem esse antecedens resurrectionis, nihil ne, vel saltem minus erit tribuendum morti quàm resurrectioni? Nec tantùm secundùm decretum Dei mors Christi antecedere debuit ejus resurrectionem, sed & secundùm nostri exigentiam. Quia si nobis morte pendendum fuisset pro peccatis, succubuissemus, nec unquam è morte fuissemus eluctati. Christus ergo mori debuit etiam ex necessitate ratione nostri, qui morte suâ mortem nobis superaret.

III. Mens ergo Adversariorum est, mortem Christi non fuisse necessariam ratione alicujus causalitatis, sed tantùm ratione antecedentis necessarii quoad resurrectionem & reliquos exaltationis gradus, & causa aliqua sine qua non. Sed quæ est ista Theologia? Antecedenti ut causæ perpetuâ metonymiâ tribuere ea, quæ sunt propria effecta consequentis. Quæ scriptura tropicè proponit, ea quandoque etiam propriis phrasibus exprimit. Quoad verò talem modum loquendi Adversarii non ostenderint, quo mors Christi tantùm statuatur necessarium antecedens resurrectionis, nequaquam illis suffragamur, sed eam in morte Christi causalitatem, quam scriptura vel millies de ea prædicat, credimus.

IV. Porrò ait, morti Christi talia tribui effecta, *eò quòd mors Christi potissimum nobis Dei & Christi charitatem commendet.* Accipio quod dat Adversarius, & sic arguo: Ex qua sententia de morte Christi major charitatis Dei & Christi laus refulget, ea proculdubio est verior. Atqui ex sententia nostra major charitatis Dei & Christi &c. Ergo est verior. Majorem non negabit adversarius nec poterit. Minor est in confesso. Nam profectò majoris momenti ea est charitas Dei, quâ filium suum in mortem *pro nobis*, & *loco nostro* dedit, quàm ea, quâ Deus tantùm exemplo nostro filium suum in mortem tradidisse censetur, vel ut doctrinam suam cælestem morte suâ confirmaret. Major sanè est ea Charitas Christi,

quâ

quâ creditur tradidiſſe animam, pro ovibus, quàm ſi Chriſtus tantùm viam ſalutis oſtendiſſe morte ſuâ ſtatuatur. Videant ergo Sociniani, qui ſe præcones charitatis Dei conſtituere volunt, quantoperè charitati Dei & Chriſti detrahant. Qui diligit merito & efficaciâ, plus diligit quàm qui exemplo. Ergo qui mortis Chriſti prædicat meritum & efficaciam majori encomio charitatem Dei & Chriſti in ea oſtenſum deprædicat, quàm qui exemplar nobis eâ exhibitum contendit. Sed jam nobis ad arcem rei veniendum erit.

Quæſt. 12. *Nonne eſt etiam aliqua alia mortis Chriſti cauſa?*

Reſp. *Nulla prorſus. Etſi nunc vulgo Chriſtiani ſentiunt; Chriſtum morte ſuâ nobis ſalutem meruiſſe & pro peccatis noſtris plenariè ſatisfeciſſe, quæ ſententia fallax eſt erronea & admodum pernicioſa.*

I. Gravia ſunt quæ hîc Chriſtianis impinguntur, fallacem, erroneam & pernicioſam admodum eos fovere de morte Chriſti ſententiam. Sed ter fallax, ter erroneus, ter pernicioſus eſt Smalcius talia ſcribens. Eccleſiæ Chriſtianæ Orthodoxæ hîc nihil credunt, niſi quod eas credere voluit & docuit ipſe ſummus Eccleſiæ doctor & Propheta Chriſtus, qui fines mortis ſuæ exponens, nuſpiam eos quos fingit Smalcius tradit, ſed longè alios, dicens, Matt. 20. 28. *ut det animam ſuam in redemptionis pretium pro multis*, quod Johannes interpretatur, *propitiationem pro peccatis, Ioh. 2. 2. & 4. 10.* Ergo eorum Chriſtianorum qui hunc finem mortis Chriſti credunt, docent, doctrina non eſt erronea, fallax, pernicioſa, ſed ſana, ipſi effato Chriſti & fidi ejus interpretis conformis. Errat ergo, nec tantum, ſed & blaſphemat Smalcius dicens, nullum prorſus alium finem mortis Chriſti eſſe præter eum quem ipſe tradidit.

II. Audi enim fines mortis Chriſti quos adfert Spiritus Sanctus varios. 1. Ut pœnam noſtris peccatis debitam ſuſtinens divinæ pro nobis ſatisfaceret juſtitiæ & ſic peccata noſtra expiaret atque aboleret. Rom. 4. 25. *Traditus morti propter offenſas noſtras*, 1. Cor. 15. 13. *Chriſtum videlicet mortuum eſſe pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas.* Gal. 1. 4. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* Eph. 5. 2. *Et ambulate in charitate, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*, Heb. 9. 29. *Ad peccatum*

catum per immolationem sui ipsius è medio tollendum. Heb. 10. 12. *Hic verò una pro peccatis in perpetuum oblatâ victimâ*, 1. Pet. 2. 24. *Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore super lignum illud*, 1. Joh. 2. ℣. 2. *Qui factus est propitiatio pro peccatis nostris.* Peccata enim nostra ei imputata fuerunt, Esa. 53. 6. 2. Cor. 5. vers. 21. *Deus fecit eum qui non novit peccatum ut pro nobis peccatum esset.* Unde etiam dicitur quòd dolores nostros bajulaverit, *Esai. 53. 4.* & iniquitates, *vers. 11, 12.* 2. Alter finis mortis Christi est, ut testamentum gratiæ ratum faceret, *Heb. 9. 15, 16, 17.* 3. Ut nos ad Deum adduceret, semel pro peccatis passus, justus pro injustis, *1. Pet. 3. 18.* 5. Ut nos justificaret coram Deo ut colligitur, *Gal. 2. 21.* atque adeo ut nobis acquireret remissio- peccatorum, *Math. 20. 28.* & redimeret nos ab omni iniquitate, *Tit. 2. 14.* 5. Ut sanctificaret Ecclesiam, *Eph. 5. 25, 26, 27. Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & dedit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, ut sisteret eam sibi gloriosam* &c.

III. 6. Ut credentibus acquireret vitam æternam. *Prout autem Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet filium hominis, ut quisquis credat in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joh. 3. 14, 15. 7. Ut omnes filios Dei dispersos cogeret in unum, *Joh. 11. 52.* Cajaphas prophetavit, *fore ut Iesus pro gente moreretur: nec tantùm pro ea gente sed ut etiam Filios Dei dispersos congregaret in unum*, hoc est, electos ex gentibus ad Ecclesiæ communionem adduceret. 8. Ut ipse viventibus & mortuis dominetur. *Ad hoc enim Christus, & mortuus est & resurrexit, ut & mortuis viventibus dominetur. Rom. 14. 9.* 9. Ut implerentur omnes tum prophetiæ tum figuræ de hac morte. *Math. 26. 24. 54. 66. Luc. 22. 37. 24. 34. Marc. 14. 49. Joh. 19. 28. 36. Act. 3. 18. & 13. 27. 29. 10.*

IV. Si cum his finibus effecta mortis Christi in scriptura recensita conferantur, planè *fallax, erroneum, perniciosum* deprehendetur id quod dicit Smalcius, *Nullam prorsus aliam mortis Christi causam esse.* Effecta autem mortis Christi sunt abolitio juris peccati. *Rom. 6. 9, 10.* seu destructio peccati; *Heb. 9. 26.* Condemnatio mundi *Ioh. 12. 31.* Eversio potestatis Sathanæ *Ibid. 16. 11. Col. 2. v. 15. Heb. 2. 14, 15.* Unde nos dicimur Sathanam vincere per sanguinem Christi *Apoc. 12. v. 11.* Sublatio maledictionis legis quæ nobis incumbebat *Gal. 3. 13.* Abrogatio legalis cultus & ceremoniarum Mosaicarum. *Dan. 9. 27.* collato cum

confirmari. Verissimum id est, sed ex hypothesi Sociniana minimè id sequitur. Nam secundùm adversarios, Christus se merè passivè habuit ad sui resurrectionem, neque magis quicquam ad eam contribuit, quàm Lazarus ad suam: & tanquam heterodoxon impugnant, quod nos ex scriptura profitemur, Christum nimirum restaurasse templum corporis sui quod Judæi diruerant. Dicant mihi Adversarii ex hypothesi suâ, quomodo resurrectionis nostræ certitudo fortius habeat firmamentum in resurrectione Christi, quàm Lazari, vel alius cujuspiam à morte suscitati? cùm uterque se eodem modo in resuscitatione scilicet passivè tantùm habuerit?

XIV. Fiat argumentum & apparebit robur. Qui à Deo suscitatus est, ejus resurrectione nostra resurrectio confirmatur. Lazarus à Deo suscitatus est. Ergo Lazari resurrectione nostra resurrectio confirmatur. Et ut tantò magis heterodoxia adversariorum palpetur, sic argumentor: Qui se æqualiter habuerunt in resuscitatione, eorum resusciatio eodem modo nos de resurrectione nostri certos facit. Lazarus & Christus æqualiter se habuerunt in resuscitatione. Ergo utriusque suscitatio eodem modo nos de resurrectione nostra confirmat, Quis ferat blasphemiam, eandem vim certiorationis tribuere resurrectioni Lazari, quam Christi? Ægrè id à se statui admittent Adversarii, sed admittere eos oportet stante suâ de Christi resurrectione, in quâ se merè passive habuit, sententia.

XV. Argumentemur autem ex orthodoxa sententia de resurrectione Christi; quæ est, quod Christus se ipsum à morte vindicarit, & se potenter per resurrectionem declararit esse filium Dei, qui potestatem habuit animam ponendi, id est moriendi, & resumendi eam, id est seipsum resuscitandi, magis pro certitudine resurrectionis nostræ stringet argumentum hoc modo: Qui potestate suâ propriâ se ipsum à mortuis suscitavit, is etiam habet potestatem corpora nostra resuscitandi. Quis non videt melius & firmiùs procedere argumentum pro certitudine resurrectionis nostræ? Quod enim aliquis non habet, alteri dare non potest. Nisi enim Christus seipsum potestatem excitandi habuisset, nullo jure illi major potestas nos suscitandi adscribi posset, quàm alii cuipiam potentiâ Dei suscitato, cui scilicet Deus hanc potestatem largiri potuisset, alios quoque ex mortuis suscitandi.

Pro-

XVI. Proinde: Quæ sententia majus addit robur certitudini resurrectionis nostræ, ea proculdubio orthodoxa est de resurrectione Christi sententia. Atqui ex sententia nostra majus robur accedit certitudini nostræ &c. Ergo nostra est potior & orthodoxa. Consequenter meræ sunt erroris Sociniani incrustationes & pigmenta, quibus nihil speciei multo minus rei subest.

Quæst. 8. *Expone eam rem fusiùs, quâ ratione resurrectione Christi, atque ad eum modum ipsius morte de resurrectione nostra & vita æterna confirmati simus?*

Resp. *Primùm morte & resurrectione Christi certi sumus facti, de nostra resurrectione ad eum modum, quòd in exemplo Christi propositum id nobis spectemus, eos qui obtemperent, è quovis mortis, quantumvis atrocis, genere liberari: Deinde, quòd jam prorsus nobis constet, Christum eam consequutum esse potestatem, quâ possit suis, id est, iis, qui ipsi parent vitam æternam donare. Etenim resurrectio Christi, mortem ejus subsequuta, ejusmodi erat, ut ex mortuis resuscitatus, potestatem omnem in cælo & in terra consequutus sit.*

I. Prodit se ipsum sorex, & quàm pestilens Socinianorum de resurrectione Christi sit opinio, hâc quæstione explicatur. Nimirum nihil ei inesse virtutis physicæ vivificantis, quæ à Christo tanquam Deo, tanquam capite nostro in nos influat, sed quæcunque illa est virtus mera & exemplaris est Socinianis. Quòd scilicet Deus, eos etiam, qui atroci genere mortis pereunt, suscitare possit. Sed an majoris est virtutis & potentiæ eos suscitare ultimo die, qui atroci mortis genere perierunt, quàm qui placidè obdormierunt! In utrisque dissolutio est animæ à corpore, & privatio habitus totalis, etsi tormina immanissima, quæ utramque hominis partem, quoad vixit excruciàrint. Æqualis ergo potentia suscitandi in utrisque requiritur, non major in eo qui violentâ, quàm qui morte quietâ decessit. Aut saltem, si exemplariter tantùm

spes resurrectionis nostræ in resurrectione Christi erigitur, eorum spes maximè erigetur, quos immanis tyrannorum crudelitas, truculentam mortem subire coegit. Deinde, spes ista non tam in resurrectione Christi, quàm in potentia Dei fundamentum habebit.

II. Sed obviam it isti discursui Adversarius, dicens: *Quod jam prorsus nobis constet Christum eam consequutum potestatem, quâ possit suis, id est, iis, qui ipsi parent vitam æternam dare.* Non inficior, quin Christo data sit omnis potestas in cælo & in terra sed Christo nudo homini eam potestatem in cælo & in terra dari potuisse nego. Potestas enim ista infinita est, nec in finitam naturam cadere potest. Et in resuscitatione mortuorum, à privatione totali regressus est ad habitum, qui non datur per causam aliquam secundam & instrumentalem, sed primam, quæ est solus Deus. Adeoque, cum à Christo speremus resurrectionem & vitam æternam, verum eum Deum essentiâ, non factum ex gratia & donatione profiteamur oportet. Et si essentiâ Deus, qui non donata sibi potestate sed essentiali mortuos suscitat, ad quid ambages Christum non resuscitasse seipsum? item, in resurrectione ejus esse exemplar resurrectionis nudum?

III. Dico ergo, Christo non potuisse dari à Deo istam potestatem resuscitandi mortuos, nisi ejusdem essentiæ Deus esset, eò quod potestas ista infinita sit. Si autem Christo ea vis putetur à Deo concessa tanquam instrumento, per quod Deus ipse eam effecturus esset, pari ordine Christus statuitur cùm reliquis, quibus Deus tanquam instrumentis moralibus usus est tali casu, quod planè est profanum.

Quæst. 5. *Quâ ratione ea Christi potestas quam morte interveniente Christus consequutus est, nos magis de promissione Dei certos reddit, quàm si ea Christus careret?*

Resp. *Duplici ratione; Primùm, quòd jam videmur quoddam principium impletionis ipsius Dei promissionis, præsertim, quòd Deus promisit ipsum Christum nos à morte liberaturum, & daturum nobis vitam æternam; deinde quod similiter videamus implendæ promissionis divinæ nobis factæ potestatem esse in manu ejus,*

ejus, quem non pudet nos fratres appellare, & qui afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, si ei parere velimus, gustavit, eoque potest nostri misereri & infirmitatum nostrarum sensu affici, uti ea de re superius disseruimus.

I. Omnia hîc insulsa, inepta, ipsis hypothesibus Adversariorum adversa. Dicit enim: *potestatem quam Christus morte consequutus est, nos magis de promissione Dei certos reddere, quàm si eâ Christus careret.* Quare? *Quia quoddam principium impletionis ipsius Dei promissionis jam videamus.* Quæ autem illa promissio? *Ipsum Christum nos à morte liberaturum.* Ubi autem ea promissio? Non in N. Test. quia illud est complementum promissionum, & in Christo omnes promissiones sunt Amen. 2. *Cor.* 1. *v.* 20. Et si in Christo complementum habuerunt promissiones, ergo ante Christum factæ sint oportet, secundùm illud Apostoli. *Separatus ad prædicandum Evangelium Dei, quòd antea promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo* &c. *Rom.* 1. *v.* 1, 2, 3. Ergo sibi ipsi Adversarius commentario isto adversatur.

II. Quod de potestate in manu Christi ad implendas promissiones divinas infarcit Adversarius, ineptum planè est, si Christus naturâ Deus non statuatur. Est id quidem solatii nostri argumentum, haud exiguum, quòd Christum non pudeat nos fratres suos appellare, quòd afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, gustârit. Sed solatii istius fons exaresceret penitus, si tantum frater noster esset, si tantùm ex eo gratiæ salutem hauriremus, quòd Christus easdem afflictiones nobiscum gustaverit.

III. Fiat argumentum. Qui frater noster est, qui easdem nobiscum afflictiones gustavit, in manu ejus est potestas implendi promissiones divinas. Apostoli sunt fratres nostri, easdem nobiscum gustârunt afflictiones, quia poculum quod Christus bibit, bibere potuerunt, & eodem etiam baptismate baptizari, *Matt.* 20. 22. Ergo in manu Apostolorum est potestas implendi promissiones divinas. Vides, quàm egregiè procedat argumentum?

IV. Sic ergo dicimus. Qui ita est frater noster, ut simul sit Dominus & Deus noster, qui ita easdem gustavit afflictiones, ut easdem vel nutu solo repellere potuisset, in ejus manu est potestas implendi promissiones divinas.

nas. Atqui Christus &c. Ergo. Nisi enim Deus esset, miseriis nostris in specie & individuo compati non posset, quippe eas ignoraret. Cùm enim miseriæ in fidelium infinitæ sint numero, & præterea non corpus tantùm, sed animum vel præcipuè affligant, impossibile esset Christo eas cognoscere, nisi omniscius esset, omniscius autem esse non potest nisi Deus sit: nec etiam omnibus fidelium miseriis mederi posset, nisi omnipotens Deus esset.

Quæst. 10. *Hinc igitur perspicio, longè plus in resurrectionè quàm in Christi morte situm esse in nostra salutis negotio?*

Resp. *Ita prorsus habet. Ad eum enim modum ea de re testantur sacræ literæ.* Si enim inimici Dei cum essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus. *Rom.* 5. *v.* 10. *& rursus.* Quis est qui condemnet, Christus est, qui mortuus est magis verò & excitatus, qui etiam est in dextra Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

I. Perspicimus quidem ex dictis, multum situm esse in resurrectione Christi; sed plus in ea situm esse quàm in morte Christi, necdum Adversarius nobis persuasit. Nec id ullis fidiculis ex allegatis scripturæ locis elicitur. Nam quod verba Pauli, Rom. 5. 10. *Si enim cum inimici Dei essemus reconciliati sumus per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius* attinet, crassam puto Adversarium committere elenchi ignorantiam, & proprio semetipsum jugulare gladio. Quid enim illud est, quod dicit Apostolus: *cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem.* Nonne hîc rotundis verbis morti Christi acceptum fertur, quod hactenus de ea sine fronte negavit Adversarius?

II. Non dicit *resurrectio* sed *vita*, scilicet quæ resurrectione iterum acquisita fuit, ut sensus sit: si tanta inerat morti Christi, rei per se infirmæ, virtus, ut nos Deo reconciliare posset, quid de vita

ejus

ejus quæ mortem consequuta, statuendum. Non ergo hîc quippiam tribuitur resurrectioni in depreciationem mortis. Sed morti cum vita conjunctæ majus inesse robur salvandi asseritur quàm soli morti. Si enim moriens & voluit & potuit servare inimicos, quanto magis vivens & regnans vult & potest servare reconciliatos.

III. Deinde, sunt ex Theologis, qui hîc per vitam intelligunt vitam Christi sanctam; hoc est, perfectam legis obedientiam, cui in opere salutis tribuitur quod ipsi debetur. Sicut enim morti Christi scriptura defert satisfactionem pro peccatis nostris; ita vitæ Christi sanctæ acquisitionem juris vitæ æternæ. Non enim pudet nos hîc iis accedere Theologis, qui statuunt, duo debuisse Christum ut sponsorem nostrum præstare. *Primò* satisfacere comminationi legis *morte morieris*; secundò postulato legis *hoc fac & vives*. Et ad duo obligabatur ad pœnam, & ad obedientiam. Priori obligationis parti respondet mors, quam quidam obedientiam seu justitiam Christi passivam, sed perperam vocant. Posteriori verò vita Christi sancta, obedientia ejus s. justitia activa, quam Christus non tantum bonò nostro, sed & loco nostro præstitit, adeo ut eam vitæ Christi sanctimoniam nobis ad justitiam imputari, nosque eâ coram Deo justos reputari certum sit, ac si eam justitiam ipsi præstitissemus. Non secus scilicet ac inobedientiâ injusti & peccatores sumus coram Deo; ita etiam obedientiâ & justitiâ Christi justi sumus coram Deo.

IV. Hoc supposito, palpare licet, planè præter scopum allegatum esse istum Apostoli locum. Quæ enim consequentia? Per vitam Christi sanctam reconciliati servamur; Ergo plus situm est in resurrectione quàm in morte Christi. Quid quod morti his verbis expresse tribuatur acquisitio reconconciliationis, *reconciliati sumus per mortem*, reconciliati scilicet per mortem servabimur. Ergo vitâ Christi servamur in ea reconciliatione, quæ morte jam parta fuit.

V. Sunt ergo ista ita contesserata, ut mors Christi præcedere vita iterum subsequi debuerit, quâ posteriore vita, quæ mortem consequuta est, id quod vitâ eâ, quæ mortem antecessit, itemque morte ipsâ partum est, virtute vivi & regnantis Christi conservaretur, ne ullis hostium insultibus nobis eripiatur.

VI. Multo minus ad rem faciunt Socinianam verba Pauli ad Rom. 8. 34. *Quis est qui condemnet?*

Christus est qui mortuus est. Benè habet. Ergo morte Christi id jam acquisitum fuit electis, ut in statu indamnabilitatis per eam constituerentur. Sed ais: sequentia docent, plus situm *esse in resurrectione quàm in morte*. Quænam? *magis verò & excitatus*. Minimè gentium! Si is est sensus: Plus situm esse in resurrectione quàm in morte Christi, quia dicit: *magis verò qui & excitatus est*, inferam ego, magis situm esse in sessione Christi ad dexteram Dei; itemque plus situm esse in interpellatione Christi pro nobis, quàm in sessione ejus ad dexteram Dei, quia palpabilis est ista Apostoli gradatio, neminem scilicet posse condemnare electos, eò quòd Christus mortuus: nec tantum mortuus, sed & resuscitatus: nec tantùm resuscitatus, sed & ad dexteram Dei collocatus: nec hoc tantùm, sed & ibidem pro nobis interpellans; influunt enim ista omnia suo modo in apotelesma salutis nostræ. Morte peccata expiata, resurrectione justitia parta, sessione ad dexteram Dei Spiritus Sanct. effusus, intercessione meritum efficaciter applicatum.

Quæst. 11. *Cur verò ita crebro omnia hæc morti Christi adscribit scriptura?*

Resp. *Propterea, quòd mors via ad resurrectionem & exaltationem Christi fuerit, adeo ut sine ea secundùm Dei decretum, pervenire ad illa non potuerit: Deinde, quòd ex omnibus, quæ Deus & Christus nostræ salutis causa fecerunt, mors Christi potissimum nobis Dei & Christi charitatem ostendat & ante oculos ponat.*

I. Quàm speciosa hæc sint commenta ex iis quæ hactenus dicta sunt, apparet; clarius verò ex dicendis porro apparebit. Perinde scilicet est, ac si dicas: diluculo rectè tribuuntur omnia effecta ipsius solis in meridie lucentis, calefacientis, exsiccantis, arefacientis, eò quòd diluculum necessarium sit antecedens ipsius meridiei: & quia sol, sub ipsum meridiem talia efficere non potuisset, ni diluculum, aurora præcessissent; sine istis enim præviis ad illam sublimitatem sol elevari non potuit. Risu & explosione dig-

dignus, qui ita in naturalibus nugaretur. Commiseratione verò dignus in Theologia qui inscius ita hallucinatur, increpatione & anathemate, qui malitiosè tam violentas instituit scripturarum torturas. Et miror stuporem hominum, eos quidvis in cerebro suo natum obtrudere non vereri in tanta scripturarum luce, non allegato hâc fini unico scripturæ apice.

II. Verùm est, non potuisse Christum resurgere exaltari, nisi secundùm decretum Dei mors Christi præcessisset. Sed quia Deus voluit mortem esse antecedens resurrectionis, nihil ne, vel saltem minus erit tribuendum morti quàm resurrectioni? Nec tantùm secundùm decretum Dei mors Christi antecedere debuit ejus resurrectionem, sed & secundùm nostri exigentiam. Quia si nobis morte pendendum fuisset pro peccatis, succubuissemus, nec unquam è morte fuissemus eluctati. Christus ergo mori debuit etiam ex necessitate ratione nostri, qui morte suâ mortem nobis superaret.

III. Mens ergo Adversariorum est, mortem Christi non fuisse necessariam ratione alicujus causalitatis, sed tantùm ratione antecedentis necessarii quoad resurrectionem & reliquos exaltationis gradus, & causa aliqua sine qua non. Sed quæ est ista Theologia? Antecedenti ut causæ perpetuâ metonymiâ tribuere ea, quæ sunt propria effecta consequentis. Quæ scriptura tropicè proponit, ea quandoque etiam propriis phrasibus exprimit. Quoad verò talem modum loquendi Adversarii non ostenderint, quo mors Christi tantùm statuatur necessarium antecedens resurrectionis, nequaquam illis suffragamur, sed eam in morte Christi causalitatem, quam scriptura vel millies de ea prædicat, credimus.

IV. Porrò ait, morti Christi talia tribui effecta, *eò quòd mors Christi potissimum nobis Dei & Christi charitatem commendet.* Accipio quod dat Adversarius, & sic arguo: Ex qua sententia de morte Christi major charitatis Dei & Christi laus refulget, ea proculdubio est verior. Atqui ex sententia nostra major charitatis Dei & Christi &c. Ergo est verior. Majorem non negabit adversarius nec poterit. Minor est in confesso. Nam profectò majoris momenti ea est charitas Dei, quâ filium suum in mortem *pro nobis*, & *loco nostro* dedit, quàm ea, quâ Deus tantùm exemplo nostro filium suum in mortem tradidisse censetur, vel ut doctrinam suam cælestem morte suâ confirmaret. Major sanè est ea Charitas Christi, quâ

quâ creditur tradidisse animam, pro ovibus, quàm si Christus tantùm viam salutis ostendisse morte suâ statuatur. Videant ergo Sociniani, qui se præcones charitatis Dei constituere volunt, quantoperè charitati Dei & Christi detrahant. Qui diligit merito & efficaciâ, plus diligit quàm qui exemplo. Ergo qui mortis Christi prædicat meritum & efficaciam majori encomio charitatem Dei & Christi in ea ostensum deprædicat, quàm qui exemplar nobis eâ exhibitum contendit. Sed jam nobis ad arcem rei veniendum erit.

Quæst. 12. *Nonne est etiam aliqua alia mortis Christi causa?*

Resp. *Nulla prorsus. Etsi nunc vulgo Christiani sentiunt; Christum morte suâ nobis salutem meruisse & pro peccatis nostris plenariè satisfecisse, quæ sententia fallax est erronea & admodum perniciosa.*

I. Gravia sunt quæ hîc Christianis impinguntur, fallacem, erroneam & perniciosam admodum eos fovere de morte Christi sententiam. Sed ter fallax, ter erroneus, ter perniciosus est Smalcius talia scribens. Ecclesiæ Christianæ Orthodoxæ hîc nihil credunt, nisi quod eas credere voluit & docuit ipse summus Ecclesiæ doctor & Propheta Christus, qui fines mortis suæ exponens, nuspiam eos quos fingit Smalcius tradit, sed longè alios, dicens, Matt. 20. 28. *ut det animam suam in redemptionis pretium pro multis*, quod Johannes interpretatur, *propitiationem pro peccatis*, *Ioh. 2. 2. & 4. 10.* Ergo eorum Christianorum qui hunc finem mortis Christi credunt, docent, doctrina non est erronea, fallax, perniciosa, sed sana, ipsi effato Christi & fidi ejus interpretis conformis. Errat ergo, nec tantum, sed & blasphemat Smalcius dicens, nullum prorsus alium finem mortis Christi esse præter eum quem ipse tradidit.

II. Audi enim fines mortis Christi quos adfert Spiritus Sanctus varios. 1. Ut pœnam nostris peccatis debitam sustinens divinæ pro nobis satisfaceret justitiæ & sic peccata nostra expiaret atque aboleret. Rom. 4. 25. *Traditus morti propter offensas nostras*, 1. Cor. 15. 13. *Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris secundùm scripturas.* Gal. 1. 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Eph. 5. 2. *Et ambulate in charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*, Heb. 9. 29. *Ad peccatum*

catum per immolationem sui ipsius è medio tollendum. Heb. 10. 12. *Hic verò una pro peccatis in perpetuum oblatâ victimâ*, 1. Pet. 2. 24. *Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore super lignum illud*, 1. Joh. 2. ℣. 2. *Qui factus est propitiatio pro peccatis nostris.* Peccata enim nostra ei imputata fuerunt, Esa. 53. 6. 2. Cor. 5. vers. 21. *Deus fecit eum qui non novit peccatum ut pro nobis peccatum esset.* Unde etiam dicitur quòd dolores nostros bajulaverit, *Esai. 53. 4.* & iniquitates, *vers. 11, 12.* 2. Alter finis mortis Christi est, ut testamentum gratiæ ratum faceret, *Heb. 9. 15, 16, 17.* 3. Ut nos ad Deum adduceret, semel pro peccatis passus, justus pro injustis, *1. Pet. 3. 18.* 5. Ut nos justificaret coram Deo ut colligitur, *Gal. 2. 21.* atque adeo ut nobis acquireret remissio- peccatorum, *Math. 20. 28.* & redimeret nos ab omni iniquitate, *Tit. 2. 14.* 5. Ut sanctificaret Ecclesiam, *Eph. 5. 25, 26, 27.* *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & dedit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, ut sisteret eam sibi gloriosam* &c.

III. 6. Ut credentibus acquireret vitam æternam. *Prout autem Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet filium hominis, ut quisquis credat in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joh. 3. 14, 15. 7. Ut omnes filios Dei dispersos cogeret in unum, *Joh. 11. 52.* Cajaphas prophetavit, *fore ut Iesus pro gente moreretur: nec tantùm pro ea gente sed ut etiam Filios Dei dispersos congregaret in unum*, hoc est, electos ex gentibus ad Ecclesiæ communionem adduceret. 8. Ut ipse viventibus & mortuis dominetur. *Ad hoc enim Christus, & mortuus est & resurrexit, ut & mortuis viventibus dominetur. Rom. 14 9.* 9. Ut implerentur omnes tum prophetiæ tum figuræ de hac morte. *Math. 26. 24. 54 66. Luc. 22. 37. 24. 34. Marc. 14. 49. Joh. 19. 28. 36. Act. 3. 18. & 13. 27. 29. 10.*

IV. Si cum his finibus effecta mortis Christi in scriptura recensita conferantur, planè *fallax, erroneum, perniciosum* deprehendetur id quod dicit Smalcius, *Nullam prorsus aliam mortis Christi causam esse.* Effecta autem mortis Christi sunt abolitio juris peccati. *Rom. 6. 9, 10.* seu destructio peccati; *Heb. 9. 26.* Condemnatio mundi *Ioh. 12. 31.* Eversio potestatis Sathanæ *Ibid. 16. 11. Col. 2. v. 15. Heb. 2. 14, 15.* Unde nos dicimur Sathanam vincere per sanguinem Christi *Apoc. 12. v. 11.* Sublatio maledictionis legis quæ nobis incumbebat *Gal. 3. 13.* Abrogatio legalis cultus & ceremoniarum Mosaicarum. *Dan. 9. 27.* collato cum

ɟf.96. *Eph.2. 13, 14, 15, 16.* quod significatum est scissione veli templi, quæ accidit Christo moriente. *Matth. 27. v. 51.* Placatio iræ Dei & reconciliatio nostri cum Deo. *Rom. 5. 10. Col. 1. 20. 22.* Justificatio nostri *Rom. 5. 9.* Adeptio remissionis peccatorum. *Ephes. 1. 7. Col. 1. 15.* Purgatio à peccatis. *Eph. 5. 26. Heb. 1. 3.* & *9. 12. 1. Pet. 2. 18, 19.* & *2. 24. 1. Ioh. 1. 6.* & *2. 2.* Liberatio à condemnatione *Rom. 8. 34.* Apertio cæli, ut liber ad illud nobis accessus pateat, atque adeo acquisitio juris vitæ æternæ *Heb. 10. 19.* Acquisitio Ecclesiæ, *Act. 20. 28.* Tot ergo sunt præter causas mortis Christi Socinianas causæ, quot recensuimus ex scripturis fines & effecta mortis Christi. Sed non videtur Adversarius velle sine ratione tam enorme crimen universo rectè sentientium cœtui impingere. Eum ergo audiamus.

Quæst. 13. *Qua ratione?*

Resp. *Quod ad id, quòd fallax sit & erronea, attinet, id hinc perspicuum est, quòd non solùm de ea nihil ex scripturis venim etiam scripturis & sanæ ratione repugnet.*

I. Utinam verò adversarius ad tam claram scripturæ lucem non cæcutiret, nube causarum à nobis recitata ritè pepensâ, aliud fortè statueret nobiscum. Nihilne dicit scriptura de causis mortis Christi, quæ tam varios mortis Christi fines, tam eximia numerat effecta? Nullo horum finium vel effectuum quispiam mortalium potiri potuit, nisi morte Christi adepti partiq; fuissent. Ergo hæc effecta non nisi morte Christi obtinenda, hi fines salutares morte Christi acquirendi, totidem erant causæ mortis Christi. Pollicetur tamen adversarius, se id demonstraturum, eas non esse, quas dedimus genuinas mortis Christi causas, imò verò eas repugnare scripturæ & sanæ rationi.

Quæst. 14. *Demonstra id ordine.*

Resp. *Id non haberi in scripturis, quòd istius opinionis assertores, nunquam perspicuas scripturas adferant ad probandam.*

dam istam opinionem, verùm quasdam consequutiònes, nectunt, quibus, quod asserunt, efficere conantur, quas ut admittere æquum est, cum scripturis necessariò adstruuntur; ita ubi scripturis repugnant, eas nullam vim habere certum est.

I. Præcipuè hac quæstione arietat in vocem *satisfactionis*; quæ totidem literis in scriptura non extat. Et quia vox non habetur, ergo nec res. Sed interim benè habet, quòd admittat consequentias eas, quæ ex scripturis necessariò adstruuntur. Cum olim Franciscus Davidis urgeret Socinum, non extare in scriptura hanc propositionem: *Christus est invocandus*, Socinus regessit: non necesse esse, ut ad literam hoc ostendatur, sed sufficere, si ex iis, quæ scripta sunt clarissimè deducantur.

II. Etsi ergo vox *satisfactionis* non legatur in scriptura, & non dicatur, quòd Christus morte suâ satisfecerit totidem verbis; tamen ni mens Adversarii errorum nebulis obvoluta esset, videret æquipollentes propositiones, easq; satis multas. Ut *1. Ioh. 2. 2 Christus est ἱλασμὸς propitiatio pro peccatis nostris* 1. Joh. 4. 10. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* Rom. 3. 25. *Deus Christum proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Rom. 5. 11. *Per Christum reconciliationem accepimus.* 2. Cor. 5. ult. *Deus eum qui non novit peccatum pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Eph. 1. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, 1. Joh. 1, 7. *Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato.* Joh. 1. 36. *Ecce ille agnus Dei* 1. Pet. 1. 18, 19. *Redempti estis non corruptibilibus rebus auro vel argento; Sed pretioso sanguine agni in contaminati & inculpati.* 1. Tim. 2. vers. 6. *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον pretium redemptionis pro quibusvis.* Mat. 20. 28. *Filius hominis venit, ut daret animam suam λύτρον pretium redemptionis pro multis.* Col. 1. 15. *Inquo habemus redemptionem per sanguinem ipsius*, hoc est, remissionem peccatorum, Rom. 5. 6. *Christus pro impiis mortuus est*, & per *ipsius obedientiam constituti sunt multi justi* vers. 19. Gal. 3. 13. *Christus redemit nos ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio*, Esai. 53. *Castigatio pacis nostræ super eum.* Psal 69. *Quæ non rapui rependere cogor.* Ex quibus omnibus scri-

pturæ locis ita olim rectè argumentatus est contra Ostorodum Graverus.

III. Quicunque pro alterius ex morte redemptione vitam suam in mortem, tanquam λύτρον καὶ ἀντίλυτρον, hoc est, pretium redemptionis, seu redempti captivi tradit, ita ut dolores alterius ipse in se portet, pœnam pro pace alteri acquirenda ipse volens in se suscipiat, solvat quæ non rapuit, fiat peccatum, execratio pro eo, expiet alterius peccata, & sit propitiatio pro alterius peccatis morte & sanguine suo, ac deleat Chirographum alterius, ut is pro quo moritur per mortem alicui reconcilietur, is ita moritur, ut loco ejus pro quo moritur morte suâ satisfaciat. Atqui Christus pro hominum redemptione vitam suam, in mortem tanquam λύτρον καὶ ἀντίλυτρον, hoc est, pretium redemptionis seu redempti captivi tradidit *Matt. 20. v. 28.* dolores nostros ipse portavit, *Esai. 53.* solvit quod non rapuerat *Psal. 69.* factus pro nobis peccatum *2. Cor. 5.* execratio *Gal. 3. 13.* expiavit morte & sanguine suo nostra peccata, seu fit propitiatio pro peccatis nostris suâ morte *1. Ioh. 2. 2.* delevit Chirographum quod adversum nos erat, *Col. 2. 9.* Ergo Christus ita mortuus est pro hominibus, ut pro iis seu eorum loco morte suâ satisfecerit.

IV. Etsi ergo vox satisfactionis in scriptura non reperiatur, (quia scriptura non latinè sed græcè scripta) res tamen est satis expressa, ut liquet ab illis scripturæ locis jam productis & in formam argumenti redactis. Quanquam non dubitem nos frustraneam in istis digerendis collocasse operam, eò quod, Smalcius proculdubio cum universa sua grege, quæ se cruci Christi tanquam perpetuus hostis opponit, ejusdem sit animi cum Socino Magistro, qui alicubi scribere non erubuit. *Ego quidem etiamsi non semel, sed sæpe in sacris monumentis scriptum extaret, non tamen idcirco ita rem prorsus se habere crederem.*

V. Consequentiæ quæ eâ fini à nobis ex scriptura nectuntur tanti sunt roboris, ut etsi hactenus multum in iis dissolvendis sudarint Sociniani, tamen irrito conatu & re infecta ad suos redierunt. Quid enim, an consequentiæ nostræ tam luxatis inceduut pedibus, ut nullam planè vim suo talo standi habeant? Quarundã hîc operæ precium est exhibere specimen.

VI. Consequentia prima pro vi satisfactioria mortis Christi ex *Gen. 3. 15.* petenda est, ex promissione inquam, illa prima, primo nostro Parenti Adamo facta, quâ illi statim

statim post lapsum promissum est semen sanctum, id est, Messias qui serpentis caput contereret, hoc est, peccatum & quæcunq; ex eo proveniunt, præsertim verò mortem æternam aboleret & è medio tolleret. Quâ solenni promissione modus quoque explicatur, quo serpentis istius caput conteri debuit, nimirum morte istius seminis, in sacrificiis ab Adamo statim instinctu divino exercitis adumbratæ.

VII. Si in causam inquiras, cur scilicet tam eximio promisso Deus primos parentes beare voluerit? alia dari non poterit, quàm quòd animis peccato vulneratis medicinam propinare, prostratis conscientiis levamen & solamen adferre voluerit. Hinc fidem suam in hoc sanctum semen dirigere, morte ejus futurâ consolari & erigere jussi sunt protoplasti. Quare mors hujus seminis & à Deo eo fine fuit decreta, & ab Adamo, ita intellecta, ut quæ futura esset pretium & satisfactio, quam pro Adami defectione & lapsu divina justitia postulabat, quâque serpentis capite comminuto opera ejus destruerentur. Quomodo autem serpentis caput comminutum, peccatum & pæna peccati è medio sublata, si res aliter se habeat!

VIII. Quia coram tribunali quovis, maximè divino peccatum & pæna non auferuntur, quàm per certam satisfactionem justitiæ debitam. Mors seminis hujus Adamum nequaquam erigere, nec fidem ejus confirmare potuit, nisi pro ipsius transgressione λύτϱον fuisset. Nec Adamus in hoc semen credere potuit, nisi mortem istius seminis pro se satisfactoriam credidit, adeoque promissio de isthoc semine vana; & fides Adami, quæ in illud semen ferebatur inanis futura fuisset.

IX. Non vanam fidem, non inanem promissionem dicet Socinus fuisse. Potuerunt se intuitu hujus seminis solari protoplasti, quod semen hoc viam salutis esset commonstraturum. Sed vanum est istud Socinianismi commentum. Quomodo enim se commonstratioone viæ salutaris ab isto semine sancto solari potuerunt, quod tempore Adami nec exhibitum, nec ab Adamo visum? quod tamen ad viæ commonstrationem necessarium erat.

X. Consequentia altera à sacrificiis Vet. Testam. nectitur. Quæ sacrificia typum sacrificii Christi fuisse etsi neget Spiritus Socinianus, negare tamen nullâ ratione potest. Hæc autem sacrificia rationem habebant satisfactionis: & cùm typi cum antitypo eadem sit ratio, ea quoque ratio sacrificii mortis Christi fuerit oportet. Antecedens liquet ex *Le-*

vit. 16. 21. Nitensque Aharon ambabus manibus super caput illius hirci, confitebitur super ipsum omnes iniquitates filiorum Israelis & omnes defectiones eorum, ex quibusque peccatis eorum, & postquam imposuerit illa capiti istius hirci, emittet eum per hominem commodum in desertum. Nam portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in regionem inhabitabilem. Hinc sic: Cujus typus fuit satisfactorius, ejus quoque antitypus est satisfactorius. Atqui typus Christi satisfactorius; Ergo & antitypus, sc. mors Christi satisfactorià fuit. Sacrificia enim ista aut munerum rationem habebant absolutam, aut satisfactionis respectum, pro quibus sc. offerebantur. Non prius; quia non opus fuisset mactatione, ut liquet à muneribus, à Jacobo fratri Esavo, quem sibi conciliabat, oblatis. Ergo posterius. Quia super hæc animalia offerenda imponebantur peccata. Ergo vice hominum peccatorum mactata, & consequenter satisfactoria.

XI. Quocuncque alienæ transgressiones sunt expiatæ, id ipsum loco satisfactionis habetur. Atqui morte Christi transgressiones alienæ sunt expiatæ, *Rom. 5. 15.* & seqq. *1. Cor. 15. 21, 22.* Ergo mors Christi loco satisfactionis habetur. Item. Id quod pro aliquo tanquam precium redemptionis penditur, id rationem satisfactionis habet, est satisfactio. Atqui mors Christi est pretium redemptionis pro libetatione hominis peccatoris pensum. Ergo mors Christi est satisfactio. Major in confesso est. Minor habetur. 1. Pet. 1. 19. *Non corruptibilibus rebus, auro vel argento fuistis redempti; sed pretioso sanguine agni immaculati.* Qui enim redemptionis pretium solvit ille satisfacit.

XII. Qui legis Chirographum contra nos scriptum abolet, ac cruci affixum inane & vacuum reddit, inductâ ei liturâ sanguine suo, is verè & propriè satisfacit. Atqui Christus, *deleto quod adversum nos erat ritutum Chirographo, ipsè cruci affixum è medio sustulit.* Col. 2. 14. Ergo. Item: Qui animam suam pro multis in redemptionem ponit, is verè & propriè satisfacit. Atqui Christus, *Mat. 20. 28. 1. Ioh. 1. 2.* Ergo. Item: Qui nos coram tribunali Dei reos justificat, is pro nobis ut reis Deo judici satisfacit. Atqui Christus nos coram tribunali Dei reos justificat. Ergo pro nobis satisfacit. Majoris ratio est: Quia justificare & satisfacere sunt æquipollentia, ita ut sine discrimine unum pro altero accipiatur. Is enim coram judice justificatur, qui judici satisfacit; & qui non satisfacit non justificatur. Hæ & infinitæ aliæ con-

consequentiæ ex scripturis necessariò adstruuntur; æquum ergo est ut admittantur! & quia scripturis non repugnant, sed iis sunt conformes, magnam eas vim habere certum est.

Quæst. 15. *Quî vero scripturæ repugnat?*

Resp. *Ad eum modum, quòd scripturæ passim Deum peccata hominibus gratuitò remittere testentur, potissimum sub novo fœdere,* Rom. 3. 24. Eph. 2. 8. Math. 18. 23. & seqq. *At remissioni gratuitæ nihil adversatur magis, quàm satisfactio. Cui enim creditori satisfit vel ab ipso debitore vel alio debitoris nomine, de eo non potest verè dici, eum debitum gratuitò, ex ipsa gratia remisisse.*

I. Scripturæ repugnare eam doctrinam, quæ scripturæ est, nullo modo veritati est consentaneum. Imò ipsa scriptura expresse docet satisfactioni & gratuitæ pecpeccatorum remissioni benè inter se convenire. *Rom. 3. 24. Ut qui justificentur gratis ejus gratia,* (ecce gratuita remissio) *per redemptionem factam in Iesu Christo.* (hic satisfactio exprimitur) Et *Eph. 1. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius,* (hæc est satisfactio) *remissionem lapsuum ex divite ejus gratia,* (his gratuita remissio prædicatur.)

II. Equidem scriptura palàm dicit, nobis peccata remitti, hoc est, nos justificari gratis, sed simul docet, Christum pro nobis solvisse redemptionis nostræ pretium *Math. 20. 28.* & *1. Tim. 2. 5.* Eadem dicit, Deum nos servasse ex suâ misericordia *Tit. 3. 5.* & gratia, *Eph. 2. 8.* & simul docet Christum propter peccata nostra attritum, *Esai. 53. 6.* & in mortem traditum esse. *Rom. 4. v. 25.*

III. Dicitur Deus remittere peccata, non quòd nullam satisfactionem accipiat, sed quod à nobis non accipiat, qui debebamus, sed in Christo, quem Deus nobis in hunc finem, ut pro nobis iræ Dei satisfaceret, dedit *Rom. 3. 25.* Si eidem personæ condonatum esset quæ pœnam sustinuit, utrumque simul non consisteret, & animadversio & remissio. At siquidem uni pæna irrogata est, ut reliqui condonationem obtinerent,

rent, utrumque hoc omnino consistere potest. Imò sic colligendum erit; si una ex parte simpliciter facta est condonatio, & ab altera transgressiones non fuerunt punitæ, misericordiæ equidem intervenisset comprobatio. Justitiæ verò non itidem. Ut igitur utrumque comprobaretur, necessarius erat utriusque actus manifestus, & pœnæ & condonationis.

IV. Consideratione enim hoc dignum est, cum misericordiam suam immensam testatam voluit Deus, ita illud egisse, ut justitiæ nulla vis fieret, nec in minimo ejus vigor obscuraretur, sed utraque simul mundo conspicua venerandaque redderetur. Simul enim vult haberi summè justus, & summè misericors, siquidem periculi non minus gloriæ suæ inde dependet, si homines ipsum non agnoscerent summè justum, quàm si ignota esset ipsius summa misericordia. Perhibens enim de Deo, quòd Misericordiam suam manifestam reddat in peccatorum remissione & quidem simpliciter gratuita, sine ullius satisfactionis respectu, quidnam quæso Deo tribuit? Hoc unicum sanè, quod multus sit misericordiâ, non autem quòd multus quoque sit justitiâ. Uti enim judex capitis pænam alicui remittens, sine ulla compensatione aut satisfactione misericordiam quidem declarat, neutiquam verò justitiam; ita de Deo idem consequeretur, si opinio ista locum haberet.

V. Nos contra de Deo asseverantes, quòd peccata nobis remittat propter filii sui satisfactionem, quam morte suâ peractam justitiæ Dei præstitit, utrumque Deo tribuimus. Misericordiam & Justitiam. Misericordiam in eo, quod nos miseros & indignos ex merà sua gratia respexerit, quos aliàs justè in barathrum æternæ condemnationis præcipitare potuisset, sicque recompensationem valde pretiosam, quâ nulla pretiosior in nostri redemptionem acceptarit, per quam misericordiæ suæ nobis misertimis peccatoribus exhibendæ, viam asseruit. Justitiam verò in eo, quòd peccata nostra cum læsione aliqua seu imminutione istius justitiæ suæ non remiserit, sed omnino pretium & satisfactionem exegerit. Ergo satisfactio Christi non est opponenda misericordiæ tanquam eam evertens, sed justitiæ quæ satisfactionem postalabat.

VI. Hinc *Levitici* cap. 4. & 5. ex professo docetur, satisfactionem & remissionem non modo simul consistere posse, sed etiam illam hujus causam conferi.

Nam

Nam inter alia hæc leguntur *Levit.* 4. 31. *Sic expiabit eum Sacerdos & remittetur ei.* Remissio igitur peccatorum merè gratuita est, non quòd nullum planè solutum sit Deo pretium, nequidem à Christo, hoc negat Dei Spiritus. *Esai.* 53. 6. 8. *Rom.* 4. 25. 1. *Pet.* 1. 18. Sed quòd ne tantillum à nobis, qui captivi detinebamur, Deo depensum sit, quod liberationem mereri posset.

VII. Ergo remissio peccatorum & satisfactio non sunt opposita. Opposita enim illa sunt, quæ dicuntur secundùm idem, ad idem & eodem tempore. Hic verò diversa sunt subjecta. Christus & nos homines. Adversantur sibi invicem punire delicta & ea condonare sc. in uno & eodem subjecto. Jam verò Deus peccata punit non in nobis, sed in Christo; ibi exercet suam justitiam, misericordiam verò in nobis dum gratis propter λύτρον Christi pretiosum peccata nobis remittit. Diversitas itaque respectus omnem oppositionem tollit. Puniens peccata non est summè misericors, scilicet erga eos quos punit, sed nihilominus est misericors erga alios, quibus condonat peccata ex merà misericordià.

VIII. Sed opponit Catechetas rationem. *Cui enim creditori satisfit vel ab ipso debitore, vel ab alio debitoris nomine, de eo non potest dici verè eum debitum gratuitò ex ipsa gratia remisisse.* Respondeo: Valet hæc ratiocinatio in debitore tali, qui ipse proprio motu, precibus, vel quacuncque alià ratione inducit quempiam, qui creditori suo pro se solvat. At non valet in creditore tali, qui ipse sponsorem illum ex gratia constituit, pretiumque solutionis, quod non tenebatur acceptare ab alio, gratum tamen habuit. Hic se res ita habet, Christus pro nobis solvit, sed non à nobis ipsis pro nobis surrogatus, nullà dignitate, nullis precibus nostris inductus, partes has nostras suscepit; sed ex gratia Dei summa nobis in sponsorem vadem & mediatorem datus, ipsomet Christo teste *Ioh.* 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* Ergo hoc primò est magnum misericordiæ Dei argumentum, quòd nobis Christum, qui hoc pretium penderet, atque pro nobis satisfaceret, in mediatorem dederit.

IX. Deinde & in eo summa est Dei gratia, quòd Deus hoc ipsum pretium, tanquam nostrum acceptet. Jure enim acceptare non tenebatur; potuisset satisfactionem exigere ab ipsa rei persona. Nec hic quadrat similitudo de nudo creditore, qui acquiescit, sive ipse debitor, sive alius pro eo solvat. Deus namque non

erat nudus creditor, sed simul justus judex, qui peccata nostra juxta regulam justitiæ suæ punit, qui non tenetur alienam solutionem acceptare; præsertim in crimine quod non est in *rebus*, sed in *persona*. Illud debitum solutione potest tolli, at debitum personæ, quod ex injuriâ aut offensa oritur, requirit remissionem injuriæ, etiam satisfactione positâ, maximè, cùm is qui offensus est, possit satisfactionem omnem respuere.

X. Similitudinem creditoris hic nihil ad rem facere, porro ex eo liquet. Quòd creditor non obliget se adhoc, quòd nolit debitum remittere; nisi satisfactione acceptâ. Deus verò mortem & quidem æternam, minatus fuerat quæ aut per satisfactionem tolli debuit, aut Deus mendax esse. Præterea, si hæc instantia quippiam valet, colligam similiter, Deum absque pœnitentia & fide hominis peccata remittere posse, quod toti scripturæ adversatur. Quod igitur acceptat pretium soli misericordiæ ejus acceptum ferendum.

XI. Merito ergo & satisfactione Christi opus fuit, non ut Deus simpliciter ad aliquam misericordiam & amorem erga nos flecteretur, sed ut salvâ justitiâ suâ, planè & perfectè posset nostri miserei. Misericordiâ Dei nos scriptura salvari docet. Sed absolutâ Dei misericordiâ, quæ nullum habeat respectum ad Christum nos salvari, Smalcius ex scriptura demonstrabit nunquam.

XII. Opponit Smalcius parabolam, *Math*. 18. v. 24, 25. Ubi Deus comparatur regi pecuniam debitam servo remittenti, nullâ additâ satisfactionis mentione. Sed responsio facilis, nimirum, comparationem non debere extra tertium extendi, cujus causâ instituitur. Commendatur nobis istâ parabolâ benignitas nostra in proximum, idque quòd Deus sit erga nos benignus. Hactenus divina remissio nostræ remissioni æquiparatur, quatenus syncero corde fieri debet, & urgetur à Christo benignitas & facilitas in condonandis peccatis, idque exemplo Dei, qui peccata condonavit nobis, nullâ à *nobis* satisfactione acceptâ. Imitanda nobis proponitur *res* non *modus rei*: nec colligere licet, remissionem nostram per omnia, sive in causis efficientibus, sive in forma & modo, sive in adjunctis antecedentibus divinæ remissioni parem esse vel esse debere.

XIII. *Inquies!* Ita petimus nobis à Deo remitti peccata sicut nos remittimus. Atqui nos remittimus nullâ satisfactione acceptâ.

Sed

Sed *primò* quod dicitur in oratione Dominica, remitte nobis sicut nos remittimus debitoribus, *similitudinis* est alicujus, non omnimodæ *æqualitatis*. *Secundò*, nec Deus omnium hominum sibi adversantium reconciliationem institui voluit absque satisfactione. Nam, ut pars offensa facilis esse debet in remittendis injuriis, ita vult ut pars offendens culpam agnoscat eamque deprecetur, ubi deprecatio est loco satisfactionis.

XIV. *Tertiò.* Debita seu peccata in hominem commissa duplicia sunt, vel *interna*, quæ lædunt *honorem* creditoris, vel *externa* seu civilia, quæ *bona fortunæ* respiciunt. Si non lædunt honorem creditoris, absque satisfactione remitti possunt, secùs si contra. Bona enim fama defendenda est; At peccata nostra talia sunt debita quæ honorem & majestatem Dei offendunt, justitia ergo Dei requirebat, ut peccata punirentur, aut pro ipsis satisfieret; aliàs Deus non mansisset justus & verax. Sic Magistratus politicus non potest subditis simpliciter omnia malefacta condonare, nec judex maleficos, fures, mœchosve impunitos relinquere nisi salvo jure tertii, quantum scilicet gloria Dei & salus publica patiuntur.

XV. *Quartò* hoc addo. Non esse hîc eandem rationem Dei & hominum. Deus enim in remittendis peccatis non agit merum creditorem, sed simul justissimum judicem; homo non item. Homines quoad hanc causam sunt æqualis conditionis, nec alter alterius est Dominus vel judex (sermo est de privatis offensis, & eorundem condonatione, non de officio magistratus) Deus verò & homines non sunt æqualis conditionis. Quia Deus se habet per modum judicis, qui nec potest, nec tenetur, si justus sit, scelera impunita dimittere.

XVI. Non, inquam æqualiter se habent creditor cui infertur injuria & Deus. Deus enim ratione suæ justitiæ non privati cujusdam creditoris personam gerit, qui sine ullo respectu æqui justique debitum condonare possit, quomodo & quando velit; sed severissimum agit judicem, puniens ea, quæ contra legem & justitiam fuerunt commissa. Distinguendum est inter creditorem privatum & pecuniarium, & inter publicum & justitiarium: hoc est exactorem justitiæ.

XVII. Ergo in discursu istius quæstionis, ut quod prolixius dixi, paucis comprehendam, Adversarius falsam hypothesin supponit remissionem peccatorum nequa-

quam cum satisfactione consistere posse. Sed quæ enstasi ex scriptura refellitur. Paulus scilicet orat pro Onesimo, ut Philemon ipsi condonet,& interim se offert simul ad satisfactionem. *Quod si quâ te injuriâ affecit, aut debitor tibi est, hoc mihi imputato, ego dependam.* Philemon. ℣. 18, 19.

XVIII. Res brevi syllogismo expediatur: Cui Deus remittit peccata, ab illo non requirit satisfactionem. Quia planè contraria sunt remittere & satisfieri. Sed Deus nobis remittit peccata. Ergo. *Resp.* ad majorem distinct. inter satisfactionem propriam & alienam. Cui Deus remittit peccata, abillo non requirit satisfactionem propriam, sed alienam, Christi nimirum propter quam remittit. Gratuita peccatorum nostrorum remissio manet ideo, quia nulla proficiscitur à nobis satisfactio. Major vera est de diversis subjectis: in eodem subjecto hæc consistere nequeunt. Si Deus nobis gratis remittere diceretur peccata, & nos ipsi Deo in propriâ persona satisfecisse diceremur, tum essent hæc contraria.

XIX. Sed, inquies: qui gratis remittit, ille non remittit per aliquod meritum. Sed Deus gratis remittit peccata. Ergo. Major. Quia gratia & meritum opponuntur *Rom.* 11. 6. Minor. Quia verbum χαρίζεσθαι significat beneficentiam & liberalitatem *Colos.* 2. 13. *Resp.* ad majorem distinguendo inter meritum proprium & alienum. Major vera est de merito proprio non alieno. Gratia & *meritum nostrum* inter se opponuntur, non verò gratia & *meritum Christi*, oppositio itaque non ἀσύστατος. In subjectis diversis major procedit. Illam gratiam nos non fuimus meriti; sic enim non esset gratia sed meritum. Licet respectu Christi sit meritum, qui passione suâ eam nobis meritus est; tamen respectu nostri est & manet gratia, quia nos illam non sumus meriti.

Quæst. 16. *Cedo quî istud rationi repugnet?*

Resp. *Id quidem hinc perspicuum, est quòd sequeretur, Christum æternam mortem subiisse, si Deo pro peccatis nostris satisfecisset, cùm constet, pœnam, quam homines peccatis meruerunt, æternam mortem esse: Deinde consequeretur, nos Christo*

Cto quàm Deo ipsi devinctiores esse, quippe qui satisfactione multum gratiæ nobis ostendisset. Deus verò exactâ satisfactione nullâ prorsus gratiâ nos prosequutus fuisset.

I. Quod Adversarius rationi repugnare autumat, illud rationi omnino conforme est. Quid enim? an Christum mortem æternam obiisse rationi repugnat? Minimè. Debuisse eum qui satisfacere voluit æternam mortem pati, certum est. Quia inter satisfactionem & culpam debuit esse proportio. At nos propter peccatum æternam mortem meriti eramus. Ergo satisfactor quoque æternam mortem luere debuit. Christum autem æternam mortem passum esse negant adversarii, eò quod tertiâ die resurrexerit, & hoc est illud quod rationi repugnat, mortem triduanam dicere æternam.

II. Hinc sic argumentantur. Qui tertiò die à mortuis resurrexit is non passus est mortem æternam. Sed Christus &c. Ergo. *Resp.* ad Majorem. Qui tertiâ die resurrexit ex mortuis is non passus est mortem æternam *duratione* sc., sed passus est mortem æternam *essentiâ*, hoc est æternæ æquivalentem, & consequenter satisfecit. Christus non subiit quidem mortem æternam priori, sed posteriori modo, & pænas æternæ morti æquivalentes sustinuit. Mors enim ejus non fuit mors simplicis hominis, sed ejus, qui in una persona simul Deus & homo esset.

III. Duo sunt in morte æterna. 1. Immensitas cruciatuum & dolorum infernalium cum desertione & abjectione à Deo. 2. Continuatio perpetua talium dolorum cruciatumque. Prius Christus subiit. Hinc Spiritus Sanct. tam vehementi vocum emphasi usus est in descriptione agonis Christi Ἀδημονεῖν significat maximam consternationem; ita ut nulla admittatur consolatio. Et tanta fuit agonia Christi in horto ut sudor sanguineus guttatim destillaret, angelus eum confortaret *Math. 27. 46.* ipseque Christus plenus dolorum, *Psal. 22. 1. Deus mi, cur me dereliquisti*, exclamaret. Quoad posterius, quod defuit durationi temporis, id compensatũ est personæ dignitate.

IV. Mors itaque Christi fuit æterna, non quidem quoad *durationem*, sed tamen quoad cruciatuum & angorum immensum infinitumque onus, & ob personæ patientis dignitatem infinitam, pondus habuit æquipollens pænæ æternæ, imò etiam superans, quia Deum pati plus est, quàm omnes

creaturas interire. Accidit morti vel æternam esse vel non æternam esse, quanquam illud *per se* inseparabiliter, hoc non nisi per superiorem & divinam potentiam fiat. Est itaque tantùm confusio mortis & accidentis illius.

V. Sed probandum porro est Christum æternam mortem subiisse. Quod liquet. 1. Ex partibus pænarum infernalium, pænæ nimirum *damni* & *sensus*, quarum utramque sustinuit. *Damni* quidem, quæ in desertione à Deo consistit; eò quod conquestus fuerit se à Deo derelictum. *Psal.* 22. 1. & *Matt.* 27. quæ tamen derelictio non ad separationem naturarum, & dissolutionem inter eas, sed ad sensum gratiæ divinæ reflexum tantum extendenda est. *Sensus* verò Quia Christus cæpit angi, horrere, ad mortem usque contristari, sanguineum sudorem sudare, denique adeo affligi, ut conquereretur se à Deo derelictum. Quas anxietates, horrores, sudorem &c. Christo sanè non expressit metus mortis temporariæ, nisi Christum fortitudine animi & tolerantiâ dolorum, multis martyribus, etiam mulierculis, quæ animo imperterrito & planè heroico, etiam crudelissima quæque supplicia, & exquisitissima tormenta subiere, inferiorem dixeris.

VI. Idem 2. liquet ex indefinitâ loquutione, & indigitatione mortis. Vox enim mortis indefinitè posita, nullam speciem mortis excludit sed omnes sunt intelligendæ. Atqui Christus simpliciter dicitur *mortem* gustasse *Heb.* 2. 9. Ergo æterna subintelligenda. 3. Eam mortem passus est, cujus Adam per peccatum reus factus fuit. Atqui ex sententia Adversariorum Adamus reus factus fuit mortis æternæ. Ergo Christus æternam mortem passus est.

VII. Nec obstat quod in contrarium adfertur: Christum non potuisse sustinere pœnam damni hoc est, desertionem, eò quòd esset inseparabiliter unitus divinæ naturæ quoad humanam. Quia per illam desertionem non separatus est à Deo quoad *rem*, sed tantùm quoad *sensum* gratiæ; tantum enim abest, ut naturæ in passione fuerint separatæ ab hypostasi τȣ̃ λόγȣ, ut ne in ipsâ morte quidem separatæ fuerint. Quia etsi divulsæ fuerint partes humanæ naturæ, natura scilicet & corpus, quæ per mortem soluta erant, tamen indivulsa manserunt in hypostasi verbi, quæ utramque partem sustentabat. Adeo ut Christus etsi non *formaliter* tamen *naturaliter* homo etiam in morte esset.

VIII. Pati inquiunt etiam *pœnam sensus* non potuit, eò quod

pœna sensus describatur per vermem, *Esa. 66.* Quia pars ista passionis infernalis eorum est, qui in propria persona peccarunt, qui peccatorum in proprio corpore & anima luunt pænas; eorum vermis non quiescit, sed conscientia rodit, accusat perpetuò. Cum autem Christus in propria persona non peccarit, sed peccata tantùm aliorum in se derivaverit, hâc speciè pænæ affligi non potuit. Anxietates autem horrores & metum, quibus alioqui describi solent pænæ infernales; Christum passum esse liquet. *Marc. 14. 33, 34. & Math. 26. 37, 38.*

IX. Nec est quod dicas: Si Christus metuit: Ergo peccator. Metus enim vel *filialis* est vel *servilis.* Posterior in homines reprobos cadit, prior in fideles, uterque peccatum. Quia non est immediata ista distinctio metus, datur enim tertia species metus, scilicet *naturalis*, quem in Christo fuisse, tam alienum non est, quàm eum naturam humanam habuisse.

X. Dicent denique, Christum non passum æternas pænas & infernales, eò quòd non desperarit. Desperabunt enim impii in inferno. Atqui Christus non desperavit. *Respond.* Desperationem in eos tantùm cadere, qui vident se non posse eluctari & superare has ipsas, quas patiuntur pænas. At in Christo hoc ipsum locum non habuit, quippe qui scivit in potestate suâ esse destruere templum corporis sui, illudque reædificare, ponere animam suam eamque iterum sumere. Ergo absurdum non est, quod Adversario rationi repugnare videtur, *Christum* nimirum *æternam mortem subiisse.*

XI. Deinde inquit rationi repugnat, quia sequeretur: *Nos Christo quàm Deo esse devinctiores, quippe qui satisfactione nullum gratia nobis præstitisset, Deus verò exactâ satisfactione nullâ prorsus gratiâ nos prosequutus fuisset.* Vana hæc sunt insanæ rationis deliria. Quippe opus redemptionis & satisfactionis opus Trinitatis est totius, ad quod efficienter concurrunt omnes tres personæ ex æquo, adeo ut amor omnium sit æqualis, Dei Patris in missione & datione filii, Filii in promptâ & spontaneâ susceptione istius muneris sibi mandati, Spiritus S. in formatione corporis Christi hâc fini. Ergo ex æquo omnium est charitas & exæquo omnibus obligamur.

XII. At *dicis.* Christus nullâ satisfactione acceptâ nobis peccata remisit; si enim satisfactione acceptâ remisisset, sequeretur, quòd sibimet ipsi satisfecisset, quòd apud seipsum fuisse mediator, cùm pars læsa mediatrix esse non possit. *Resp.* Falsum esse; quod adver-

adversarius ut verum supponit, nimirum, Christum nullâ satisfactione acceptâ peccata remisisse. Non remisit. Quia sibi ipsi, quâ Deus absolutè est, satisfecit. Et est apud semetipsum mediator. Quia pars læsa non potest quidem esse mediatrix quatenus læsa, hoc est quatenus consideratur absque σχέσει ad genus humanum. Eatenus enim ut Pater, ita filius quoque est justus Deus, sed ratione σχέσεως ad genus humanum potest etiam pars læsa esse mediatrix. Exempl. gratia. Si totus senatus à cive quopiàm læsus esset, posset unus ex Senatoribus pro eo intercedere. Hic Senator esset pars læsa quatenus absolutè consideratur, ut est membrum senatus. Est verò intercessor quatenus habet respectum ad civem reum. Hinc Paulus dicit. *2. Cor. 5. 18.* Deus fuit in Christo & mundum sibi reconciliavit. Reconciliare supponit amicitiam læsam, quæ iteratur.

XIII. Æqualis ergo est utriusque charitas Patris scilicet & Filii. Pater enim non remittit peccata non acceptâ satisfactione, nec Filius. Cæterum, Pater Christum ex gratiâ in mediatorem dedit ut pretium satisfactionis esset. Christus autem se ipsum gratis pro nobis obtulit. Ergo utrisque æqualiter devincti sumus.

XIV. Contendunt tamen Adversarii: Nemo sibi pretium solvit, aut satisfacit. Si Christus Deo satisfecisse dicatur, consequetur, aut Christum non esse Deum, aut si Deus sit, sibi satisfecisse. Quod absurdum. At verò hoc argumentum nihil concludit. Etenim ubi diversæ naturæ, & voluntates in unam personam, coeunt, ibi diversarum naturarum respectu idem sibi satisfacere potest. Et verè in hoc negotio res ita habet. Nam Christus mediator est ut Deus & homo; sponsor ut homo tantum: ut autem sponsor est pro nobis satisfacit. Non ergo absurdum videri debet in Christo esse secundùm quod pretium persolvit, & esse, secundùm quod pretium illi persolutum.

Quæst. 17. *Cedo etiam quî hæc opinio est perniciosa?*

Resp. *Ad eum modum, quòd hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut ad socordiam in pietate colenda eos invitet. Scriptura verò testatur inter alios eum etiam mortis Christi finem esse, ut redimeremur ab omni iniquitate, ex hoc*

hoc seculo nequam eriperemur, & redimeremur ex vanâ conversatione à Patribus tradita, & mundaremur conscientiâ à mortuis operibus ad serviendum Deo viventi. Tit. 2. 14. Gal. 1. 4. 1. Pet. 1. 18. Heb. 9. 14.

I. Dicit sententiam nostram de satisfactione Christi perniciosam esse, *quòd hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut certè ad socordiam in pietate colenda eos invitet.* Perniciosa est hæc Catechetæ consequentia, & ad calumniandum saniorem doctrinam conficta. Quæ eadem olim Apostolicæ doctrinæ impacta fuit. Cum enim docuisset Apostolus fideles non esse sub lege, sed sub gratia, erant, qui eandem Socinianorum necterent consequentiam: *Peccabimus ergo quia sumus sub gratia.* Sed egregiè eos retundit dicens: *Liberati à peccato servi facti estis justitiæ.* Rom. 5. 14, 15, 18.

II. Ergo dicimus calumniam esse, dum dicit adversarius, sententiâ nostrâ de satisfactione Christi, vice nostri, fenestram aperiri ad peccandi licentiam. Quinimò ex hoc satisfactionis beneficio praxin pietatis ex scriptura urgemus strenuè. Quippe novimus, nos *è manu inimicorum nostrorum liberatos, ut serviamus ipsi cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, omnibus diebus vitæ nostræ.* Luc. 1. v. 74, 75. Nos emptos esse pretio, adeoque Deum in corpore & Spiritu nostro esse glorificandum, *1. Cor. 6. vers. 20.* Illuxisse Dei gratiam salutiferam, erudientem nos, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & justè, & piè vivamus in præsenti seculo. *Tit. 2. 11, 12.*

III. Anathema sit ille & ter maledictus, qui hoc insigni Dei beneficio ad peccandi licentiam sibi fenestram apertam esse credat, & cum audit pro peccatis suis verè satisfactum, licentiam peccandi nactus sibi videtur, eò quod satisfactionis vis etiam ad futura peccata se extendat. Quia enim redempti sumus ab omni miseria ergo etiam à miseriâ jugi peccatorum, quod propterea nobis excutiendum est; redempti sumus à potestate Sathanæ, ergo illi amplius serviendum non est. Facti sumus per redemptionem servi, filii, amici Dei ergo imago ejus in nobis restaurari debet, & nos in sanctitate vitæ ambulare, ne cælestis Pater habeat quod conqueratur de nobis. *Quod si Pater sum, ubi est honor meus? si Dominus sum, ubi est reverentia mei?*

Malach. 1. 6. *Apud te est condonatio, sed ut reverearis*, Psal. 130. 4.

IV. Subscribimus proinde Adversario, eum etiam inter alios mortis Christi finem esse, ut redimeremur ab omni iniquitate, ut ex hoc seculo eriperemur, & redimeremur ex vana conversatione Patribus tradita, & mundaremur conscientiâ à mortuis operibus ad serviendum Deo viventi. *Tit.2.14. Gal.1.4. 1.Pet. 1. 18. Heb.9. 14.* Sed interim non ferimus istam argumentationem. Qui ab iniquitatibus redempti sunt, item â vana conversatione illi non sunt redempti, ex manibus justitiæ Dei, vel, pro illis non est morte Christi satisfactum. Quia opponuntur quæ sunt subordinanda. Distinguendum scilicet est inter finem mortis Christi principalem & minus pricipalem. Principalis finis mortis Christi est liberatio à morte æterna, & satisfactio justitiæ divinæ. Minus principalis, ut nos redimeret à vana conversatione &c, Qui sanè finis non destruit principalem, sed eum supponit.

V. Tantum ergo abest ut sententia Orthodoxa de satisfactione Christi peccandi sit illecebra, ut omnis pietatis sit stimulus. Qui enim novit se à Christo tantis affectum beneficiis, ut se redemerit à potestate diaboli peccati, à miseria, quî tam vaecors & protervus esset, ut se in ea rursus præcipitaret mala, in quibus sibi certò certius perundum non ignorat? Imò verò, quis tantâ beneficiorum Christi magnitudine ad debitam non stimuletur gratitudinem? Maximè, cùm nemo hanc satisfactionem tutò sibi applicare in individuo queat, nisi qui illud probè animo infixum suo tenet, Christum non tantùm factum esse nobis à Deo justitiam, sed etiam sanctificationem. *1. Cor. 1. 30.* Et non esse satisfactionis ejus participes, nisi qui sanctimoniâ Deo placere student. Nec finis mortis Christi est, ut peccatum in nobis foveat, sed potius ut corpus peccati in nobis destruat. Quibus se ita habentibus, cuivis liquidò apparet, quàm protervè scripserit Catechetes, opinionem nostram de satisfactione Christi esse perniciosam.

Quæst. 18. *Qua nam verò ratione hanc suam opinionẽ tuentur?*

Resp. *Conantur primum ratione quadam efficere, deinde scriptura auctoritate.*

Quæst.

Quæst. 19. *Quæ verò hæc ratio est.*

Resp. *Ajunt in Deo justitiam & misericordiam esse naturalem. Ut verò est misericordiæ peccata remittere, ita ajunt justitiæ esse proprium, quodvis peccatum punire. Cum verò Deus vellet, ut misericordiæ ipsius & justitiæ simul satisfieret, eam rationem invenit, ut Christus loco nostri mortem perferret, atque eo modo justitiæ Dei satisfaceret, atque sic à natura humana satisfieret Deo, quâ offensus fuerat.*

Quæst. 20. *Quid verò ad eam rationem respondes?*

Resp. *Ea ratio speciè plausibilis est, reipsa tamen neq; veri neq; solidi quidquam habet. Etsi enim nos fateamur, & hinc summi voluptate afficiamur, Deum nostrum esse misericordem mirum in modum & justum, tamen eam misericordiam & justitiam, qualem hîc Adversarii nostri volunt, negamus Deo in esse naturaliter. Nam quod attinet ad misericordiam, eam Deo non ita natura inesse, ut isti sentiunt, hinc patet, quòd, si naturâ Deo inesset, non posset Deus ullum peccatum prorsus punire: atque vicissim, si ea justitia naturâ Deo inesset, ut illi opinantur, nullum peccatum Deus remitteret, sed semper illud puniret. Adversus enim ea, quæ Deo insunt natura, nunquam potest quidquam facere Deus. Exempli causa, cum sapientia insit Deo naturâ, nunquam contra eam quidquam* Deus *facit, verùm quæcuncque* Deus *facit, facit sapienter. Verùm cùm* Deum *constet remittere peccata, & punire quando velit, apparet,* Deo *ejusmodi misericordiam & justitiam, qualem illi opinantur,*

non inesse naturâ, sed esse effectus ipsius voluntatis. Præterea eam justitiam, quam Adversarii misericordiæ opponunt, quâ Deus *peccata punit, nusquam literæ sacræ hoc nomine justitiæ insigniunt; verùm iram & furorem* Dei *appellant, imò justitiæ* Dei *hoc in scripturis attribuitur, cum* Deus *peccata condonat*, 1. Ioh. 1. 9. Rom. 3. 25, 26.

Quæst. 21. *Quæ verò tua est ea de re sententia?*

Resp. *Ea nimirum, cùm eam misericordiam & justitiam, quas adversarii inesse* Deo *naturâ opinantur,* Deo *non inesse naturâ docuerimus, nullo modo opus fuisse eâ ratione, quâ misericordiæ isti & justitiæ satisfieret, & quâ veluti temperamento quodam in* Deo *interse conciliarentur. Equidem non diffitemur, justitiam esse* Deo *naturalem, verùm eam quæ rectitudo nominatur, & pravitati opponitur: Atque ea quidem in omnibus* Dei *operibus elucet, unde eadem omnia justa & recta & perfecta apparent, idque non minus cum* Deus *peccata remittit, quàm cum eadem punit.*

I. Accedit jam adversarius ad examinanda rationum nostrarum momenta; quibus satisfactionem Christi vice nostri præstitam propugnamus. Primum autem argumentum petimus à justitia Dei essentiali, quæ in Deo est virtus & facultas naturalis, ex semetipso & proprio motu quamque innocentiam ac justitiam amans inque ea acquiescens, & vitâ æternâ illam recompensans. E contra verò omnem noxam & injustitiam ex inclinatione naturali abominans, eandemque morte æternâ sine indulgentia quovis tempore puniens; & quovis loco in omnibus vindicans.

II. Ob hanc justitiam Deo ita naturalem, negamus, Deum nullâ satisfactione acceptâ potuisse peccata remittere; adeoque si peccatum remittendum fuit quibusdam, satisfactione intercedente

dente id fieri debuit; cùm autem illi quibus peccata remitti debebant, satisfaciendo ipsi non essent, Christi satisfactio eorum loco & vice fieri debuit. Hanc sententiam. Catechetes vocat *specie plausibilem, reipsa tamen neque veram neque solidam.*

III. Quantumvis autem contra adversarium, doctrinam nostram de justitia Dei vindicatrice essentiali non tantùm *plausibilem* esse speciè, sed & reipsa *veram atque solidam* omnino esse, supra cap 1. De essentia Dei ad quæstion. xi. abundè probaverimus, atque ad cavilla principaliora responderimus; methodi tamen causa, denuò expendere libet, an verùm sit quod scribat, sententiam scil. nostram de satisfactione, Essentiali Dei justitiæ innixam, plausibilem esse speciè, sed nihil quidquam veri vel solidi habere.

IV. Opponimus ergo dogmati scholæ Socinianæ fervidè contendenti, Deum nobis ignoscere jure potuisse, nullâ pro peccatis nostris verâ satisfactione acceptâ, ipsam justitiam Dei in verbo Dei ita explicatam, ut qui dixerit, Deum peccata impunita dimittere posse, hoc ipso neget Deum esse. Si Deus enim potest peccatum non velle punire, potest etiam peccatum non odisse, quia odisse est velle punire: Si potest peccatum non odisse, potest peccatum amare; si potest peccatum amare, potest se ipsum negare, posset velle non esse bonus, non esse justus, & ut uno verbo dicam, posset velle non esse Deus, hoc est seipsum destruere.

V. Audi enim Mosen Exod. 34. 6, 7. *Jehova nullo pacto absolvit sontem, visitat iniquitatem Patrum in Filios* &c. Paulum Rom. 1. 32. *Qui* τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, *nempe quod qui talia faciunt, digni sint morte.* Et Rom. 2. 5, 6, 7. *Pro duritie tuâ, & corde, quòd resipiscere nescit, ipse tibi thesaurum recondis iram, in diem iræ, & justa revelationis justi judicii: qui reddet unicuique secundùm opera ipsius. Iis quidem qui secundùm permanentiam* (καθ' ὑπομονὴν) *boni operis quærunt gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, vitam æternam: Rixosis autem & veritati quidem non assentientibus, obsequentibus autem injustitiæ erit excandescentia ira.* Et Rom. 3. ℣. 5, 6. *Num injustus Deus, qui infert pœnam? absit; alioqui quomodo judex erit Deus mundi?* 2. Thess. 1. v. 6. *Iustum est apud Deum vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem.*

VI. Audi & Johannem Apoc. 16. 5. 6. *Iustus es Domine, qui es, qui eras, & qui eris, quòd hæc judicaveris. Quoniam sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & san-*

sanguinem eis dedisti ad bibendum, digni enim sunt Et Apoc. 19. v. 11. *Vidi cœlum apertum & ecce adfuit equus albus, & qui insidebat ei vocabatur fidelis & verax; & qui justè judicat.* Quæ & similia divinarum, literarum dicta satis superque docent, talem in scripturis Deo tribui justitiam, quâ ita suum cuique tribuit, ut in bono permanentibus, gratia, gloria, pax & vita æterna concedatur, à bono verò ad malum deflectentes, afflictio, angustia, ira & exitium æternum maneat.

VII. Ut justitiam Deo essentialem neget, oppositam ei misericordiam Dei adoritur hoc discursu: *Nam quod attinet ad misericordiam, eam Deo non ita naturâ inesse, ut isti sentiunt, hinc patet, quòd, si naturâ Deo inesset, non posset Deus ullum peccatum prorsus punire.* Ratiocinatio eadem est cùm illa. Quod est essentiale, id naturali ductu fertur erga omnes. Atqui misericordia est Deo essentialis. Ergo indifferenter fertur erga omnes. Sed responsio facilis: Ad majorem enim per limitationem respondetur. Quod ita est essentiale, ut non simul sit voluntarium, illud indifferenter fertur erga omnes. Atqui misericordià sic est Deo essentialis. Negatur ista minor. Nam misericordia ita est Deo essentialis, ut simul sit voluntaria. Enstasin fero ab omnipotentia Dei, quæ sanè Deo est essentialis, & tamen ea non indifferentur fertur ad omnia objecta, quia Deus non facit quicquid potest, sed quicquid vult. Sic ergo res quoque habet in misericordia; adeo ut verum sit illud; *miseretur quorum vult, quem verò vult, indurat.*

VIII. Ergo in fumum abit iste Adversarii discursus, quo dicit, si Deo natura inesset misericordia, tum Deus nullum prorsus peccatum punire posset. Quia ita misericordia est essentialis, ut illud quod est essentiale à voluntate quoq; pendeat & dirigatur. Sic homini naturale est loqui, ridere, & tamen nec semper, nec ad omnia objecta ridet, loquitur; sed ad intellectus & voluntatis regimen modo ridet, modo non ridet, modo loquitur, modo silet: & causa naturalis, quæ cum voluntate conjuncta est, non semper agit ad extremum virium suarum.

IX. At *inquies:* Misericordiam non esse essentialem Deo hinc liquet. Quia id quod est essentiale Deo, non potuit non esse. At misericordiæ ea est ratio, ut potuerit non esse. Nam dato, non futuram fuisse creaturam miseram, ultrò sequitur, Deum etiam non futurum fuisse misericordem, & proinde non futuram fuisse in

Deo

Deo misericordiam. Sed *Respond.* Misericordiam, non fuisse futuram, quoad *nomenclaturam*, sed futuram fuisse, quoad *rem* ipsam. Quia Misericordia attributum Dei *relatum* est, cujus *absolutum* est, Dei bonitas. Omnia enim relata in absoluto aliqua fundantur. Adeoque Deus, si in tempore non futura fuisset misera creatura, misericors quoad nomenclaturam & relationem ad objectum dici non potuisset, futurus tamen fuisset bonus, quæ bonitas fundamentum est misericordiæ.

X. Misericordia ergo respectum dicit ad creaturam miseram non tantum, quæ est, vel futura fuit, sed etiam quæ possibilis erat. Prout enim Dei potentia futura fuisset etiamsi nihil Deus condidisset, quia Deus potuit semper condere hæc, quæ condidit, atque ita, quemadmodum potentiam nemo dixerit non potuisse non esse, si res conditæ non fuissent. Ita & etiamsi actu non fuisset misera creatura, futurus tamen fuisset Deus misericors, etsi non quoad hanc *nomenclaturam*, tamen quoad *rem*, quia futurus erat bonus, quæ bonitas ab objecto misero, si futurum fuisset, & ea bonitas circa illud occuparetur, misericordia dicenda erat.

XI. Et si quis existimet, misericordiam non esse de Dei essentia, quia non habuit objectum miserabile ante hominis lapsum, is sciat, scripturam misericordiam & charitatem pro synonimis in Deo habere. In Hebræo est רחם mirè dilexit, mirificè adamavit, summo ac intimo amoris affectu dilexit, tactus est viscerum commiseratione *Psal.103.13.* De misericordia explicatur: *Quemadmodum Pater miseretur super filios ita misertus est Dominus.* &c. Rom.5.8. *Commendavit Deus ἀγάπην, charitatem suam, quòd filium suum miserit & dederit in mortem.* Eph.2.4. *Deus qui dives est in misericordia propter nimiam suam ἀγάπην, quâ dilexit nos, convivificavit nos cum Christo.*

XII. Charitas itaque illa, quæ est de Dei essentia, siquidem Deus est charitas *1.Ioh.4.8.* appellatur misericordià, quatenus lapsum hominis respicit, quæ misericordia in ultimo die, ubi peccati amplius locus non erit, nec commiserationis, appellabitur mera Dei charitas. Sicut quoque in homine est unus affectus: qui respectu diversorum objectorum diversimodè appellatur, respectu objecti φιλητȣ̃ vocatur amor & charitas, respectu verò objecti ἐλεεινȣ̃ vocatur misericordià,

XIII. Nec obstat, quod mi-

sericordia accipiatur pro effectu Dei, quo minus illa essentiale attributum Dei esse possit. Quia equidem verùm est, quatenus misericordia sumitur pro effectu misericordiæ Dei, eatenus attributum Dei essentiale non est, sed quatenus sumitur pro ipsa causa istius effectus, eatenus certè est essentialis Dei proprietas. Quòd enim pro effectu aliquando sumatur, non gravatim damus, sed quòd semper hoc sensu pro effectu accipiatur, negamus. Sic *Exod. 20. 6.* pro effectu misericordiæ sumitur. Sed alibi scriptura expresse distinguit misericordiam ab effectu ejus, idque vel utendo æquipollente voce pro misericordia, vel etiam expressâ voce misericordiæ. Æquipollenti utitur in his & similibus. *Joh. 3. 16.* Sic *Deus dilexit mundum ut Filium unigenitum dederit.* Rom. 5. v. 8. *Commendat Deus suam charitatem erga nos, eò quòd cum adhuc essemus peccatores Christus pro nobis mortuus.* His locis misericordia exprimitur voce æquipollente, nimirum dilectionis & charitatis, quibus contradistinguitur effectum misericordiæ, nimirum, datio filii unigeniti & mors Christi.

XIV. Expressa autem voce misericordiæ utitur Sp. S. eique effectum à misericordia profectū contradistinguit, ut passim, ita Luc. 1. 50. *& cujus misericordia in omnes ætates parata est timentibus eum* *vs.* 54. *suscepit Israëlem puerum suum, ut memor esset misericordiæ.* vers. 72. *Ut uteretur misericordiâ erga Patres nostros, ac memor esset fœderis sui sancti.* vers. 78. *Ex intima misericordia Dei nostri, quâ invisit nos, is, qui prodit exalto.* Et in Epist. ad *Tit. 3. 5. Sed ex sua misericordia servavit nos.* Quibus locis expresse ea probatur distinctio quam dedimus, nimirum, voce misericordiæ aliquando notari effectum misericordiæ, aliquando verò misericordiam ut causam suo effectui contradistinctam, ac priori quidem sensu non esse attributum Dei essentiale, sed posteriore omnino.

XV. Tantum ergo abest, ut misericordia Dei oppositam naturalem justitiam evertat, ut potius eam solidissimè stabiliat. Ita enim ex roborata thesi argumentor? Si misericordia in Deo est naturalis, ergo & justitia naturalis sit oportet. Ratio consequentis est, quia utraque circa peccatum occupatur, altera sc. circa peccatum puniendum, altera circa condonandum. Antecedens ab iis quæ prolixè jam dicta sunt liquet. Consequenter illatio adversarii nulla dicentis: *Si misericordia Dei inesset naturâ, non posset Deus ullum peccatum prorsus punire,* Sed omniū Deus necessariò misereretur, omnia necessariò remitteret.

Quia

Quia, ut dictum, falsa hypothesis supponitur, attributa naturalia operari ad extra necessariò; cùm actus eorum ad extra se non necessariò exserant, ut ab enstasi potentiæ Dei, quæ Deo essentialis est liquidò est ostensum.

XVI. Ab opposito non satis feliciter cessit argumentum. Quomodo justitiam istam essentialem directè oppugnet, videamus. Dicit: *Si ea justitia Deo natura inesset, nullum peccatum Deus remitteret, sed semper puniret.* Sequela in ratiocinatione ista nulla planè, quia ut dictum est, non continuò si aliquod attributum Dei sit essentiale, oportet illud necessariò effecta ad extra producere. Quod enim Deus pro benignitate suâ peccata condonet, hoc non fit ex natura justitiæ suæ propria, sed ex satisfactionis Domini nostri Jesu Christi dignitate & efficacia, cujus respectu Christus his omnibus, qui ex foro justitiæ rigidæ ad se confugiunt, & fide sibi inserti sunt, umbraculi instar est, sub quo tutissimè illis degere licet, à justitiæ Dei rigore.

XVII. Ergo infinitè severus & justus nullum peccatum remittit, si absolutè consideretur, secundùm justitiam suam, ratione justitiæ absolutè consideratæ. Quod enim peccata remittit id provenit ex temperamento justitiæ & misericordiæ divinæ, propter Christi satisfactionem interpositam, quam quia Smalcius negat, ideo tam absurdè argumentatur: *Si ea justitia naturâ Deo inesset, Deus nullum peccatum remitteret*, ex quo potius contrarium inferri debuit.

XVIII. Nam, si Deo justitia non esset naturalis, tum non modò in peccata majora & enormia, sed nec minima animadverteret, neque ullum peccatum puniret. At verò justitia cùm magnum ad peccata habeat respectum, & puniat non saltem maxima, sed etiam ea, quæ hominibus videntur minima peccata, consequitur sanè, justitiam peccata punientem in ipso esse naturalem.

XIX. Ad rem non facit, quod scribit: *Adversus enim ea quæ Deo in sunt naturâ, nunquam potest quicquam facere Deus.* Quia contra naturam justitiæ suæ ageret Deus, si peccata absque satisfactione remitteret. Cum autem Deus peccata remittit acceptâ satisfactione, utique quod naturæ justitiæ suæ conveniens est agit. Si enim satisfieret justitiæ suæ, satisfactionem & obedientiæ & pœnæ exigenti, peccatum verò nihilominus irremissum maneret, contra naturam justitiæ suæ ageret Deus. Sapientiæ Dei ut quæ oppositam non habet insipientiam, alià est ratio, quia scilicet in nullo

planè tertio possunt convenire, neque aliquod inter eas temperamentum vel inveniri vel excogitari.

XX. Altera ratio quâ adversarius impugnat thesin nostram de de justitiâ puniente Deo essentiali est, dum dicit: *Praterea, eam Justitiam, quam adversarii misericordia opponunt, quâ Deus peccata punit, nusquam litera sacra hoc nomine justitia insigniunt, verùm iram & furorem Dei appellant.* Falsum esse quòd dicit, ex eo liquet. Quòd scriptura sacra tribuat Deo justitiam illam, quâ ipse suum cuique tribuit. At hæc non tantùm in elargiendis præmiis, sed etiam in vindicandis sceleribus & puniendis peccatis consistit.

XXI. Non cumulabo dicta, sed pauca ut adversarium falsitatis convincam, citabo. *Act.* 17. *vers.* 31. *Deus statuit diem, quo justè,* (s. in justitia) *judicaturus est orbem terrarum, per eum virum quem constituit.* Quo in loco, nomine justitiæ, significari justitiam illam, quâ pii præmiis, impii autem pœnis afficiendi, nemo dubitare potest, veritatem assertionis clarè confirmante, tum loci contextu, tum Christo ipso. *Math.* 25. 33, 34. & seqq. Et *Rom.* 1. 31. *Gentes cognoscent hoc esse Dei jus, quod qui talia faciunt, digni sint morte.* Ubi sanè nemo ullâ vel speciè veri dixerit τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, per severitatem, iram, furorem verti debere.

XXII. Sic *Rom.* 2. 5. 6. *Ipse tibi thesaurum recondis in diem ira & revelationis* justi *judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ipsius.* Quo in loco non modò justitia illa vindicatrix Deo tributa, enunciatur voce δικαιοκρισίας; sed etiam opponitur divitiis bonitatis & tolerantiæ divinæ. vers. 5.

XXIII. Et *Rom.* 3. 5. 6. *Quod si injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Num injustus Deus qui infert pœnam? absit, alioquin quomodo judex erit Deus mundi?* Ubi Apostolus pænas, quæ ob peccata infliguntur hominibus, disertè nominat justitiam Dei. 2. *Thess.* 1. 6, 7. *Iustum est apud Deum vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem. Vobis verò qui affligimini, relaxationem nobiscum, in revelatione Domini Iesu de cœlo. Apoc.* 16. 5. & 19. 11. 15. Vindicatrix illa justitia Dei, quæ clarè cernitur in pœnis, quæ infliguntur impiis & incredulis, disertè Deo tribuitur, & quidem voce justitiæ rotundè expressâ. Quæ omnia scripturarum dicta innuunt duo Sociniano dogmati adversa. *Primò*, justitiam illam vindicatricem Deo disertè tribui, & quidem nominæ justitiæ expressam. *Secundò*, justitiam Dei vindicatricem

cem in scripturis manifestè opponi divinæ misericordiæ.

XXIV. A quibus liquet, quàm falsò adversarius dicat, istam justitiam vindicatricem nomine justitiæ non insigniri in scriptura, sed tantùm nomine iræ & furoris venire. Ita est, venit nomine iræ, furoris, sed tum impropria est loquutio, per metonymiam scilicet antecedentis & consequentis, proprio verò nomine ut ostensum, justitia vocatur.

XXV. *Imò* inquit Adversarius, *justitia Dei in scripturis hoc attribuitur, cum Deus peccata condonat*, 1. Joh. 1. 9. *Si confiteamur peccata, fidelis & justus est Deus; ut remittat nobis peccata*. & Rom. 3. 25, 26. *Ut sit ipse justus & justificans eum qui est ex fide Iesu*. Ignoratio elenchi. Quia dubium nullum est, vocem justitiæ aliquando latâ significatione accipi, quâ scilicet non tantùm intelligitur retributio pænalis pro peccatis commissis, sed etiam dispensatio præmii gratuiti ratione fidelium.

XXVI. Expendendæ sunt præter has & aliæ Socinianorum ratiunculæ, contra essentialem istam Dei justitiam. Dicunt: Punire quempiam, & peccata ulcisci in Deo non esse naturale, sed voluntatis effectum, qui in scriptura non simpliciter vocetur justitia, sed severitas, ira, vindicta. Quod quidem libenter à nobis conceditur, malorum scilicet pænam & vindictam actiones esse sive effectus voluntatis divinæ, at non ejusmodi voluntatis, quæ in Deo tantùm sit accidens, ab extra & aliunde promanans: Sed quæ potius simpliciter, & per se in Deo naturalis sit justitia, seu proprietas ex naturali Dei justitia proveniens: & tali modo largimur esse effectus & actiones naturales, ex ipsa justitiæ divinæ natura promanantes. Vocantur ergo ira, vindicta, &c. ratione principii *à quo*, non ratione termini *ad quem*.

XXVII. Quod contra Socinum tali adstruitur argumento: Qualis ex natura quispiam est propriè, tales etiam res secundùm naturæ suæ proprietates vult & agit. Nam talis actio & voluntas, naturalis sunt effectus ex naturæ proprietate proveniens. At Deus qui in semetipso ex natura sua est justus, bonorum amans, & malos abominatur, ex natura sua malum ferre nequit. Ergo mali pœna, ejusque ultio, in Deo naturales sunt ipsius justitiæ effectus, & actiones, quæ licet ipso actu in Deo non sunt, attamen ex natura ipsius propriissimè procedunt.

XXVIII. Ineptum ergo est illud Socinianorum argumentum: Effectus non potest esse causa,

qualitas f. de essentia alicujus rei. Justitia est effectus Dei. Ergo. Quia ad majorem respondetur. Eandem rem & causam & effectam diverso respectu dici; cùm relata sint sibi mutuo causæ; Ad Minorem verò distinguendo, inter δύναμιν, & actum δυνάμεως. Δύναμις est vis & jus puniendi; actus δυνάμεως est actus & exercitium istius juris. Hoc posterius est effectum justitiæ Dei, & non est naturale attributum Dei; sed prius causa est istius actus, & principium à quo actus & exercitium provenit, quod sanè principium est Deo naturale & essentiale.

XXIX. Quid ad quæst. 21. respondendum sit vide supra cap. 1. de Essentia Dei quæst. 11. th. 34. 35. nimirum, mancam planè per eam explicationem in Deo statui justitiam, ut quæ alteram tantùm justitiæ distributivæ partem dicit, quâ scilicet remunerat, eam verò quâ punit, dissimulat. Quia eam misericordiam & justitiam, quàm utramque Deo essentialem esse à nobis demonstratum est, ex falsis suis præmissis impudenter negat.

XXX. Ego contrarium infero. Cum demonstratum sit, justitiam & misericordiam Deo esse essentialem, opus fuisse eâ ratione quâ misericordiæ illi & justitiæ satisfieret: & quâ veluti temperamento quodam in Deo inter se conciliarentur. Quanquam non obscurè victas det manus ultimis quæstionis verbis: *Equidem non diffitemur, justitiam esse Deo naturalem, verùm eam quæ rectitudo appellatur & pravitati opponitur, atque ea quidem in omnibus Dei operibus elucet, unde eadem omnia justa & recta, & perfecta apparent, idque non minus cum Deus peccata remittit.* Si enim ea justitia, quâ tum peccata remittit, tùm ea, quâ peccata punit, Deo est essentialis, Ergo frustra eam hactenus impugnavit, quocunque ea nomine appelletur, modo res ejus sit in Deo, evincetur, Deum non potuisse remittere peccata, nullâ intercedente satisfactione, sed ea necessariò punire.

Quæst. 22. *Quæ verò scripturæ è quibus illi opinionem suam adstruere conantur?*

Resp. *Eæ, quæ testantur Christum vel* pro nobis, *vel pro peccatis nostris mortuum; Deinde quòd nos redemit, aut dedit semetipsum & animam suam redemptionem pro multis:* tum

tum quod noster mediator est: Porrò quod nos reconciliavit Deo, & sit propitiatio pro peccatis nostris: denique ex illis sacrificiis, quæ mortem Christi ceu figuræ adunmbrarunt.

I. Ita est, omnes istæ scripturæ phrases & modi loquendi invictum nobis suppeditant pro justitia Dei essentiali, pro satisfactione illi præstita, argumentum. Libet cum Adversario experiri, num quid roboris argumento isti insit: & an frivolis, exceptionibus, quibus illud eludere satagit, elidatur.

II. Ergo sic argumentamur. 1. Qui *pro nobis* est mortuus, ita, ut pro peccatis nostris mortem oppetierit *demeritoriè* διὰ τὰ παραπτώματα, pro hominibus *substitutive* ὑπὲρ αὐτῶν, h. e. non tantùm *eorum bono*, sed etiam *eorum loco* mortuus est. Item: Qui sic pro nobis mortuus est, ut propter peccata nostra, debitam illis maledictionem sustinuerit, pro nobis factus execratio *Gal. 3. vers. 13.* ut peccatum, sive victima piacularis pro nobis sit factus *2. Cor. 5. vers. 21.* ut eo uno pro omnibus moriente omnes mortui in illo censeantur *2. Cor. 4. vers. 14, 15.* ut non solum ὑπὲρ ἡμῶν *Rom. 5. vers. 8.* sed etiam ἀντὶ ἡμῶν, dicitur passus, mortuus, ille revera justitiæ Dei pro nobis satisfecit. Atqui &c. Ergo.

III. Deinde: Qui non tantùm simpliciter pro nobis dicitur mortuus, sed ita mortuus, ut mors ejus dicatur redemptionis pretium Deo nobis offenso solutum; ille justitiæ Dei pro nobis satisfecit, Atqui &c. Ergo. Porro. Qui nos redemit non metaphoricè, sed propriè, cujusque redemptionis pretium non metaphoricè sic dictum, sed proprie tale in scriptura describitur, ille censendus est justitiæ Dei pro nobis satisfecisse. Atqui &c. Ergo.

IV. Ad hæc. Qui noster est apud Deum mediator & sponsoris suscepit vices, nosque Deo nostro, nobis propter peccata irato propitiavit, is Deo nostro pro nobis satisfecit & vice nostri præstitit quod à nobis præstandum erat. Atqui Christus, fatente Adversario est mediator &c. Ergo. Denique à sacrificiis veteris testamenti firmum pro hâc re ducitur argumentum. Nimirum, si pecudes sacrificandæ vice hominum mactabantur & typicè expiabant peccata, & satisfactionis typicæ loco essent. Multo magis id verum erit in sacrificio Christi, illis sacrificiis adumbrato, nisi quis statuere velit, plus fuisse in typo, quàm in antitypo, & sacrificià

habuisse corpus, Christum verò umbram, contra quàm docet spiritus S. *Colloss. 2. 17.*

V. Primo loco autem urgemus ea scripturæ loca, quibus Christus dicitur mortuus *pro nobis*, ut cum dicitur Christus Joh. 10. 15. *posuisse animam pro ovibus* Rom. 8. 32. *Traditus* pro nobis *omnibus*. Gal. 2. 20. *Qui tradidit semetipsum* pro me. Eph. 5. 25. *sicut Christus dilexit Ecclesiam & exposuit semetipsum* pro ea 1. Tessal 5. 10. *Qui mortuus est* pro nobis. 1. Tim. 2. 6. *Qui seipse dedit redemptionis pretium* pro *quibusvis*. Tit. 2. 14. *Qui dedit semetipsum* pro *nobis*. 1. Joh. 3. 16. *Quod ille animam deposuit* pro *nobis*. Matt, 20. 28. *Dedit animam in redemptionis pretium* pro *multis*. 1. Pet. 3. v. 18. *Christus semel* pro *peccatis passus fuit*.

VI. De harum & consimilium loquutionum sacrarum sensu genuino inter Nos & Socinianos disceptatur. Nostrorum Theologorum certa est assertio, dictis loquendi formulis clarè doceri, Christum justitiæ divinæ pro peccatis nostris sufficientissimè satisfecisse, & Deo id solvisse, quod nos ob peccata nostra solvere debuissemus, & vice omnium nostrum ignominiosissimam crucis mortem sustinuisse. Quia secundùm communem scripturæ loquendi modum, *pro* peccatis pati & mori, nihil aliud est, quàm propter peccata vel à se admissa, vel in se recepta puniri, ita ut peccata à nobis vel ab aliis admissa, sint quasi causa efficiens talis pœnæ. Ergo cùm Christus *pro* peccatis sit mortuus, consequens est, eum peccatorum nostrorum pœnas in se recepisse & passum esse.

VII. Non autem argumentamur ex particula *pro* grammaticè, quam non nescimus posse varias causas significare; sed ex particula *pro*, in tali materia, in qua necesse est causam efficientem significari. Adhibetur particula *pro* & Græca ὑπὲρ, non raro ad utilitatem duntaxat alteri significandam, quo sensu Petrus dicit: *se positurum animam* pro *Christo*. Joh. 13. 37. & Paulus dicit se pati *pro* Colossensibus *Coloss. 1. 24.* Et nostri est officii ponere animam *pro* fratribus. *1. Joh. 3. 16.* At verò hic usus non est solus & perpetuus istius particulæ. Eam enim particulam *pro*, & Græcam ὑπὲρ, frequenter idem significare quod *loco, vice*, è dictis scripturarum manifestum ponam.

VIII. Pauca, ut fidem liberem, producam. *2. Sam. 18. vers. 33. Utinam* pro te *mortuus essem fili mi.* Rom. 5. 7. *Vix* pro *justo quis moriatur.* 2 Cor. 5. 14. *Si unus* pro *omnibus, certè omnes mortui sunt.* Qui est locus ἐμφατικώτατος. Nam si Christus vice omnium mortuus non

non fuisset, nullâ veri specie diceretur, mortuo Christo omnes mortuos esse. Sic Paulus optat ἀνάθεμα esse ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, hoc est, vice Judæorum *Rom.* 9. v. 3.

IX. Et scriptura in hoc sublimi mysterio non tantùm usurpat particulas διὰ & ὑπὲρ, quæ ambiguitati sunt obnoxiæ, sed etiam adhibet particulam ἀντὶ, quæ toties substitutionem & vicem ac commutationem significat, quoties oppositionem non denotat. Sic *Matt.* 20. 28. *Marci* 10. 45. Filius hominis venit ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Certissimum autem est, ut dictum, voculâ istâ commutationem indicari. Sic prohibemur reddere κακὸν ἀντὶ κακοῦ *malum* pro *malo* Rom. 12. 17. 1. Pet. 3. 9. Lex jubet ut reddatur ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδοὺς ἀντὶ ὀδόντος Math. 5. 38. *Oculus* pro *oculo*, *dens* pro *dente*. Pater bonus negatur dare ὄφιν ἀντὶ ἰχθύος *Serpentem* pro *pisce* Luc. 11 11. Et quando personis vox ista applicatur, alterum in alterius locum successisse significatur. Sic Archelaus dicitur regnasse in Judæa ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ pro *Herode Patre suo*, id est loco & vice Patris sui.

X. Nec absolutè veritas sententiæ nostræ istis particulis superstruitur, sed phrasibus & modis loquendi talibus, quæ rem ipsam nostro sensu luculenter exprimunt. Nam Christus ita dicitur passus *pro nobis* ut passione suâ dicatur pretium exsolvisse *pro nobis* Matt. 20. v. 28. *filius hominis venit ut animam suam daret* λύτρον ἀντὶ πολλῶν, & 1. Tim. 2. 6. *Christus dedit semetipsum* ἀντίλυτρον ὑπὲρ αὐτῶν. Hinc spiritus sanctus Christum ita dicit mortuum *pro* nostris peccatis, ut ea in se verè transtulerit & derivârit Esa. 53. 6. *Iehova conjecit in eum peccata omnium nostrum* 2. Corinth. 5. v. 21. *Qui non novit peccatum pro nobis factus est peccatum.* 1. Pet. 22. v. 4. *Pertulit peccata nostra in corpore suo.*

XI. Denique docet spiritus S. Christum ita passum pro nobis & peccatis nostris, ut nos passione & morte liberatos esse dicat à peccatis, mortis, Diaboli captivitate, atque adeo irâ divinâ. Esai. 53. 5. *Vibicibus ejus sanati sumus* Heb. 2. v. 9. 14, 15. *Christus* χάριτι θεοῦ *pro omnibus gustavit mortem, ut per mortem aboleret eum, penès quem est mortis robur, id est, Diabolum, & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam damnati erant servitutis.* 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato.* 2. Cor. 5. 21. Factus est pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in eo. Ex his jam omnibus liquet, quo sensu Christus dica-

catur pro nobis mortuus, nimirum ita mortuus, ut Christi sanguis fuerit verum pro peccatis λύτρον & quòd Christus vice nostri mortem ignominiosam crucis subierit.

Quæst. 23. *Quid ad hæc loca respondes?*

Resp. *Quod attinet ad illa testimonia in quibus habetur Christum pro nobis mortuum, ex eis satisfactionem necessariò adstrui non posse, hinc manifestum est, etiam nos pro fratribus animas ponere debere* 1. Ioh. 3. 16. *& Paulus de se scribat* Nunc gaudeo in afflictionibus meis *pro vobis* & suppleo reliquias afflectionum *pro* corpore ejus, quod est Ecclesia. *Colos.* 1. *v.* 24. *Certum autem est nec fideles pro fratribus cuiquam satesfacere neque Paulum cuiquam pro Ecclesiâ satisfecisse.*

I. Provoco hic ad eam regulam, quâ Smalcius plura scripturæ loca voluit esse commentarium pauciorum, sive, quâ dixit pauciora interpretari debere per plura. Hâc regulâ ejus obtinente cadit causâ Adversarius eò quòd multò plura loca producta sint à nobis quibus τὸ *pro* sumitur substitutivè pro *vice* & *loco* quàm eò sensu, quo Smalcius voculam istam acceptam contendit.

II. Concessimus etiam in antecedentibus, particulam *pro* aliquando significare causam finalem & utilitatem alterius; sed eam esse perpetuam istius particulæ significationem negavimus. Quia quando de Christo usurpatur, quòd *pro nobis* passus sit, significat, non tantùm causam finalem, sed vicem quoque, propter materiæ subjectæ naturam. Pati enim *pro* aliquo ut liberes eum, est loco ejus pati *Rom.* 5. 7. mori *pro* justo, hoc est, loco justi. Damus ergo facilè in illis locis quibus non agitur de merito Christi, particulam pro non notare *vice*, *loco*, sed iis, quæ de Christo agunt omnino. Quia in his subjecta materia id requirit, non item in illis.

III. Hinc consequentia responsionis Adversarii nulla, particula *pro* 1. *Joh.* 1. 16. & *Colloss.* 1. 24. non potest intelligi *vice & loco*; ergo

ergo etiam istis non potest quæ aliàs ob Orthodoxis ad probandam satisfactionem producuntur. Et subest ratio aperta, cur neutro istorum locorum τὸ *pro* possit habere significationem τ̃ *vice* & *loco*.

IV. Quod enim attinet locum, *1. Joh. 3. 16.* quo dicitur, *nos debebere animas nostras ponere pro fratribus. quòd ille animam pro nobis deposuerit*, hoc loco, posteriori tmemate, *pro* non posse vicem notare clarum est. Quia scriptura sensu valde dispari contendit Christum *pro nobis* mortuum & nostri vicissim officii esse, pro fratribus mori. Etenim fratres nostri sanguine nostro Deo reconciliari non possunt, nos verò per mortem Filii Dei sumus reconciliati *Rom. 5. 10.* Non potest frater fratrem à peccatis liberare sanguine suo, nec ipsum Deo per mortem suam consecrare, Christus autem sanguine suo peccata nostra expiavit, & nos unicâ oblatione Deo in perpetuum consecravit, *Heb. 10. 14. 1. Jos. 1. 7. Rom. 5. 9.*

V. Hominum ergo verè Christianorum est fratres ita amare, ut, si id fieri possit, bono fratrum paratissimi sint sanguinem pro ipsis fundere? Hinc tamen neutiquam sequitur, quod quis pro fratre eo modo aut pati aut mori possit, quo Christus pro nobis passus est & mortuus; alioqui frustra exclamaret Paulus 1. Cor. 1 v. 13. *Num Paulus crucifixus est pro vobis?*

VI. Quia ergo scriptura, etsi dicat, debere nos *pro* fratribus mori, non tamen uspiam docet, ita nos debere mori *pro* fratribus, ut eorum peccata in nos devolvamus, ut pro iis fiamus peccatum, ut sanguine nostro mundemus eos ab omnibus peccatis, ut morte nostrâ aboleamus eorum mortem, ut nostro sanguine justificentur &c. nequaquam phrasis illa *pro fratribus* mori, explicationem illam *vice* vel *loco* admittere potest, sed *pro* caussam tantùm finalem & utilitatem proximi significet oportet.

VII. Eadem est ratio loci ad *Colos. 1. v. 24.* ubi de Paulo dicitur, quòd patiatur *pro* Colossensibus & Ecclesia Christi. Quia illo non est passus vice Ecclesiæ ad satisfaciendum pro ea, ad *redimendam* eam, sed pro *ædificanda.* Loquitur enim ibi Apostolus de passionibus & afflictionibus, quas Christus adhuc patitur in corpore suo mystico, hoc est Ecclesia, cujus afflictiones Christus pro suis reputat Actor. 9. 4. *Saul, Saul, quid me persequeris?* quisque sanctorum supplet illas pro demenso sibi assignato. Ineptissima ergo est Adversarii sequela: Si dum frater pro fratre dicitur

animam ponere, item, dum Paulus dicitur, pati pro Ecclesia, non potest intelligi satisfactio, vel pro fratre, vel pro Ecclesia. Ergo etiam non potest intelligi satisfactio, cùm Christus dicitur animam posuisse pro ovibus suis, cum Christus dicitur mortuus *pro nobis*. Quare tam luxato incedat pede hoc argumentum, ex dictis patet.

Quæst. 24. *At horum verborum Christum* pro nobis *esse mortuum, qui sensus est?*

Resp. *Is, quòd hæc verba* pro nobis *non significent* loco *vel* vice *nostri; verum* propter nos, *uti etiam Apostolus.* 1.Cor.8.11. *expressè loquitur. Quod etiam similia verba indicant, cum scriptura loquitur* pro *peccatis nostris mortuum esse Christum: quæ verba, eum sensum habere nequeunt,* loco *seu* vice *peccatorum nostrorum mortuum esse; verùm propter peccata nostra esse mortuum ut* Rom.4.25. *manifestè scriptum legimus. Ea porro verba, Christum* pro *nobis esse mortuum hanc habent vim, eum idcirco mortuum, ut nos salutem æternam, quam is nobis cælitus attulit, & amplecteremur, & consequeremur, quod quâ ranione fiat, paulò superius accepisti.*

I. Hic scil. est genuinus phrasium illarum, quibus Christus dicitur mortuus *pro nobis* sensus, ut non *loco* & *vice* nostri, sed *propter nos* mortuus dicatur, hoc est causâ, sive occasione peccatorum nostrorum, eò quòd crebrum fit in scriptura, phrasi *propter peccata*, id significari, quod causa seu occasione peccatorum, ut 1. Reg. 14. 16. *tradidit Jehova Israelem propter peccata Ieroboam quibus peccavit & peccare fecit Israelem.* Veruntamen vanum planè est hoc effugium; quid enim cogit à propria significatione causali istius voculæ *propter* recedere? Non enim insolitum est, ut Deus peccata Magistratus imputet populo, populumque plectat propter peccata Regum, ut agnovit ipse David, qui videns propter peccatum

numerationis populi, affligi quoque subditos suos, ait: *manus tua sit adversum me, hæ autem oves quid fecerunt* 2.Sam.24. 17.

II. Nuspiam ergo in scriptura dictum reperies, quòd *pro* peccatis vel *propter* peccata passus sit aliquis, nisi eo sensu, quod ob peccata punitus sit & in compensationem peccatorum, peccatum siquidem per pœnam compensatur. Sic Levit.26. 18. *Addam plagas vestras in septuplum* propter peccata vestra. *Deut.* 15. 12. *Propter scelera eorum delebo eos.* Nec datur dissimile exemplum. Adversariorum esset proferre vel unum, quo quis propter peccata afflictus dicitur: qui non in pœnam peccatorum afflictus sit.

III. Verba *pro nobis* omnino significant idem quod *loco* vel *vice nostri*, non verò *propter nos* sive *nostri causa*. Quia non tantùm dicitur simpliciter, quòd Christus *pro nobis* mortuus sit, verum *pro nobis peccatoribus*, eo sc. sensu, quo quis dicitur affligi, pati, condemnari, cruciari *pro scelere suo.* Adeo ut secundùm usitatum scripturæ loquendi modum *mori pro peccatis*, nihil aliud sit, quàm pœnam peccatorum subire. Neque ullo scripturæ exemplo contrarium evincetur; quòd scilicet *pro peccato* aliud sit, quàm pœnam pro peccato subire. Quia in tali modo loquendi particulâ *pro*, non qualis cunceque causa significatur, sed causa efficiens, quòd sc. peccata illa pœnam efficiant.

IV. Neque nobis obest, quòd *pro* etiam causam finalem significare possit; ut cum aliquid dicimur facere *pro* regno cœlorum, significamus causam finalem, quia nimirum id facimus, ut consequamur regnum cœlorum. At verò, in subjecta materia, cum agitur de morte *pro peccatis*, nequaquam causam finalem, sed efficientem signficare potest, quia peccata sunt causa efficiens afflictionis.

V. Ut rem ab ovo excutiamus, significata voculæ *pro* varia hîc expendenda sunt. Primo autem *pro aliquo* significat *vice* aut *loco ejus*, sc. commutationem subjecti: ut Gen.47. 16, 17. *Dixit verò Ioseph, date pecora vestra & dabo vobis cibum* pro pecoribus vestris. *Adducentibus itaque pecora sua ad Iosephum, dedit eis Ioseph cibum* pro equis, *&* pro *possesso* grege, *&* pro *possesso* armento, *&* pro asinis, *ita fecit ut transigerent cum cibo isto* pro omnibus suis *annum illum.* Exod.4 v.16. *Nam alloquitur ipse* pro te *populum, ut ipse sit tibi* vice oris, *tu verò sis ei* vice Dei. Num.8. 16, 18. Ubi Levitas Deus dicitur sibi assumpsisse. Pro omni *aperiente vulvam primogenito cuiusque à filiis Israelis assumsi eos mihi. Assumpsi*

autem Levitas pro omni *primogenito, in filiis Israelis.* Hiob. 13. 5. *O si quis dares ut omnes sileretis, nam esset vobis* pro *sapientia.*

VI. Ejusdem significati est vocula *pro* Ezech 4. 6. *Quadraginta dies, unumquemque do tibi* pro anno *uno.* Math. 17. 27. ubi Christus staterem eum, quem Petrus inventurus erat in ore piscis voluit dari *pro se & pro Petro.* Matt. 20. versu 28. *Filius hominis venit, ut dares animam suam in redemptionis pretium* pro multis. Confer Marci 10. 45. Rom. 5. 6, 7. *Christus enim cum nullis adhuc viribus essemus, prastituto tempore* pro impiis *mortuus est. Enimverò vix* pro justo *aliquis moriatur; nam* pro bono viro *forsitan aliquis mori etiam sustineat. Commendat autem suam erga nos Charitatem Deus, eò quòd cùm adhuc essemus peccatores Christus* pro nobis *mortuus sit.* Gal. 3. 13. *Christus nos redemit ab execratione legis, dum* pro nobis *factus est execratio* 1. Tim. 2. 6. *Qui se dedit in redempionis pretium* pro quibusvis. 1. Cor. 11. 15. *Nam coma* pro velamine *data est ei* sc. mulieri. 2. Cor. 5. 21. *Fecit eum qui non novit peccatum, ut* pro nobis *peccatum esset.*

VII. Adeo ut his allegatis locis vocula *pro* sumatur eo sensu, quo dicitur Gen. 30. *An* loco Dei sum *sum ego, qui prohibuit à te fructum ventris.* & Gen. 50. 19. *Ne timeatis: nam* in loco *Dei sum ego?* Num 3. 41. *Et accipies Levitas mihi (ego sum Jehova)* loco *omnis primogeniti filiis Israelis* 2. Sam. 18. v. 33. *Utinam ego* tuo loco *essem mortuus fili mi Absolom.*

VIII. *Pro aliquo* 2. significat nomine, mandato, & authoritate alicujus quippiam facere, quo sensu accipitur, 2. *Cor.* 5. 20. Ubi dicitur ὑπὲρ pro Christo *legatione fungimur*, qnanquam & significationem *vice* vel *loco* Christi habere queat.

IX. *Pro aliquo* tertiò significat, propter aliquem seu propter aliquid, causaliter ut *Exod* 21. *v.* 23, 24, 25, 26. Sin autem exitium sit, tum reddes vitam *pro* vita, oculum *pro* oculo, dentem *pro* dente, manum *pro* manu, pedem *pro* pede, ustionem *pro* ustione, vulnus *pro* vulnere, tumicem *pro* tumice. Item, quum percusserit quis oculum servi sui, aut oculum ancillæ suæ, ita ut corruperit eum, in libertatem dimittito eum *pro oculo* ejus. Et si dentem servi sui, aut dentem ancillæ suæ excusserit, in libertatem demittito eum *pro dente* ejus. Confer. *Levit.* 24. 20. *Deut.* 19. 21. *Matt.* 5. 38. Sic Christus est mortuus *pro peccatis* nostris *Gal.* 1. 4. *Qui dedit semetipsum*, pro peccatis *nostris*, *Rom.* 4. 25. nempè ut pro iis expiatio esset 1. *Ioh.* 2. 2.

X. *Pro*

X. *Pro aliquo* quartò significat idem quod *juxta, secundùm* ut Ezech. 4. 5. *Ego verò do tibi annos iniquitatis illorum* pro *numero annorum*, id est, *juxta numerum* vel *secundùm* numerum & Phil. 2. 13. *Deus enim est qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum agere*, pro *gratia sua benevolentia*, id est, secundùm gratiam benevolentiæ. Quo sensu particulæ *pro* nihil frequentius est in usu communi.

XI. Quintò, *Pro aliquo*, idem est, quod in alicujus gratiam & favorem, vel ejus causâ aliquid præstare ut Job. 13. 3. *Profectò ego* pro omnipotente *loquor*, & *disceptare* pro *Deo forti volo*. & ℣. 8. *An personam ejus accipere debetis, quum* pro *Deo forti contenditis*? Sic Paulus patiebatur *pro Ecclesia*, id est, causa Ecclesiæ, ex amore erga eam, non ad eam *redimendam*, sed ad eam exemplo suo *ædificationem*. *Col. 1. vers.* 24. Cui denique accedit significatio affinis, quâ *pro aliquo* idem est, quod in ejus commodum, utilitatem, & salutem.

XII. Exempla istius significationis inpromptu sunt. *Luc. 22. v. 20. Hoc poculum est novum illud pactum per sanguinem meum, qui* pro vobis *effunditur*. Joh. 10. 11. *Bonus Pastor ponit animam* pro ovibus *suis*. Joh. 11. 5. *Nec cogitatis conducere nobis, ut unus homo moriatur* pro *populo*. Joh. 17. 19. *Ego* pro iis *sanctifico me ipsum* & ℣. 20. *Non tantùm autem* pro illis rogo, *sed etiam* pro iis *qui per sermonem eorum credituri sunt in me*. 1. Joh. 3. 16. *Quod ille animam posuit* pro nobis: nos *igitur debemus* pro fratribus *animas ponere*. Quanquam quibusdam horum locorum etiam significatio τȣ̃ vice obtinere possit, imò debeat, eò quòd qui vice & loco alterius moritur, is in commodum, utilitatem & salutem alterius moritur. His præsuppositis, palpare jam licet, justo angustiorem esse Socinianam paraphrasin super ea loca, quibus Christus dicitur mortuus *pro nobis*, ac si is tantùm esset eorum locorum sensus, quasi Christus *propter nos* mortuus esset. Is quidem est sensus particulæ *pro*, cum Christus dicitur mortuus *pro peccatis* nostris, quia non *vice* & *loco* peccatorum nostrorum mortuus est. Quia peccatis non erat moriendum, sed homini propter peccatum & causâ peccati; ergo etiam Christus dum dicitur mortuus *pro peccato*, id intelligendum est, non *vice* & *loco* peccati, sed propter peccata & peccati causa.

XIII. Proinde, cum Christus *pro nobis* dicitur mortuus, non tantùm propter nos, id est, propter qualemcunque utilitatem nostram dicitur mortuus, sed dicitur mortuus *pro nobis* quia *vice* & *loco nostri* mortuus est, *pro*

peccatis nostris, ita ut propter ea tanquam demeritum mortuus censeatur, non autem propter ea, occasionaliter ad ea, sed causaliter, ita ut peccata censeantur causa mortis Christi, propter quæ scil. expianda Christus mori debuit.

XII. Quid porro statuendum sit de commentario Smalcii super hæc verba compendioso, (*Ea porro verba, Christum pro nobis esse mortuum, hanc habent vim, eum idcirco mortuum, ut nos salutem æternam, quam is cælitus attulit, & amplecteremur & consequeremur*) Lector facile animadvertit. Duplicem scilicet iis foveri & subdolè celari errorem. *Primus* est, Christum à baptismate suo in cælos esse raptum, ibique voluntatem Patris perfectè addidicisse, & postquam in terram reversus esset, doctrinam salutis antea penitus in cognitam, nobis primus revelasse. Qui error ante nobis est profligatus.

XIII. Secundus est. Quempiam mortalium doctrinam à Christo explicatam, & exemplari pietatis non specie tantùm sed & re confirmatam, perfectè imitari posse, eamque absque opera spiritus sancti amplecti, & sic propriis viribus vitam æternam, perfectam præceptis Christi, quàm Vet. Test. perfectioribus, obedientiam præstando, vitam æternam mereri. De quo errore paulò inferius agendum erit.

XIV. Tenemus ergo, eam vulgo Christianorum de morte Christi sententiam, idque vi phraseos loquendi, quâ Christus dicitur *pro nobis, pro peccatis nostris* mortuus, quanquam non nudâ phrasi nitamur, sed re isti phrasi substratâ, ut dictum. Nec eam nobis eripuit Adversarius glossemate suo super phrasibus istis, quo quidem partem veri dixit, sed principaliorem negavit, eamque obscurare, sed frustra, allaboravit. Quâ ratione porro ea scripturæ loca depravare conetur, quæ nobis idem suppeditant pro morte Christi satisfactoria argumentum attendamus.

Quæst. 25. *Quid verò ad ea testimonia quæ nos à Christo testantur redemptos, respondes?*

Resp. *E verbo redimendi non posse effici satisfactionem hanc, hinc est planum, quod de ipso Deo & in novo & in prisco fœdere scribatur, eum redemisse populum ex Ægipto eum*

eum fecisse redemptionem populo suo. Deinde quòd scriptum sit, quòd Deus redemit Abrahamum, & Davidem & quòd Moses fuerit redemptor, & quòd simus redempti è nostris iniquitatibus, aut è vanâ conversatione nostra, aut è maledictione legis. Certum autem est, Deum nemini satisfecisse, nec verò iniquitatibus, aut conversationi vanæ aut legi satisfactum dici posse.

I. Ex iis quoque locis scripturæ, quæ nos à Christo *redemtos* docent pro veritate satisfactionis Christi argumentamur. Sunt autem illa: Matt. 20. 28. Marci 10. 45. *Filius hominis venit dare animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν Rom. 4. 25. *Christus traditus est* διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν Et cap 8 v. 32. Gal 2. 20. Eph. 5 2 1. Tim. 2. 6 *Qui dedit semetipsum* ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων Tit. 2. 14. Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis ἵνα λυτρώσηται nos ab omni iniquitate. 1. *Cor.* 6. 20. ἠγοράσθητε τιμῆς: *Empti estis pretio.* Eph 1. 7. Colos. 1. 14. *In Christo habemus redemptionem* (ἀπολύτρωσιν) *per sanguinem ipsius.* 1. Pet. 1 18, 19. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, de vana vestra conversatione sed pretioso sanguine agni immaculati Christi.* Quæ & similia loca evidentissimè evincunt, sanguinem Christi servatoris nostri esse λύτρον, quo verè satisfactum est Deo pro nobis, pariter & peccatis à nobis admissis.

II. Quod primo ostendit origo & flexus vocum ἀπολύτρωσις à λυτρόω λύτρον λύω, quod est solvo, & ejusdem originis derivata λύτρωσις λυτρωτὴς, & voces Hebraicæ, quæ natura significant redemptionem soluto pretio acquisitam, qualis est vox גָּאַל cujus participium est גֹּאֵל redimens, redemptor, vindex. Qualiter vox ista sumitur Num. 35. 19. גֹּאֵל *vindex ipse illius sanguinis morti tradet occisorem illum.* Levit. 25. 24. *Quum facultatibus attenuatus fuerit frater tuus, ita ut vendat de possessione sua, tunc accedens vindex seu redemptor ejus, qui propinquus est ei, redimet rem venditam à fratre suo.* Quâ sententia & ille qui redimit vocatur גֹּאֵל & actio redemptionis explicatur verbo גָּאַל, Vide etiam *Ruth.* 3. 12, 13. Unde Christus habito respectu ad hoc jus redemendi, dicitur גֹּאֵל noster *Hiob.* 19. *vers.* 25. eò quòd sicut ille, qui rem venditam redimere vellet, pretio soluto eam redimeret, sic Christus nos que-

quoque pretio redemit. 1. Cor. 6. 20. Huic voci affinis est significationis vi verbum פָּדָה, quod itidem redemptionem significat 2. Sam. 2. 3. *Redemit animam meam.* à qua derivatur פִּדְיוֹן redemptio, *Num. 3. 49.*. Quarum vocum, tum Græcarum, tum etiam Hebraicar. usum & significationem propriam retinemus, donec edocti fuerimus ab Adversario, tantummodo ad improprium usum eas detorqueri debere.

III. Porro ex allegatis locis ita argumentamur: Qui se ipsum & animam suam *pro nobis* dedit verum redemptionis pretium, ille *pro nobis* justitiæ Dei verè satisfecit. Atqui Christus. Ergo. Ad hoc argumentum respondet Catechesis, Consequentiam negando, eò quòd vox ista redimendi admittat sensum metaphoricum, adeoque etiam, cum Christus nos dicitur redemisse, id non de propria redemptione, quæ pretio soluto peracta sit, sed de metaphorica, h. e. simplici liberatione intelligendum est.

IV. Ut veritatis specie illiniat errorem, dicit: *Primò*; Etiam de Deo illam phrasin usurpari, quòd redemerit populum suum ex Ægypto, quòd fecerit redemptionem populo suo. *Secundò*. Etiam Mosen dici redemptorem. *Tertiò*, redemptos nos esse à vana conversatione, ab iniquitatibus nostris &c. Et tamen Deus nemini satisfecit; nec Moses satisfecit: nec iniquitatibus aut vanæ conversationi satisfactum. Respondendum est ad ista omnia.

V. Ac *primo* quidem & in genere, non negamus vocem *redimendi* inscriptura quoque sumi pro nuda & metaphorica liberatione, ubi nullum pretium datur, sed quòd ubique metaphoricam significet redemptionem, negamus. Ergo collectio ista nulla. Redimere aliquando significat metaphoricè redimere. Ergo hîc, ergo semper. A particulari ad particulare, vel universale non pocedit argumentum. Vox redimendi his locis ab Adversario allegatis accipitur impropriè; Ergo & iis quæ nos pro satisfactione Christi allegamus. Ergo omnibus à nobis allegatis. Nec simpliciter & nudè ex vocibus, *redimere*, *redemptio*, *redemptor*, &c. argumentamur, sed ex contextu & adjunctis determinationibus nostram colligimus de vera redemptione sententiam, eò quòd, cum Christus nos dicitur redemisse, simul fiat mentio veri pretii, quo interveniente facta est illa redemptio.

VI. Deinde in specie respondemus ad allegata loca. Primò, quibus Deus dicitur *redemisse populum ex Ægypto*, distinguendo inter liberationem seu redemptionem corporalem & spiritualem.

Illa

Illa absque λύτρῳ per Dei potentiam fieri potuit. Spiritualis verò redemptio absque eo fieri non potuit, eò quod obstaret, tum justitia Dei immutabilis, tum ejus veritas. *Iustitia* quidem Dei, quia hoc esse jus Dei testatur scriptura, utqui peccant, morte sint digni *Rom. 1. 32.* *Veritas* autem quia homini dixerat Deus, si peccaret, *morte morieris.*

VII. Præterea Christi redemptio ita describitur, ut omnia propriæ redemptionis requisita in ea concurrant. Nam in vera redemptione fatentibus Socinianis, etiam in hac Catechesi, requiritur captivus, is qui captivum detinet, redemptor, redemptionis pretium, & is qui pretium accipit. Atqui hæc omnia sunt in redemptione Christi. Captivus genus humanum; Captivum detinens, judicium Dei damnans, Diabolus, mors, infernus, peccatum; Redemptor, Christus; pretium sanguis & mors Christi; is qui pretium accipit Deus. Hactenus ergo diversitas inter utramque redemptionem Dei sc. *ex Ægypto* & Christi ex morte æterna &c.

VIII. At *dices*: liberatio *ex Ægypto* typus est liberationis nostræ, à spirituali servitute. Fateor. Sed inter typum & antitypum est quidem *similitudo* quædam, sed non *identitas* & per omnia æqualitas. Typi & antitypi non est in omnibus par ratio. Etsi enim analogicè conveniunt in multis, tamen necesse est in plurimis discrepare & typum ab antitypo superari. *Oportet figuram*, inquit Chrysostomus, *minus habere quàm veritatem, quia alioqui non fuisset signum futurorum.* Ergo similitudo in eo est: Sicut Deus olim populum eduxit ex servitute Ægyptiaca corporali modo; ita Christus nos eduxit spirituali modo ex servitute Diaboli: Sed hinc jam non licet concludere, ergo sicut Deus Israelem liberavit nullo soluto redemptionis pretio, sic Christus nos quoque redemit nullo pretio dato.

IX. Quia mirum non est, quòd Deus non satisfecerit Pharaoni, dum populum ex Ægypto redimeret, quia ibi usus est potenti brachio suo. At hìc obstabat justitia Dei, quo minus per potentiam id fieri posset. Si enim tantùm fuisset homo lapsus captivus Diaboli, nullo negotio per nudam potentiam Dei liberari potuisset. Sed quia captivus Dei fuit, cujus justitia eum captivum detinebat, satisfieri debuit, priusquam homo è captivitate liber dimitteretur.

X. Urges. *At Deus dicitur redemptionem fecisse populo suo* Lucæ 1. 68. Hinc. Qui facit ipse redemptionem, illi nequit dari pre-

tium satisfactionis. Atqui Deus ipse fecit redemptionem. Ergo. *Resp.* ad majorem per limitationem duplicem. 1. Qui facit redemptionem sc. immediatè in sua propria persona, illi dari nequit pretium. Jam ad Minorem. Deus Pater non fecit redemptionem *αὐτῶς*, in sua propria persona ut Patripassiani finxerunt, sed mediatè in Christo 2. Cor 5. 18. *Deus reconciliavit sibi mundum in Christo.* 2. Qui facit redemptionem secundùm misericordiam illi nequit dari pretium sc. secundùm misericordiam, quæ læsa non fuit, sed secundùm justitiam. Deus redemptionem non fecit secundùm justitiam, sed misericordiam, pretium autem accepit secundùm justitiam, quæ per peccata læsa fuit. Ergo pretium non opponendum est misericordiæ divinæ, sed justitiæ, adeoque consequentia nulla.

XI. Ad illud quod de Mose obtendit progrediamur. Mosen sc. dici λυτρωτὴν *Redemptorem* Act. 7. 35 At is redemit nullo pretio. Sed quis iterum dissimilitudinem non palpet? Moses fuit redemptor à tyrannide Pharaonis. Christus nos redemit ab ira Dei *Rom.* 5. 9. à potestate tenebrarum, Diaboli, & mortis *Coloss.* 1. 13. idque per sanguinem suum, testante ibidem Apostolo *v.* 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, quod de Mose non prædicatur.

XII. *Instat* Adversarius: Moses fuit typus Christi, & liberatio per eum præstita typica fuit liberationis Christi. At Moses populum Dei ex servitute Ægyptiaca redemit, non pretii alicujus solutione, sed potentiâ ex authoritate sibi à Deo concessa. Ergo similiter Christus. *Resp.* Ut supra. In typo quidem & in antitypo esse ὁμοιότητα similitudinem, sed non omnimodam ταὐτότητα & identitatem. Quare non procedit argumentum: Moses fuit typus Christi; Ergo quâ ratione Moses dicitur redemptor, eâ etiam & non alia Christus est redemptor. Concedemus, quòd quemadmodum Moses autoritate à Deo sibi tradita redemit populum Israëliticum ex corporali servitute Ægyptiaca; sic Christus etiam nos ex servitute peccati redemerit suâ potentiâ & authoritate. Verùm quòd non aliâ & quidem longè sublimiori ratione Chtistus sit λυτρωτής hinc minimè colligitur.

Quia Moses quidem redemptor dicitur, sed nuspiam de eo legitur, quòd suo sanguine suâ vitâ, sanguinis effusione & quidem tanquam pretio populum Israeliticum redemerit, quod de Christo dicitur. Non itaque per omnia typi istius ad antitypum eadem est ratio.

XIII.

XIII. Ut veritatem & evidentiam hujus responsionis clarius demonstrem, hanc profero enstasin. Serpens æneus, qui in deserto suspensus legitur *Num. 21. 19.* fuit typus Christi *Ioh. 3. 14.* Ergo ut serpens æneus est exaltatus, eâ & non aliâ ratione etiam Christus est exaltatus. At consequentia hæc non procedit; quia sic Christus, non fuisset crucifixus, nec effudisset sanguinem in cruce. Ergo ut aliquis sit typus alterius, non requiritur ut in omnibus sit convenientia; sufficit si in quibusdam collatio procedat. Inter typum enim, quod tertiò jam inculcatur, est quidem *ὁμοιότης* quædam, sed non *ἰσότης*, multo minus *ταυτότης*.

XIV. Conveniunt Moses & Christus in eo, quod uterque mediator, redemptor, bonorum largitor, sed differunt, personâ, officio & effectis. *Moses* enim tantum homo & servus Dei fuit: *Christus* homo & filius Dei Deus. *Moses* mediator typicus & temporalis Vet. Test. *Christus* mediator æternus utriusque testamenti. *Moses* liberator ex Ægypto. *Christus* ab ira Dei, maledictione, peccato &c. *Moses* redemptor absque morte & sanguine proprio. *Christus* redemptor per mortem & sanguinem. *Moses* largitor terræ promissæ. *Christus* hæreditatis & vitæ cœlestis. Dispar ergo utriusque mediationis & redemptionis ratio.

XV. Præterea. Mediationis sunt certi gradus. 1. Dijudicare causam inter dissidentes partes. 2. Referre pacta & conditiones utriusque partis. 3. Intercedere pro parte lædente & offendente. Hi tres gradus competunt Mosi Deut. 5. 11. *Me stante inter Jehovam & vos illo tempore, ad referendum vobis sermonem Iehovæ* & Gal. 3. 19. *Per manum internuncii.* Non semel Moses pro Israele intercessit. Sed in Christo adhuc sunt tres gradus singulares, quos cum Mose communes non habet. 1. Persolvere & satisfacere uni parti pro altera. 2. Satisfactionem illam efficaciter applicare. 3. Eos pro quibus satisfactum est contra hostes tueri & conservare. Hæc tria requisita mediatoris Novi Testamenti comprehenduntur. *Heb. 8. & 9.* & ob ea novi pacti mediator est.

XVI. Multæ etiam sunt redemptionis & liberationis species. 1. Quædam fit vi & potentiâ tantùm, sicut olim contigit, cum Deus populum Isreliticum Pharaoni eriperet. 2. Quædam cum bona hostium gratia fit, veluti cum populus Babylone revertitur. 3. Quædam justo pretio persoluto impetratur & de hac ultimâ spe-

cie hic agitur. Jam, Moses non dicitur redemisse populum persoluto pretio, sed duntaxat liberasse: neque *author* est hujus liberationis, sed tantùm *minister*.

XVII. Etsi ergo Moses dicatur Liberator, redemptor, propter simplicem liberationem, quæ nullo constitit pretio; attamen non sequitur, quòd Christi etiam talis sit. Proinde veritas redemptionis Christi, per redemptionem Mosis metaphoricæ non evertitur. Ejusdem autem roboris tertia est instantia, quibus iisdem conatibus suis suppetias ferre voluit.

XVIII. Dicit non sequi: Christus nos redemit; Ergo pretium redemptionis solvit. Quia etiam nos redemit à vana conversatione *Tit. 2. 14.* ab execratione legis, *Gal. 3. 13.* ab ira & supplicio. *Rom. 5. 9.* Ubi sanè redemptio metaphorica intelligenda, aliàs enim pretium solvendum fuisset, iniquitatibus, vanæ conversationi. Sed *Respond.* Absurdissimam esse illationem Adversarii. Qui enim hominem facinorosum à carcere & à patibulo redimit, non carceri, atque patibulo, sed illi, cujus judicio obnoxius est, precium solvit: ita Christus qui nos ab iniquitatibus nostris & à vana conversatione redemit, is non iniquitatibus nostris, neque vanæ conversationi; sed cælesti judici, cujus legem violavimus, & qui à nobis violatæ legis pœnas exigit, pretium redemptionis solvit.

XIX Sed ex discursu adversarii argumentum formetur, ut vel majus robur, vel imbecillitas patescat. A quo quis vero pretio persoluto redimitur, ei pretium est persolvendum. Atqui à vana conversatione, ab inquinamentis mundi redempti sumus; Ergo vanæ conversationi,& inquinamentis mundi pretium est persolvendum. Hoc argumento Adversarii nos ad incitas omnis absurditatis redactos putant. Sed quis tam pueriles nugas sine indignatione ferat? Quis unquam vel fando audivit carceri, sordibus, & squaloribus carceris, metui mortis, captivitati, ejusque omnibus adjunctis & effectis, à liberatore vel redemptore solvi? Quid autem sunt inquinamenta mundi, vana conversatio, execratio legis, à quibus per Christum redempti sumus, quàm sordes & squalores captivitatis spiritualis? Ergone Christus iis dicetur pretium solvisse? Minimè. Etsi captivus ab his omnibus liberetur, tamen redemptionis pretium non nisi carceris Domino persolvitur.

XX. At, *ais*, pretium illi persolvendum erat qui nos tenebat captivos. Ita est. Sed quis ille cujus eramus captivi? Hic

Ad-

Adversarii urgent ex nostra sententia sequi, necessariò Diabolo pretium fuisse persolvendum, cùm ipsius fuerimus captivi. In omni vera redemptione inquiunt, quatuor potissimum requiruntur, 1. *Captivus*, in hac redemptione de quâ agitur est homo. 2. Is qui captivum in captivitate detinet. Hic possessor erat peccatum, Diabolus, mundus, mors æterna. 3. Redemptor is est Christus per quem Deus nos redemit. 4. λύτρον seu pretium redemptionis id est Christus qui nos suâ morte redemit. Unicum adhuc deest, ait Ostorodus, nempe ut ei qui captivos nos detinebat pretium solveretur. At quis adeo amens est, ut peccato vel Diabolo λύτρον persolutum esse affirmet? Quare, infert, cum nemo sit cui λύτρον persolvi potuerit, Redemptionem hanc esse metaphoricam & nihil aliud, quàm simplicem liberationem, absque interveniente ullo verò pretio factam.

XXI. Vanitatem equidem istius discursus ex superioribus facilè est colligere, attamen & hîc repellendus erit Adversarius. Dico, non Diabolo sed Deo λύτρον est persolutum. At captivi eramus Diaboli *ais*: Non simpliciter, sed secundùm quid: Diabolus enim in captivitate nostra non nisi *Ministri* vices obivit, minister fuit carceris, adeoquè Dei minister. Quia non Diabolo, sed Deo peccaveramus, qui nos justo suo judicio in potestatem Sathanæ tradiderat. Ergò ad sophismatis Majorem respondeo. Cujus ut Domini & justi judicis eramus captivi, ei λύτρον solvendum erat. At non Sathanæ, sed Dei ut Domini, ut justi judicis captivi eramus. Ergo non Sathanæ sed Deo λύτρον solvendum erat. Homo enim propter peccatum *ratione culpæ* erat factus *servus Diaboli*; *ratione pœnæ* erat obligatus *Deo ut judici*.

XXII. Porro si res inspiciatur penitiùs, argumentũ Catechetæ tale erit: Cujus mortis finis fuit, ut ab inquinamentis mundi à vana conversatione redimeremur, illius finis non fuit satisfacere pro peccatis nostris tanquam pretio redemptionis. Atqui mortis Christi finis fuit ut redimeremur ab inquinamentis mundi &c. Ergo. *Resp*. ad Majorem. Opponi ea, quæ sunt subordinanda, & distinguo inter finem mortis & redemptionis, qui duplex est, primarius & secundarius. Principalis finis est liberatio ab æterna morte & satisfactio justitiæ divinæ. Minus principalis est liberatio ab inquinamentis mundi &c. Finis autem minus principalis non tollit principalem, sed eum supponit.

XXIII. Denique, inquit, Ad-

versarius *dicimur redempti à maledictione legis; nec tamen legi satisfactum dici.* Quid inde? Ergo ne Deo satisfactum non est. Execratio legis vel *activè* vel *passivè* consideratur. *Passivè* quidem significat execrationis pœnam à lege statutam, quod Adversarius concedit. *Activè* autem est vox seu sententia legis execratione damnantis, seu ipsa lex execrans & damnans peccantes. Quid autem est vox legis nisi vox Dei? & lex execrans nisi Deus execrans? & Deus execrans nisi Deus iratus & ira Dei? & ira Dei nisi justitia? Execratio igitur legis *activè* significat justitiam Dei. Etsi autem utroque sensu nos redemptos ab execratione dicit Apostolus, tamen primo loquitur de execratione legis, ut est sententia legis, seu vox Dei execrantis: secundariò, ut est execrationis pœna, quod patet ex ℣.10. Gal.3. *Nam quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt: scriptum est enim execrabilis omnis* &c. significat ergò hoc loco execratio legis justitiam Dei, & non tantùm pœnam. Proinde argumentum Adversarii quod hinc extrui posset, nullum est. Cui non est persolutum pretium ab eo impropriè dicimur redempti. Execrationi legis, seu pœnæ non est persolutum pretium. Ab execratione ergo & pœna legis dicimur impropriè redempti. Quia Major hàc hypotesi laborat, ac si propria redemptio tantùm fiat à principaliter detinente, cui solvitur pretium. Cum etiam fiat propria redemptio à vinculis à carcere, à pœna capitis, licet non *istis*, sed *pro istis* solvatur pretium judici; non solùm propriè dicitur redemptus à judice, sed etiam à gladio à morte à patibulo. Sic nihil impedit nos propriè redemptos esse ab execratione legis, seu *activè* seu *passivè* hæc intelligatur, licet ei propriè pretium nullum solutum esset.

XXIV. Etsi enim execrationi legis passivè, id est, pœnæ non est solutum pretium; est tamen eidem solutum pretium activè intellectæ, quoniam activè est ipse Deus execrans, seu execrationis sententiam in transgressores legis promulgans, ut est ostensum. Est ergo, sensus Apostoli, Christus nos redemit ab execratione legis, hoc est à sententia damnatoria legis, & consequenter ab ira & justitia Dei, dum pro nobis factus est execratio. hoc est, dum pœnam execrationis, mortem nempè execrabilem crucis pro nobis sustinens, execrationi legis & iræ atque justitiæ Dei nostro locò satisfecit, ne nobis execratio subeunda esset, sed contra in nos Abrahæ benedictio derivaretur.

XXV.

XXV. A quibus omnibus Lectori æquo patere existimo, Catecheten nihil respondisse ad argumentum nostrum ductum ab ijs testimoniis scripturæ, quibus Christus dicitur animam suam dedisse in redemptionis pretium, vocem redemptionis, suâ naturâ significantem redemptionem quæ fit pretio, detorquendo ad usum perpetuò improprium. Quippe ex dictis liquet, quid ad hoc respondendum sit, quod Deus dicatur populum redemisse ex Ægypto, Mosen esse redemptorem, redemptos nos esse ab iniquitatibus hujus seculi & à vana conversatione, nec tamen Deus vel Moses possit dici cuiquam satisfecisse, nec iniquitatibus hujus seculi satisfactum.

XXVI. Nimirum liberationem, tum Mosis tum Dei fuisse corporalem & typicam Christi; adeoque non necesse esse ut omnia respondeant, sufficit si in quibusdam sit convenientia. Proinde consequentia nulla si in illis nullum solutum precium; Ergo nec in redemptione à Christo facta. Ad illud verò quod ab iniquitatibus redempti, neque tamen istis solutum redemptionis pretium, turpem scil. eam esse argumentationem, quæ finem subordinatum principali opponit.

Quæst. 26. *Quam autem vim ea verba putas habere, quòd Iesus nos redemerit & se ipsum pretium redemptionis dederit.*

Resp. *Vox redemptionis simpliciter liberationem notat. Porrò de Christi morte dicitur, quòd nos per eam liberaverit, quòd eâ interveniente liberationem consequuti simus, & ab ipsis peccatis, ne ejs amplius serviamus, & ab eorum pœna, ut è faucibus æternæ mortis erepti in perpetuum vivamus.*

I. Vocem redemptionis patiemur interpretari per liberationem, modò talis intelligatur liberatio, quæ sine solutione pretii facta non sit. Quoties enim talem intelligit liberationem, hoc casu, dum de morte & sanguine Christi agitur tanquam redemptionis pretio, toties Adversarius principium petit. Dicit Adversarius sed non probat, redimere in hac materia esse metaphoricum ac

ac nihil aliud quam simplicem liberationem.

II. Nos contra urgemus, Quia in hac redemptione semper fit mentio pretii redemptivi, non simplicem & nudam intelligi omnino debere liberationem, sed talem quæ recompensationem aliquam includit. Quid enim opus fuisset toties inculcare λύτρον illud, quo facta est ista liberatio, verbi gr. Matth. 20. 28. *Filius hominis non venit ut sibi ministretur sed ut ministret detque animam suam λύτρον redemptionis pretium pro multis. Qui se ipse dedit ἀντίλυτρον redemptionis pretium pro quibusvis* & 1. Cor. 6. 2. *Empti estis* pretio. Qui locus posterior clarissimè indicat veram & non metaphoricam emptionem in liberatione nostri fuisse, maximè si attendatur ad antecedentem versum 19. *An ignoratis vos non esse vestri juris?* quare? rationem addit ἠγοράσθητε empti estis, & quidem τιμῆς caro pretio.

III. Cum itaque his & aliis multis locis mors Christi toties allegetur, ut λύτρον, hoc est pretium, quod pro solvendo aut liberando aliquo ex vinculis datur, (hoc namque λύτρον quod à verbo λύεσθαι deducitur significat, sicut διδακτρον illud premium appellatur, quod pro docendo dari consuevit, ἀπὸ τοῦ διδάσκειν) rectè colligimus, quod verbum redimere in præsenti materia nihil aliud significet, quàm ita liberare aliquem, ut detur pro eo, pretium aut compensatio aliqua, quæ satisfactionis vim habet. Adversarii autem, ejusmodi loca, in quibus expressa fit mentio λύτρου ceu pretii redemptivi, à sensu proprio ad metaphoricum detorquentes, audaciam suam produnt, imò proterviam, quâ omnes fidei articulos pervertere licebit, clarissimis etiam scripturæ testimoniis metaphoras affingendo.

IV. Quærentibus nobis, cur scriptura, si mors Christi pretium redemptionis non sit, morti tamen tam frequenter redemptionem nostri adscribat, respondet Catechetes, eam esse rationem, *quod eâ interveniente liberationem consequuti sumus*. Benè habet. At quo respectu mors Christi intervenit, an ut exemplum? At sic & martyrum mors est interveniens liberationis, quia exemplaris. An ut testimonium veritatis doctrinæ? Hoc volunt Adversarii. Sed depreciatio ista est mortis, & cum morte Martyrum æquiparatio. Scriptura sacra asserit, quod mors Christi intervenerit tanquam λύτρον ἀντίλυτρον, quod liberatio nostri sit tanquam effectus mortis Christi tanquam λύτρου.

V. Redimere ergo nunquam est metaphoricum, cum additur redemptionem factam esse interve-

veniente λύτρῳ; imò quotiescunque scriptura facit mentionem redemptionis & addit λύτρον vel pretium redemptivum, toties ejusmodi liberationem significat, quæ aliquam compensationem includit; propter hanc ipsam enim caussam fit mentio λύτρυ, ut non simplex, sed vera & propriè dicta liberatio indigitetur.

VI. Ut probent metaphoricam redemptionem & non propriam, ita solent argumentari. Quo pacto sub peccatum sumus venundati, eodem quoque modo sumus redempti, sed absque pretio venundati sumus sub peccatum. Ergo quoque absque pretio sumus redempti. Sed negatur Major. Eo modo nos esse redemptos, quo fuimus venundati. Nam venundatio nostri in scriptura significat apertâ metaphorâ abjectionem, alienationem à Deo, miseriam & damnationem hominis, quæ facta dicitur, non pretio, sed culpâ hominis, & justâ indignatione, atque judicio Dei. At liberatio nostri à culpa & pœna fieri non potuit, nisi interventu satisfactionis pro culpa per mortem, tum propter justitiam, tum propter veritatem Dei, qui homini peccanti mortem fuerat minatus, ni Deus mendax deprehendi voluisset, quod absit.

VII. Anima peccando Diabolo venditur exiguo pretio temporalis voluptatis, quod tamen sæpè mancipiis suis non solvit, hinc gratìs dicimur venundati. Hoc dicendi genus *venundatum esse*, ortum est ex eo, quando mancipium fit prorsus alieni juris, ex quo intelligitur corruptionem non esse à natura, sed a voluntario lapsu, sicut natura cuncti nascuntur liberi. Sponte lapsi sumus & proinde venditi sub peccatum; sed sponte non possumus surgere, Deumque placare. Et absque pretio redempti sumus respectu nostri, sed non respectu Christi.

Quæst. 27. *Cur verò ea nostra liberatio voce redemptionis exprimitur.*

Resp. *Propterea quòd maxima interveniat similitudo inter liberationem & redemptionem propriè acceptam. Ut enim in propriè accepta redemptione oportet esse captivum, & eum qui captivum detinet, tum redemptorem, tum denique re-*

demptionis pretium: ita in nostra liberatione est homo captivus; qui hominem captivum detinent sunt peccatum, mundus, Diabolus, mors; Est praeterea Deus & Christus capti redemptor; denique redemptionis pretium ipse Christus vel anima ipsius à Deo & ipso Christo impensa: tantùm eo differt, quòd in nostra hac liberatione nemo est, qui accipiat aliquid liberationis nomine, quod in vera redemptione semper inveniri necesse est.

I. Maximam intervenire similitudinem inter utramquè liberationem & redemptionem verùm est; nec tantùm convenire has liberationes, in captivo, in captivitate, in redemptore, in redemptionis pretio, sed etiam in accipiente pretium, verissimum. Si ergo illa vera est, & propria redemptio, in qua quinque hæc requisita concurrunt, verissima sanè erit, & propriissimè dicta redemptio nostra, quæ per Christum facta. Fatentur enim Adversarii esse in ea captivum, nimirum hominem peccatorem; esse captivantem, nimirum Diabolum, mundum, peccatum mortem; quanquam Diabolus se habeat ut captivantis minister & custos carceris, peccatum ut compedes quibus constrictus tenetur captiuus; mundus ut vestibulum carceris in quo captivus tenetur; mors temporalis, ut janua ad carcerem perpetuum, mortem puta æternam; cujus carceris æterni Dominus est ipse Deus.

II. Est præterea in hac liberatione fatentibus Adversarii redemptor, Deus sc. essentialiter consideratus *originaliter*, Christus verò *terminativè*, Redemptor autem: non tantùm ut Moses, qui minister fuit redemptionis typicæ, sed redemptor, qui Dominus, tum corporis sui naturalis, cujus potestatem destruendi & restaurandi habuit, tum Dominus corporis sui mystici, id est Ecclesiæ. Est etiam in hac redemptione, redemptionis pretium, ipse Christus & anima ejus, à Deo destinata, à Christo verò realiter & actu impensa; quæ ipsa phrasis & modus loquendi, Christum non tantùm exemplarem, sed & meritorium facit redemptorem. Hactenus ergò vera redemptio.

III. Quid verò deficit, quo minus hæc liberatio propriæ ex mente Adversarii sic dictæ æquiparari possit, ut hâc parte vera sit & propriè dicta redemptio? *Non est*, inquit, *in hac libe-*

liberatione quisquam, qui accipiat aliquid redemptionis nomine, quod in vera redemptione semper inveniri necesse est. At hæc falsa est petitio principii, & affectata quædam ignorantia. Quod enim inferunt tanquam absurdum, quo sententiam nostram gravare, & risui mortalium exponere conatur, sequi sc. si pretium sit solutum, illud solutum esse Diabolo, cujus eramus captivi, illud jam à nobis est amolitum. Eramus equidem captivi Diaboli, verùm non ut *Domini*, sed ut *ministri*, qui nos non authoritate *suâ*, sed *alienâ* vinctos tenebat; adeoque non illi satisfactionis pretium pendendum fuit, quippe custos ille fuit carceris, sed illi, qui Dominus fuit, nimirum Deo.

IV. Detinuit nos diabolus non primariò, sed secundariò: nec suo jure, sed alieno, sc. Dei, ut Lictor judicis Dei. Peccatum ut laquei, mundus & mors, ut carcer & tormenta. Hinc David vinctum se Dei profitetur. *Tibi soli peccavi.* Psal.51. quasi diceret, Tibi soli obæratus sum, & quia solvendo non sum, merito à te ut judice æquissimo vinculis detineor. Hinc quoquè solus Deus remittere potest peccata. *Matt.* 18. Rex tradit servum tortori. A Deo judice hanc incarcerationis & captivationis potestatem habuit. Proinde, non illi, sed Deo satisfactionis pretium fuit numerandum.

V. Et quia post Socinum Catechetes ipse fatetur, nihil hîc desiderari ad propriè dictam satisfactionem, nisi, ut is, qui captivum detinebat, pretium acciperet, ostendam quàm efficacissimè, vanissimum hoc esse effugium, & à veritate cælesti alienissimum. Etenim *primò* λύτρον ut verè sit & maneat λύτρον seu solutionis pretium, non requiritur necessariò, ut illi solvatur à quo captivus detinetur, sed ad veram λύτρου rationem sufficit, ut id, quod λύτρον dicitur, in se pretiosum sit, & tanquam sufficiens ab his admittatur, in quorum manu est captivum dimittere, & captivum, proquo dependitur, liberum præstat & solutum.

VI. Quis enim quæso vel ullâ veri specie negaverit illud verè mereri nomen λύτρου, quod & 1. vere alicui solvitur & 2. rei certæ redimendæ causâ solvitur, & 3. tanti æstimatur ab eo cui solvitur, ut eum dimittat liberum qui antea detinebatur captivus, & cujus liberandi causâ pretium istud solvebatur?

VII. Secundò, Ipse Dei spiritus verbis planissimis docet, cui solutum sit illud pretium, quo

 nos

nos empti & redempti sumus, nimirum Deo. Sic enim Paulus disertè *Eph.* 5. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum* pro nobis *oblationem & hostiam* Deo *in odorem suavitatis*. Et Heb. 9. 14. *Quantò magis sanguis Christi qui per spiritum æternum obtulit semetipsum* Deo *inculpatum, purgabit conscientiam nostram à mortuis operibus ad serviendum Deo viventi*.

VIII. Quæ loca non modò docent redemptionis nostræ pretium Deo solutum esse; sed etiam firmissimè evincunt, adeo probatum esse Deo hoc λύτρον, ut ipsi juxta suum beneplacitum plenissimè sit satisfactum. Paulus enim loco antea adducto, hoc est, *Eph.* 5: 2. memorat hostiam eam λύτρωτῶς, seu sanguinem Christi, fuisse Deo ὀσμὴν εὐωδίας odorem admodum fragrantem. Quâ loquendi formâ circa hostias & oblationes Spiritui Dei valde familiari, perpetuò significatur, id quod oblatum fuit Deo quàm maximè placuisse, & ipsi ex ipsius beneplacito, abundè omnique ex partè satisfecisse. Velut manifestum est, collatis inter se locis *Genes.* 8. *vers.* 21. *Exod.* 29. 18. 25. *Levit.* 1. 9, 13, 17. & 2. *v.* 9. & 3. 5. 16. *Amos* 5. 21. Philip. 4. 18.

IX. *Tertiò* redemptionis pretium non esse solutum Diabolo, peccato, morti, detinenti nos captivos, tantum abest ut veritati & proprietati λύτρου, à Christo soluti quidquam deneget, ut contra arguat & confirmet quàm potentissimè hujus λύτρου dignitatem supra quodvis aliud λύτρον & redemptionem. Causa namque ob quam redemptionis pretium, non solvatur alii, quàm illi ipsi, qui illud impendit, hoc est, Deo, non est alia, quàm quia hic ipsus neminem in toto hoc universo agnoscat parem, nedum superiorem, quia idcirco non modò necesse non habet, quidquam à quoquam certæ solutionis interventu impetrare, sed etiam quibusvis quævis pro arbitrio imperare potest.

X. Unde planissimè liquet, cur hoc uno abeat hoc λύτρον ab aliis solutionum pretiis in hoc mundo usitatis. Cum enim Deus pro absolutissimo suo beneplacito semel statuisset non dimittere servos captivos, nisi soluto mortis filii pretio; & Deus qui hoc statuerat, nec parem nec superiorem agnosceret, non potuit utique hoc pretium alii, quàm ipsi Deo exsolvi.

XI. Deus enim est Dominus ille, qui quosvis mandatorum suorum trangressores, angelos & homines propriè & principaliter detinet captivos, teste *Petro*. 2. *Epist. cap.* 2. 4. *Matth.* 18. 23. 24. Dia-

Diabolus autem, legis maledictio, & mors ministri sunt, qui homines ad mandatum divinum carceri includunt. *Esa.* 61. *vers.* 1. *Luc.* 4. 19. *Psal* 69. 18. *Eph* 4. 8. *Colos.* 2. 13, 15, 15. *Heb.* 2. 14, 15. peccata autem vincula sunt, quibus captivi tenentur peccatores 2. *Tim.* 2. 26. Quis verò adeo stupidus est, ut ignoret, non ministris, sed Domino captivorum, pretium redemptionis exsolvendum esse? Quibus omnibus probè observatis, ruunt mole suâ argutiæ Socinianæ, oppositæ veritati & proprietati λύτρῳ, quod Christus Jesus Deo exsolvit.

Quæst. 28. *Cur verò Spiritus Sanctus voce metaphoricâ potius, quàm propriâ utitur?*

Resp. *Propterea, quòd metaphoricâ hâc voce Christus & labor Dei & Christi in liberatione nostra ostensus, exprimatur disertiùs. Liberatio enim contingere potest sine charitate; at tam insignis redemptio sine charitate confici nullo modo potest.*

I. Mera hæc sunt figmenti pigmenta. Cùm enim propriè dictâ hîc intelligenda sit per Christum liberatio facta, non necesse est, ut perpetuam metaphoram in voce redimendi admittamus. Res propriè dicta propriis quoque verbis describitur. Ubi enim quinque illa sunt veræ redemptionis requisita, captivus, Captivans, redemptor, pretium, hujus acceptor, ibi vera est redemptio. Atqui hîc sic se res habet. Ergo propriè sic dicta redemptio, propriâ quoque voce exprimitur.

II. Quia autem redemptio propriè dicta est, maxima Dei charitas ex ea elucescit. Imò verò, si tantùm metaphorica esset, quibuscunque tandem illa enunciaretur verbis, perexigua esset. Scilicet, ubi parum rei subest, ibi sesquipedalibus opus est verbis; ad rem impropriè talem, verborum ampullis ampliandam. Non improbamus metephoras, quia ornamentum sunt sermonis, sed iis utitur sobriè spiritus Sanctus, ut homines condimentis, ne rei per se eximiæ, adoptitiam aliquam pulcritudinem fœnerari videatur.

III. Quid verò hæc sibi volunt?

sunt? *Liberatio contingere potest sine charitate, at tam insignis redemptio:* Subsumo. At hæc insignis redemptio ex mente Adversarii est nuda simplex liberatio. Vide quæst. 26. ubi dicit: *Vox redemptionis simpliciter liberationem significat.* Ergò sine charitate contingere potest. Si hoc, quid opus est metaphoricâ, id est disertiore expressione charitatis Dei? cùm judice Smalcio, liberatio ista fieri potuerit absque charitate.

IV. Quanquam, ut hoc addam, falsum sit, liberationem contingere posse absque charitate: Sanè, qui captivum liberat, charitate erga eum fertur; & Deus Israelem ex Ægypto liberans, non sine charitate eam liberationem præstitisse censendus est. Contrarium liquet ab exordio decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, è domo servitutis.* Exod. 20.

Quæst. 29. *Quid ad hæc dicis, quòd Christus sit mediator inter Deum & homines, aut novi fæderis?*

Resp. *Cum legatur Moses fuisse mediator, (puta inter Deum & populum Israel & prisci fæderis) neque eum satisfecisse ullo modo constat, ne hinc quidem, quòd mediator Dei & hominum Christus sit, colligi certò poterit, eum satisfactionem aliquam, quâ Deo pro peccatis nostris satisfieret, peregisse.*

Quæst. 30. *Cur Christo nomen Mediatoris scriptura tribuit?*

Resp. *Propterea, quòd fœdus novum, idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit, & omnem Dei voluntatem, per quam aditus nobis ad Deum patefactus est, exposuerit.*

I. Ex eo quoque probatur Christum redemptionis pretium solvisse, atque adeo justitiæ Dei satisfecisse, quia dicitur Mediator inter

inter Deum & homines, non qualiscunque mediator, sed *mediator, qui sese ipsum dedit redemptionis pretium pro quibusvis*, 1.Tim. 2. vs. 6. Hinc argumentum. Qui ita est mediator, ut se ipsum dederit in pretium redemptionis, is justitiæ Dei pro nobis satisfecit. Atqui Christus ita est mediator, ut se ipsum in pretium redemptionis dederit. Ergo justitiæ Dei pro nobis satisfecit.

II. Unde ignorantiam elenchi committit, cum ad hoc argumentum respondet: *Cum Moses legatur fuisse Mediator, neque eam satisfecisse ullo modo constat, ne hinc quidem* satisfactio *mediatoris Christi colligitur*. Quia argumentum nostrum non à qualicunque mediatione, vel mediationis nomenclatura procedit, sed à mediatione tali, quæ conjuncta est cum solutione pretii. Si quid efficere vellet Adversarius, non tantùm Mosen mediatorem allegare deberet, sed & similes de Mose mediatore loquendi modos, quibus Moses diceretur, dedisse semetipsum in redemptionis pretium, atque iis productis, inferendum esset Adversario, phrasibus istis non obstantibus, nihilominus ostendi non posse, Mosen satisfecisse. Ac proinde non obstantibus quoque istis loquendi modis de Christo, quòd mediator qui semetipsum dedit in redemptionis pretium, non posse etiam exinde ejus satisfactionem evinci.

III. Cum verò Christus dicatur mediator, *qui semetipsum dedit in redemptionis pretium*, qui sanguinem suum per æternum spiritum obtulit Deo, ac propterea, novi pacti mediator, est, *Heb.* 9. 14, 15. Moses verò tantùm simpliciter mediator, quippe cujus mediatio tantùm consistebat in delatione mandatorum Dei ad populum, & relatione ad Deum obsequii, quod se populus præstiturum Deo spondebat, *Gal.* 3. 19. collato cum *Exod.* 19. 3. & seqq. & 20. 19. *Deut.* 5. 5. Quis non videt enstasin à mediatione internunciali Mosis desumptam planè esse alius generis? ac proinde nequaquam per eam meditationem satisfactionem Christi everti posse.

IV. Consequentia enim in argumento nulla. Si is mediator, qui tantùm est internuncius non satisfacit, pro iis, quorum est mediator. Ergo nec is, qui est mediator satisfactionis, seipsum dans in redemptionis pretium pro iis, quorum est mediator satisfacere potest vel tenetur. Quum enim enstasis ad refellendam thesin nostram non sit ejusdem generis, cum ea, quæ thesi nostrâ habetur, impotens planè est ad refutationem the-

theseos nostræ, quæ non obstante hoc cavillo immota manet, Christum esse mediatorem, quia *se ipsum in redemptionis pretium dedit*, atque adeo plenissimè pro peccatis nostris justitiæ Dei, ad ea tollenda, satisfecit.

V. Unde liquet, quid judicandum sit de utraque ratione Adversarii, cur sc. Christus mediator dicatur. *Prima* sc. est. *Quòd fœdus novum idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit.* Præsupponit sc. fœdus istud demum cum Christo nato cæpisse; Veteres autem ad hoc fœdus non pertinuisse, cùm idem fuerit fœdus in V. Test., cum eo quod est in novo, quoad *substantiam*, etsi circumstantiis differret. Hinc Abraham, quo cum Deus pepigerat, atque illi pollicitus fuerat, se fore Deum, non tantùm ejus, sed & seminis ejus in perpetuum *Gen.* 17. *v.*4, 5, 6, 7. Pater dicitur, omnium nostrum *Rom.*4. 16. quod fieri nequaquam posset, nisi identitas fœderis utrobique obtineret.

VI. *Altera*; *Quòd omnem Dei voluntatem per quam aditus nobis ad Deum patefactus est exposuerit.* Petitio est principii; nam hoc ipsum est, de quo inter nos & adversarios controvertitur. Nos negamus, Christum ideo tantùm dici mediatorem, quòd omnem voluntatem Dei nobis aperuerit. Negamus & hoc, quòd Christus demum postquam natus est, eam voluntatem primus aperuerit, quod Adversarius subdolè supponit. *Quia* Paulus, dicitur revelasse Ephesiis *omne consilium Dei*, neque *quicquam* subticuisse, *Act.* 20. 27. nec tamen quippiam dixisse extra Mosen & prophetas. *Act.* 26. 22. Hinc Abraham Epulonem, qui de salute fratrum sollicitus in inferno videbatur, relegat ad *Mosen* & *Prophetas*, atque hos illis esse audiendos præcipit, quod si locum eum tormentorum evitare vellent *Luc.* 16. Ergo in Mose & Prophetis voluntas Dei revelata. Nam per quodquis sufficienter instrui potest ad evitandos inferni cruciatus, per id sufficienter instrui potest ad obtinendam æternam salutem.

VII. Christum autem tantùm mediatorem dici, quòd voluntatem Dei nobis patefecerit, expressè repugnat scripturæ; quæ, postquam dixisset, quòd sanguine Christi, quem per spiritum æternùm obtulit, mundasset conscientias nostras, addit, *& ob id novi pacti mediator est*. Hinc dicitur mediator, *qui se ipsum dedit redemptionis pretium*. 1. *Tim.*2.6. Is a. qui voluntatem Dei, etsi perfectissimè explicat, nequaquam potest dici sanguine suo mundasse conscientias, dedisse semetipsum in redemptionis pretium. Alio-

Alioqui & Apostoli, de quibus *Act.* 16. 17. dicitur, *quòd annunciant viam salutis*, mediatores erunt, qui sanguine suo mundarunt conscientias, qui semetipsos dederunt in redemptionis pretium.

VIII. Intolerabilis ergo est depretiatio mediationis Christi, quæ si infra mediationem aliorum non detruditur, saltem aliis quoque defertur, ut qui ex eadem ratione mediatores dici poterunt; cùm nobis unus tantùm sit mediator. 1 *Tim.* 2. 5. Quare & hoc effugio non effugit, nec declinat vim argumenti: Qui ita est mediator, ut semetipsum det in redemptionis pretium, is pro nobis satisfecit.

Quæst. 31. *Ad hæc verò, quòd nos Deo reconciliavit, quid adfers;*

Resp. *Nusquam scripturam asserere, Deum nobis à Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis, quæ de hac reconciliatione agunt, videre est. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio extrui potest. Deinde verò quòd apertè in scripturis extat, Deum nos sibi reconciliasse, id opinionem Adversariorum prorsus falsam esse evincit.* 2. Cor. 5. 18. Col. 1. 20, 22.

Quæst. 32. *Quid verò de hac reconciliatione sentis?*

Resp. *Christum Iesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo alienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat.*

I. Pro vera & propria Christi satisfactione etiam militant scripturæ loca, quibus dicimur reconciliati Deo per mortem & sanguinem Christi. Reconciliatio enim hominis cum Deo est, quâ amicitia, quæ in prima creatione homini cum Deo creatore, inter-

theseos nostræ, quæ non obstante hoc cavillo immota manet, Christum esse mediatorem, quia *se ipsum in redemptionis pretium dedit*, atque adeo plenissimè pro peccatis nostris justitiæ Dei, ad ea tollenda, satisfecit.

V. Unde liquet, quid judicandum sit de utraque ratione Adversarii, cur sc. Christus mediator dicatur. *Prima* sc. est. *Quòd fœdus novum idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit.* Præsupponit sc. fœdus istud demum cum Christo nato cæpisse; Veteres autem ad hoc fœdus non pertinuisse, cùm idem fuerit fœdus in V. Test., cum eo quod est in novo, quoad *substantiam*, etsi circumstantiis differret. Hinc Abraham, quo cum Deus pepigerat, atque illi pollicitus fuerat, se fore Deum, non tantùm ejus, sed & seminis ejus in perpetuum *Gen.* 17. *v.*4, 5, 6, 7. Pater dicitur, omnium nostrum *Rom.*4. 16. quod fieri nequaquam posset, nisi identitas fœderis utrobique obtineret.

VI. *Altera*; *Quòd omnem Dei voluntatem per quam aditus nobis ad Deum patefactus est exposuerit.* Petitio est principii; nam hoc ipsum est, de quo inter nos & adversarios controvertitur. Nos negamus, Christum ideo tantùm dici mediatorem, quòd omnem voluntatem Dei nobis aperuerit. Negamus & hoc, quòd Christus demum postquam natus est, eam voluntatem primus aperuerit, quod Adversarius subdolè supponit. *Quia* Paulus, dicitur revelasse Ephesiis *omne consilium Dei*, neque *quicquam* subticuisse, *Act.* 20. 27. nec tamen quippiam dixisse extra Mosen & prophetas. *Act.* 26. 22. Hinc Abraham Epulonem, qui de salute fratrum sollicitus in inferno videbatur, relegat ad *Mosen* & *Prophetas*, atque hos illis esse audiendos præcipit, quod si locum eum tormentorum evitare vellent *Luc.* 16. Ergo in Mose & Prophetis voluntas Dei revelata. Nam per quodquis sufficienter instrui potest ad evitandos inferni cruciatus, per id sufficienter instrui potest ad obtinendam æternam salutem.

VII. Christum autem tantùm mediatorem dici, quòd voluntatem Dei nobis patefecerit, expressè repugnat scripturæ; quæ, postquam dixisset, quòd sanguine Christi, quem per spiritum æternùm obtulit, mundasset conscientias nostras, addit, *& ob id novi pacti mediator est.* Hinc dicitur mediator, *qui se ipsum dedit redemptionis pretium.* 1.*Tim.*2.6. Is a. qui voluntatem Dei, etsi perfectissimè explicat, nequaquam potest dici sanguine suo mundasse conscientias, dedisse semetipsum in redemptionis pretium. Alio-

Alioqui & Apostoli, de quibus *Act.* 16. 17. dicitur, *quòd annunciant viam salutis*, mediatores erunt, qui sanguine suo mundarunt conscientias, qui semetipsos dederunt in redemptionis pretium.

VIII. Intolerabilis ergo est depretiatio mediationis Christi, quæ si infra mediationem aliorum non detruditur, saltem aliis quoque defertur, ut qui ex eadem ratione mediatores dici poterunt; cùm nobis unus tantùm sit mediator. 1 *Tim.* 2. 5. Quare & hoc effugio non effugit, nec declinat vim argumenti: Qui ita est mediator, ut semetipsum det in redemptionis pretium, is pro nobis satisfecit.

Quæst. 31. *Ad hæc verò, quòd nos Deo reconciliavit, quid adfers;*

Resp. *Nusquam scripturam asserere, Deum nobis à Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis, quæ de hac reconciliatione agunt, videre est. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio extrui potest. Deinde verò quòd apertè in scripturis extat, Deum nos sibi reconciliasse, id opinionem Adversariorum prorsus falsam esse evincit.* 2. Cor. 5. 18. Col. 1. 20, 22.

Quæst. 32. *Quid verò de hac reconciliatione sentis?*

Resp. *Christum Iesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo alienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat.*

I. Pro vera & propria Christi satisfactione etiam militant scripturæ loca, quibus dicimur reconciliati Deo per mortem & sanguinem Christi. Reconciliatio enim hominis cum Deo est, quâ amicitia, quæ in prima creatione homini cum Deo creatore, inter-

theseos nostræ, quæ non obstante hoc cavillo immota manet, Christum esse mediatorem, quia *se ipsum in redemptionis pretium dedit*, atque adeo plenissimè pro peccatis nostris justitiæ Dei, ad ea tollenda, satisfecit.

V. Unde liquet, quid judicandum sit de utraque ratione Adversarii, cur sc. Christus mediator dicatur. *Prima* sc. est. *Quòd fœdus novum idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit.* Præsupponit sc. fœdus istud demum cum Christo nato cœpisse; Veteres autem ad hoc fœdus non pertinuisse, cùm idem fuerit fœdus in V. Test., cum eo quod est in novo, quoad *substantiam*, etsi circumstantiis differret. Hinc Abraham, quo cum Deus pepigerat, atque illi pollicitus fuerat, se fore Deum, non tantùm ejus, sed & seminis ejus in perpetuum *Gen.* 17. *v.*4, 5, 6, 7. Pater dicitur, omnium nostrum *Rom.*4. 16. quod fieri nequaquam posset, nisi identitas fœderis utrobique obtineret.

VI. *Altera*; *Quòd omnem Dei voluntatem per quam aditus nobis ad Deum patefactus est exposuerit.* Petitio est principii; nam hoc ipsum est, de quo inter nos & adversarios controvertitur. Nos negamus, Christum ideo tantùm dici mediatorem, quòd omnem voluntatem Dei nobis aperuerit. Negamus & hoc, quòd Christus demum postquam natus est, eam voluntatem primus aperuerit, quod Adversarius subdolè supponit. *Quia* Paulus, dicitur revelasse Ephesiis *omne consilium Dei*, neque *quicquam* subticuisse, *Act.* 20. 27. nec tamen quippiam dixisse extra Mosen & prophetas. *Act.* 26. 22. Hinc Abraham Epulonem, qui de salute fratrum sollicitus in inferno videbatur, relegat ad *Mosen* & *Prophetas*, atque hos illis esse audiendos præcipit, quod si locum eum tormentorum evitare vellent *Luc.* 16. Ergo in Mose & Prophetis voluntas Dei revelata. Nam per quodquis sufficienter instrui potest ad evitandos inferni cruciatus, per id sufficienter instrui potest ad obtinendam æternam salutem.

VII. Christum autem tantùm mediatorem dici, quòd voluntatem Dei nobis patefecerit, expressè repugnat scripturæ; quæ, postquam dixisset, quòd sanguine Christi, quem per spiritum æternùm obtulit, mundasset conscientias nostras, addit, *& ob id novi pacti mediator est.* Hinc dicitur mediator, *qui se ipsum dedit redemptionis pretium.* 1.*Tim.*2.6. Is a. qui voluntatem Dei, etsi perfectissimè explicat, nequaquam potest dici sanguine suo mundasse conscientias, dedisse semetipsum in redemptionis pretium.

Alio-

Alioqui & Apostoli, de quibus *Act.* 16. 17. dicitur, *quòd annunciente viam salutis*, mediatores erunt, qui sanguine suo mundarunt conscientias, qui semetipsos dederunt in redemptionis pretium.

VIII. Intolerabilis ergo est depretiatio mediationis Christi, quæ si infra mediationem aliorum non detruditur, saltem aliis quoque defertur, ut qui ex eadem ratione mediatores dici poterunt; cùm nobis unus tantùm sit mediator. 1 *Tim.* 2. 5. Quare & hoc effugio non effugit, nec declinat vim argumenti: Qui ita est mediator, ut semetipsum det in redemptionis pretium, is pro nobis satisfecit.

Quæst. 31. *Ad hæc verò, quòd nos Deo reconciliavit, quid adfers;*

Resp. *Nusquam scripturam asserere, Deum nobis à Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis, quæ de hac reconciliatione agunt, videre est. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio extrui potest. Deinde verò quòd apertè in scripturis extat, Deum nos sibi reconciliasse, id opinionem Adversariorum prorsus falsam esse evincit.* 2. Cor. 5. 18. Col. 1. 20, 22.

Quæst. 32. *Quid verò de hac reconciliatione sentis?*

Resp. *Christum Iesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo alienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat.*

I. Pro vera & propria Christi satisfactione etiam militant scripturæ loca, quibus dicimur reconciliati Deo per mortem & sanguinem Christi. Reconciliatio enim hominis cum Deo est, quâ amicitia, quæ in prima creatione homini cum Deo creatore, inter-

 ces-

thesεos nostræ, quæ non obstante hoc cavillo immota manet; Christum esse mediatorem, quia *se ipsum in redemptionis pretium dedit*, atque adeo plenissimè pro peccatis nostris justitiæ Dei, ad ea tollenda, satisfecit.

V. Unde liquet, quid judicandum sit de utraque ratione Adversarii, cur sc. Christus mediator dicatur. *Prima* sc. est. *Quòd fœdus novum idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit.* Præsupponit sc. fœdus istud demum cum Christo nato cæpisse; Veteres autem ad hoc fœdus non pertinuisse, cùm idem fuerit fœdus in V. Test., cum eo quod est in novo, quoad *substantiam*, etsi circumstantiis differret. Hinc Abraham, quo cum Deus pepigerat, atque illi pollicitus fuerat, se fore Deum, non tantùm ejus, sed & seminis ejus in perpetuum *Gen.* 17. *v.*4, 5, 6, 7. Pater dicitur, omnium nostrum *Rom.*4. 16. quod fieri nequaquam posset, nisi identitas fœderis utrobique obtineret.

VI. *Altera*; *Quòd omnem Dei voluntatem per quam aditus nobis ad Deum patefactus est exposuerit.* Petitio est principii; nam hoc ipsum est, de quo inter nos & adversarios controvertitur. Nos negamus, Christum ideo tantùm dici mediatorem, quòd omnem voluntatem Dei nobis aperuerit. Negamus & hoc, quòd Christus demum postquam natus est, eam voluntatem primus aperuerit, quod Adversarius subdolè supponit. *Quia* Paulus, dicitur revelasse Ephesiis *omne consilium Dei*, neque *quicquam* subticuisse, *Act.* 20. 27. nec tamen quippiam dixisse extra Mosen & prophetas. *Act.* 26. 22. Hinc Abraham Epulonem, qui de salute fratrum sollicitus in inferno videbatur, relegat ad *Mosen* & *Prophetas*, atque hos illis esse audiendos præcipit, quod si locum cum tormentorum evitare vellent *Luc.* 16. Ergo in Mose & Prophetis voluntas Dei revelata. Nam per quodquis sufficienter instrui potest ad evitandos inferni cruciatus, per id sufficienter instrui potest ad obtinendam æternam salutem.

VII. Christum autem tantùm mediatorem dici, quòd voluntatem Dei nobis patefecerit, expressè repugnat scripturæ; quæ, postquam dixisset, quòd sanguine Christi, quem per spiritum æternùm obtulit, mundasset conscientias nostras, addit, *& ob id novi pacti mediator est*. Hinc dicitur mediator, *qui se ipsum dedit redemptionis pretium*. 1.*Tim*.2.6. Is a.qui voluntatem Dei, etsi perfectissimè explicat, nequaquam potest dici sanguine suo mundasse conscientias, dedisse semetipsum in redemptionis pretium.

Alio-

Alioqui & Apostoli, de quibus *Act.* 16. 17. dicitur, *quòd annunciènt viam salutis,* mediatores erunt, qui sanguine suo mundarunt conscientias, qui semetipsos dederunt in redemptionis pretium.

VIII. Intolerabilis ergo est depretiatio mediationis Christi, quæ si infra mediationem aliorum non detruditur, saltem aliis quoque defertur, ut qui ex eadem ratione mediatores dici poterunt; cùm nobis unus tantùm sit mediator. 1 *Tim.* 2. 5. Quare & hoc effugio non effugit, nec declinat vim argumenti: Qui ita est mediator, ut semetipsum det in redemptionis pretium, is pro nobis satisfecit.

Quæst. 31. *Ad hæc verò, quòd nos Deo reconciliavit, quid adfers;*

Resp. *Nusquam scripturam asserere, Deum nobis à Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis, quæ de hac reconciliatione agunt, videre est. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio extrui potest. Deinde verò quòd apertè in scripturis extat, Deum nos sibi reconciliasse, id opinionem Adversariorum prorsus falsam esse evincit.* 2. Cor. 5. 18. Col. 1. 20, 22.

Quæst. 32. *Quid verò de hac reconciliatione sentis?*

Resp. *Christum Iesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo alienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat.*

I. Pro vera & propria Christi satisfactione etiam militant scripturæ loca, quibus dicimur reconciliati Deo per mortem & sanguinem Christi. Reconciliatio enim hominis cum Deo est, quâ amicitia, quæ in prima creatione homini cum Deo creatore, inter-

sunt? *Liberatio contingere potest sine charitate, at tam insignis redemptio:* Subsumo. At hæc insignis redemptio ex mente Adversarii est nuda simplex liberatio. Vide quæst. 26. ubi dicit: *Vox redemptionis simpliciter liberationem significat.* Ergò sine charitate contingere potest. Si hoc, quid opus est metaphoricâ, id est disertiore expressione charitatis Dei? cùm judice Smalcio, liberatio ista fieri potuerit absque charitate.

IV. Quanquam, ut hoc addam, falsum sit, liberationem contingere posse absque charitate; Sanè, qui captivum liberat, charitate erga eum fertur; & Deus Israelem ex Ægypto liberans, non sine charitate eam liberationem præstitisse censendus est. Contrarium liquet ab exordio decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, è domo servitutis.* Exod. 20.

Quæst. 29. *Quid ad hæc dicis, quòd Christus sit mediator inter Deum & homines, aut novi fæderis?*

Resp. *Cum legatur Moses fuisse mediator, (puta inter Deum & populum Israel & prisci fæderis) neque eum satisfecisse ullo modo constat, ne hinc quidem, quòd mediator Dei & hominum Christus sit, colligi certò poterit, eum satisfactionem aliquam, quâ Deo pro peccatis nostris satisfieret, peregisse.*

Quæst. 30. *Cur Christo nomen Mediatoris scriptura tribuit?*

Resp. *Propterea, quòd fœdus novum, idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit, & omnem Dei voluntatem, per quam aditus nobis ad Deum patefactus est, exposuerit.*

I. Ex eo quoque probatur Christum redemptionis pretium solvisse, atque adeo justitiæ Dei satisfecisse, quia dicitur Mediator inter

inter Deum & homines, non qualiscunque mediator, sed *mediator, qui sese ipsum dedit redemptionis pretium pro quibusvis*, 1. Tim. 2. ✝ſ. 6. Hinc argumentum. Qui ita est mediator, ut se ipsum dederit in pretium redemptionis, is justitiæ Dei pro nobis satisfecit. Atqui Christus ita est mediator, ut se ipsum in pretium redemptionis dederit. Ergo justitiæ Dei pro nobis satisfecit.

II. Unde ignorantiam elenchi committit, cum ad hoc argumentum respondet: *Cum Moses legatur fuisse Mediator, neque eam satisfecisse ullo modo constat, ne hinc quidem* satisfactio *mediatoris Christi colligitur*. Quia argumentum nostrum non à qualicunque mediatione, vel mediationis nomenclatura procedit, sed à mediatione tali, quæ conjuncta est cum solutione pretii. Si quid efficere vellet Adversarius, non tantùm Mosen mediatorem allegare deberet, sed & similes de Mose mediatore loquendi modos, quibus Moses diceretur, dedisse semetipsum in redemptionis pretium, atque iis productis, inferendum esset Adversario, phrasibus istis non obstantibus, nihilominus ostendi non posse, Mosen satisfecisse. Ac proinde non obstantibus quoque istis loquendi modis de Christo, quòd mediator qui semetipsum dedit in redemptionis pretium, non posse etiam exinde ejus satisfactionem evinci.

III. Cum verò Christus dicatur mediator, *qui semetipsum dedit in redemptionis pretium*, qui sanguinem suum per æternum spiritum obtulit Deo, ac propterea, novi pacti mediator, est, *Heb.* 9. 14, 15. Moses verò tantùm simpliciter mediator, quippe cujus mediatio tantùm consistebat in delatione mandatorum Dei ad populum, & relatione ad Deum obsequii, quod se populus præstiturum Deo spondebat, *Gal.* 3. 19. collato cum *Exod.* 19. 3. & seqq. & 20. 19. *Deut.* 5. 5. Quis non videt enstasin à mediatione internunciali Mosis desumptam planè esse alius generis? ac proinde nequaquam per eam meditationem satisfactionem Christi everti posse.

IV. Consequentia enim in argumento nulla. Si is mediator, qui tantùm est internuncius non satisfacit, pro iis, quorum est mediator. Ergo nec is, qui est mediator satisfactionis, seipsum dans in redemptionis pretium pro iis, quorum est mediator satisfacere potest vel tenetur. Quum enim enstasis ad refellendam thesin nostram non sit ejusdem generis, cum ea, quæ thesi nostrâ habetur, impotens planè est ad refutationem the-

Alioqui & Apostoli, de quibus *Act.* 16. 17. dicitur, *quòd annunciant viam salutis*, mediatores erunt, qui sanguine suo mundarunt conscientias, qui semetipsos dederunt in redemptionis pretium.

VIII. Intolerabilis ergo est depretiatio mediationis Christi, quæ si infra mediationem aliorum non detruditur, saltem aliis quoque defertur, ut qui ex eadem ratione mediatores dici poterunt; cùm nobis unus tantùm sit mediator. 1 *Tim.* 2. 5. Quare & hoc effugio non effugit, nec declinat vim argumenti: Qui ita est mediator, ut semetipsum det in redemptionis pretium, is pro nobis satisfecit.

Quæst. 31. *Ad hæc verò, quòd nos Deo reconciliavit, quid adfers;*

Resp. *Nusquam scripturam asserere, Deum nobis à Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis, quæ de hac reconciliatione agunt, videre est. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio extrui potest. Deinde verò quòd apertè in scripturis extat, Deum nos sibi reconciliasse, id opinionem Adversariorum prorsus falsam esse evincit.* 2. Cor. 5. 18. Col. 1. 20, 22.

Quæst. 32. *Quid verò de hac reconciliatione sentis?*

Resp. *Christum Iesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo alienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat.*

I. Pro vera & propria Christi satisfactione etiam militant scripturæ loca, quibus dicimur reconciliati Deo per mortem & sanguinem Christi. Reconciliatio enim hominis cum Deo est, quâ amicitia, quæ in prima creatione homini cum Deo creatore, inter-

cesserat, & postea propter offensam hominis in Deum soluta fuerat, adeo ut inimicitiæ sequutæ essent, redintegratur, per mediatorem vi sanguinis ejus fusi, de qua reconciliatione agunt loca sequentia.

II. 2. Cor 5. 18, 19 *Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, dedique nobis ministerium reconciliationis. Nempè quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum, posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis.* Rom 5. 10. *Nam si quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur, per vitam ipsius.* Col. 1 20. Et ut per sanguinem crucis ejus facta, *per eum reconciliaret omnia sibi per eum, tum quæ in cælis, tum quæ in terra.*

III. Hinc argumentamur: Quicunque suâ morte nos Deo reconciliavit, & in gratiam Dei reduxit, is iram Dei, quam peccatis nostris concitaveramus placavit, adeoque Deo pro nobis satisfecit, Christus suâ morte nos Deo reconciliavit & in gratiam Dei reduxit. Ergo Christus iram Dei, quam peccatis nostris concitaveramus placavit. Sic enim res habet: Nos Deum peccatis nostris offenderamus. Quid enim sibi vult ira Dei, quam lex operatur? *Rom.* 5. 9. Nonne peccata nostra dividunt inter nos & Deum nostrum. *Esa.* 59. 2. Et quid illud est, quod omnibus omnino peccatoribus applicari potest? *Esa.* 63. 10, *Nam ipsis rebellantibus & dolore afficientibus spiritum ejus, mutabatur ipsis in inimicum.*

IV. Christus autem sanguine suo causas inimicitiæ & iræ delevit. Hinc *justificati ex fide* dicimur *pacem habere apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Rom. 5. Morte suâ nos Deo reconciliavit *Rom.* 5. 10, peccatis deletis *Dan* 9. 24. expiatis delictis nostris *Heb.* 2. 17. 1. *Ioh.* 2. 2. Atque sic remota causa offensionis nos Deo reconciliavit, quatenus nos in gratiam Dei reduxit. Vicissim Deum nobis reconciliavit, quatenus Dei gratiam nobis recuperavit & restituit.

V. Ad hoc argumentum, à reconciliatione per Christum facta, Catecheses respondere satagit, dicens: *Nusquam scripturam asserere Deum nobis a Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati.* Sed hoc si verum est, quomodo dicimur *naturâ filii iræ*? *Eph.* 2. Alia ratio istius nulla dari potest, nisi quod Deus fuerit iratus, sive quòd fuerimus filii iræ Dei. Et si res ita habet, quod Christus non Deum

Deum nobis reconciliavit, sed nos Deo, tum Christus non poterit dici *advocatus noster apud Deum*, 1. Joh. 2. 1. Sed Advocatus Dei apud nos: nec esset propitiatio pro peccatis nostris apud Deum *ibidem*; sed Dei propitiatio apud nos quod absurdum.

VI. Constat Deum nobis fuisse iratum. Si quis neget, is negat Deum peccata abominari & detestari; nam sublato effectu tollitur causa: is fingit Deum perinde homines amare, quomodocuncque se habeant, sivè peccent, sive à peccatis abstineant. Quia verò Deus peccata, etiam minima odit extremè, sequitur necessariò, quòd etiam peccatores oderit, ut habetur *Sap.* 14. 9. *Æquè odio sunt Deo impius, & impietas. Omnes autem eramus peccatores* Rom. 3. 23. Ergo Deus nos oderat.

VII. Ergo, cum scriptura dicit, nos reconciliatos, non tantùm dicit, nos Deo esse reconciliatos, sed etiam, Deum nobis, quippe qui propter peccata, quæ sinè irâ & indignatione ferre non potest, nobis infensum fuisse. Quia ipsa vox reconciliationis relativa est, & reparationem amicitiæ dicit, tum ejus, qui odio habuit, tum ejus, qui odio habitus est.

VIII. Eum autem esse locorum allegatorum sensum liquet, quòd *Rom.* 5. 9. 10. justificari & conciliari idem sint, & reconciliatum & justificatum esse convertantur. Ergo quæ argumenta probant justificationem, ea probant Deum reconciliatum nobis. At Deus justificavit. Deinde, cum 2. *Cor.* 5. 19. Deus dicitur sibi reconciliasse mundum, subjungitur, *non imputans peccata.* Ille autem qui imputat peccata, odio habuit, qui odio habuit, iratus fuit; qui iratus fuit, placatus fuit & proinde nobis reconciliatus. Et sanè, quid vult Apostolus, cum dicit *Ephes.* 1. *vers.* 6. gratos nos sibi reddidit in dilecto, scilicet Christo, nisi quòd antea non fuerimus ipsi accepti, minimeque grati.

IX. At inquit Adversarius: *Deus dilexit nos*, teste scriptura, *cum adhuc inimici ejus essemus* Rom. 5. 9. Si dilexit, ergo iratus non fuit, Si hoc, ergo opus non fuit ut ille nobis reconciliaretur, quia jam dilecti eramus, unde ex ista dilectione factum est, ut filium mitteret. Sed *Resp.* distinguendo inter dilectionem *benevolentiæ* & *complacentiæ*, seu *ordinativam* & *collativam.* Dilectio benevolentiæ seu ordinativa est, quâ media ordinantur ad reconciliationem. Nam si offensus, media subministret illi, â quo est offensus, per

quâ offensæ ejus satisfieri possit, hoc ipso benè vult ipsi, à quo offensus est, neque tamen eo ipso adhuc est reconciliatus. Et eâ dilectione complexus Deus fuit hominem, cum Christum dare destinaret; At cùm media ista ordinata reconciliationi actu sunt adhibita, amor iste *collativus* fit.

X. Exemplo res clarior fiet. *Hiob.* 42 7, 8. Dixit Jehova Eliphazo Themanitæ. *Accensa est ira mea in te & in duos amicos tuos, quia non estis loquuti de me rectè ut servus meus Hiob.* Ecce Deum iratum. *Quamobrem sumite nunc vobis septem juvencos, septemque arietes, & adite servum meum Hiobum, ut offerendum curetis holocaustum pro vobis, & servus meus Hiob oret pro vobis, nam verè personam ejus accipiam.* Ecce Deum diligentem, sed amore benevolentiæ & ordinativo tantum diligentem: ex quo amore hoc profectum est, ut media redeundi in gratiam secum suppeditaret. Nec tamen fuit placatus. Quia si jam placatus fuisset, quid adhibitione mediorum reconciliationis opus fuisset?

XI. Hinc quid ad speciosum illud, magis quàm solidum, argumentum respondendum sit, manifestum est. Qui dilexit & ex amore dat filium, ille placatus est, ille non opus habet reconciliatione. Deus dilexit. Ergo. Nimirum; respondendum est ad Majorem. Qui dilexit non tantùm amore *benevolentiæ* & *ordinativo* mediorum, sed & amore *complacentiæ* & *collativo* finis, is placatus est, nec opus habet reconciliatione. Atqui sic negatur Minor; quia Deus quidem dilexit, sed non dilexit *collativè*, sed tantùm *ordinativè*, qui amor & dilectio eum ostendit, non actu placatum, sed ad placandum pronum & paratum.

XII. Ex eodem fonte solutionis respondetur ad cornutam illam Adversariorum quæstionem, frequentatam. Deus dum filium in mediatorem destinaret, iratus ne fuit, an placatus? Non iratus, quia filium non misisset; Ergo placatus. Nempe respondeo: Iratum quidem fuisse Deum, sed ita iratum, non qui jam placatus esset, sed qui placari & nobis propitius fieri velet.

XIII. Asserunt equidem Adversarii, scripturam sacram nos Dei inimicos vocantem, non hoc innuere, ac si nobis Deus factus esset inimicus, sed nostram saltem erga Deum monstrare inimicitiam & animum hostilem. Verùm impudens planè hæc est sophisticatio. Testatur enim scriptura manifestè, *peccata nostra dividere inter nos & Deum nostrum, absconsam facere*

fa-

faciem, ne exaudiamur. Esa. 59. v. 2. Et Jerem. 5 25. *Iniquitates vestra avertunt ista, & peccata vestra cohibent bonum hoc à vobis*. Hoc certè nulla aliâ de causa fit, quàm quòd peccata Deus abominetur, eorumque osor sit acerrimus; nos vero rursus ex peccato voluptatem capientes deque eo naturæ ductu gaudentes, Dei peccata nobis prohibentis, evasimus hostes.

XIV. Spiritus itaque Sanctus ex utraque parte, inimicitias monstrat, contra quàm Adversarius, qui contendit non fuisse perfectas sive mutuas inimicitias, sed tantùm ex altera, sc. ex nostra parte: ex parte a. Dei nullas fuisse inimicitias, adeoque nec reconciliatione opus fuisse. Quia hinc quoque hostilitas illa creaturarum profluxit erga nos, de qua *Deut.* 28. eò quòd ipsorum creator nobis factus esset hostis.

VI. Et quis tantæ erit impudentiæ, ut scripturæ illud neget effatum, quo dicitur, *Deum populo Israëlitico, adversus se rebellanti factum esse inimicum manifestum & contra illum pugnasse*, idque propterea, *quòd irasci fecerint spiritum suum sanctum*, Esa. 63. 10. Hoc effatum impossibile est ut ad sententiam adversam torqueatur. Jam argumentor: Si Deus Israëli factus fuit inimicus propter rebellionem peccati: Ergo omnium omnino hominum sit hostis, qui peccato sunt rebelles. Atqui omnes omnino homines &c. Ergo Deus omnium hominum peccatorum sit hostis. Annon enim Deus eadem ratione omnibus istis inimicus esse possit, qui adversum se paria cum Israëlitis faciunt?

XVI. Accedit, quòd Apostolus nos vocet *filios iræ* Eph. 2. 3. Quæ istius ratio? An quod nos Deo irascamur? Minimè. Uti enim mortis filius non dicitur is, qui aliquem morti adiudicat, sed potius qui adjudicatur; ita iræ filius non potest dici is, qui Deo irascitur, sed solus is, cui Deus est iratus. Juxta mentem Adversarii, quod nimirum adversus Deum nos irâ commoti fuerimus, non Deus adversus nos, consequeretur omnino, Deum fuisse filium iræ, non autem hominem.

XVII. Maximè a. absurditas sententiæ adversæ ex oppositorum natura patescit, quorum eadem semper est ratio. Si ii propriè Dei sunt amici, non qui Deum diligunt, sed quos ipse diligit, cujus respectu & Lazarus amicus Christi vocatus est, quià Dominus eum dilexit. *Ioh.* 11. 3. 11. tum ex opposito manifestũ est, propriè inimicos Dei non esse, qui sese exhibuerint ei inimicos, sed quibus ipse Deus est inimicus.

XVIII. Ut compendium rei faciamus; si Deus propter peccatum non fuit, [illegible] potuit nobis esse offensus, vel inimicus noster, sed nos ipsius, qui quæso factum est, ut

ut à Deo non homo, sed ab homine Deus fuerit placatus & reconciliatus partim sacrificiis partim precibus. Quid enim? sacrificia munera fuerunt, quibus ab hominibus Deo aliquid oblatum fuit, ad eum placandum. Munera enim dantur ab eo qui reus est, & irâ dignus, illi qui reum tenet & iram cum viribus habet. Quod vel apud ipsos gentiles notum fuit, eum propitiari & placari muneribus, qui læsus & offensus est, non eum qui offendit. Hinc illud Poëtæ:

Munera crede mihi, placant hominesque Deosque;
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

XIX. Quid quòd Deus supplex ex hac sententia apud nos homines procidat oportet, amicitiamque nostram imploret; quippe qui nobis fuit amicus, nostriq; amans, nos verò eum odio habentes, ut eum amicitiâ & pace nostrâ dignaremur, quod planè est absurdissimum.

XX. Scriptura sacra equidem nuspiam dicit totidem verbis, quòd semet ipsum Deus se nobis reconciliarit; sed ubique asseverat, Deum sibi nos reconciliasse, nosque Dei fuisse hostes. Veruntamen, quia scriptura dicit Deum nobis fuisse iratum, inimicum, loquutione hâc, *quod nos sibi reconciliarit*, hoc ipsum indicatur, quod volumus; Deus enim reconciliavit nos sibi, non placatos nos sibi reddens, aut nostram aucupans gratiam; esset enim hæc blasphemia; sed ipse nobis placatus est in filio.

XXI. Hoc Paulus evidenter docuit Eph. 1. 6. dicens: *gratiâ suâ nos gratos reddidit in illo dilecto*. Quod sensu Adversariorum planè est inconveniens, ac si ipsemet sese nobis acceptum & dilectum effecisset; (quod utique fuisset necessarium, si non Deus noster hostis fuisset, sed nos tantùm Dei) sed propriissimè de nobis intelligendum, quòd nos sibi fecerit acceptos dilectosque. E quibus iterum probatur, nos Deo non fuisse iratos, sed Deum nobis. Ut hic nihil dicam de eo argumento quod quidam ducunt ex *Math.* 3. 17. & 17. 5. *Hic est Filius ille meus dilectus ἐν ᾧ εὐδόκησα, in quo mihi complacitum est*, sc genus humanum. Quod à quibusdam redditur, hic est filius meus dilectus, *in quo placatus sum*.

XXII. Cum ergo loca allegata de hostilitate utrinque accipienda, reconciliatio etiam non tantùm ratione nostri intelligenda est, sed maximè ratione Dei, qui nobis est propitiatus. Consequenter, id quod apertè in scripturis extat, *Deum nos sibi reconciliasse*, id sententiam nostrâ non evincit esse falsam. Quinimò, quia scriptura apertè dicit, Deum nos sibi reconciliasse, qui sc. nobis fuit iratus, eo ipso indigitatur ille amor Dei *ordinativus* ex quo nobis

nobis ipse prospexit de medio, per quod ille iratus, placabilis tamen nobis propitiari possit.

XXIII. Quibus ita se habentibus, liquet, commentitiam esse glossam super istis locis, ac si scilicet Christus propterea diceretur nos reconciliasse Deo, quod viam ostenderit, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat. Quanquam rei veritate videatur victus Adversarius, ut qui ipsâ suâ phrasi & modo loquendi sententiam nostram approbet, cum dicit, *quemadmodum ei reconciliari oporteat* Quibus verbis dicit Christum eum esse, qui nos docuit quemadmodum Deo reconciliari debuimus. At si ea est mens Adversarii, Deum nobis non fuisse hostem, oportebat dicere, Christum viam ostendisse, quemadmodum illum nobis reconciliari oporteat.

XXIV. Videtur tamen favere Adversariorum partibus, quòd Apostoli dicantur *ministri reconciliationis*. 2. *Cor*. 5. 19. & Euangelium *verbum reconciliationis*. Quâ ratione inquit Socinus, reconciliationem ministrare poterant, si illa in Christi meritis tota residebat? Imò, si per Christum reconciliati, cur Apostolus inquit, reconciliemini Deo? Sed responsio facilis. Quiâ cum dicimur reconciliati per Christum, 2 *Cor*. 5. 18.19. intelligitur reconciliationis per Christum nobis acquisitio. Cum verò ministerium *reconciliationis* appellat, & Corinthios hortatur, ut reconcilientur Deo, intelligitur reconciliationis acquisitæ per verbum applicatio. Quod si enim eodem sensu accipienda esset reconciliatio de Apostolis, quo de Christo, Christus blasphemè eodem ordine cum Apostolis collocaretur. Cùm Christus ita sit minister reconciliationis ut, simul sit ipse conciliator, quod de Apostolis dicere blasphemum.

Quæst. 33. *Ad ea verò quid respondes, Christum peccata nostra tulisse?*

Resp. *Ne hinc quidem istam adstrui satisfactionem, id argumento esse; quòd de Deo in hebraico textu scriptum sit, ipsum esse qui misericordiam millibus servet, & portet iniquitatem & peccata Et Matthæus disertißimè ait, tum, cum Christus multos morbos curasset in populo, impletum fuisse illud per Esaiam scriptum* Math. 8. 12. Esa. 5, 3.4. Ille infirmitates nostras sustulit

XIV. His autem talibus excommunicatis, ut tantò magis de peccatorum suorum fœditate, suaque ipsorum miseriâ & infelici conditione cogitandi occasio daretur, illique pudore suffunderentur, omnis arctior societas, familiaritas, privata officia, mensa, domus, illis à cætu filium denegata fuerunt. Quemadmodum ex verbis Samaritanæ ad Christum *Ioh.* 4. 9. ex accusatione Pharisæorum contra Christum, quod cum Publicanis & peccatoribus cibum caperet, *Luc.* 15. 2. ex disceptatione Judæorum adversus Petrum, quòd in domum Cornelii introiisset cibumque cum eo sumpsisset, *Act.* 11. 2, 3. & ex 2. *Ioh. v.* 10. manifestum est.

XV. Quanquam verò arctior familiaritas, & privatorum officiorum frequens commercium, cessare debeat inter eos qui sunt de Ecclesia, & excommunicatione; precibus tamen ad Deum tam publicis quàm privatis crebrisque admonitionibus, dilectio erga talem testanda est. Quia excommunicationis istud fulmen vibratum est eo fine, ut ii, qui non prorsus in peccatis obduruerunt & obbrutuerunt, resipiscant, ad saniorem mentem revocentur, & ex diaboli laqueo, à quo captivi tenebrantur, evadant. Hinc Paulus incestuosum illum voluit tradi Sathanæ, ad interitum carnis, hoc est, ut corpore per tristitiam, pudorem & consternationem exhausto quasi & expiato, vitiosa & corrupta natura, atque libido mortificetur & intereat, idquè ad salutem Spiritus, in die illo Domini Jesu. 1. *Cor.* 5. 5.

XVI. Ergo consensus est inter nos, disciplinam esse debere, eamque vel privatim, vel publicè esse exercendam, ut transgressores sanentur, & in viam revocentur, alii metu percellantur: ab immorigeris boni non inficiantur, verbum Domini malè non audiat, & nomen Dei non blasphemetur.

Quæst. 11. *Quod periculum imminet ejusmodi hominibus?*

Resp. *Id, quòd è cœtu Christi, ac proinde è regno ipsius exclusis nihil supersit amplius, nisi illud ligamentum, de quo Christus apud* Matth. 18. ℣. 18. Amen amen dico vobis, quæcuncque ligaveritis super terram, erunt

ligata & in cœlis; & quæcuncque solveritis super terram, soluta erunt in cœlis.

Quæst. 12. *Quæ est ligandi & solvendi potestas quam habet Ecclesia?*

Resp. *Est declaratio & denunciatio secundùm Dei verbum, qui sit dignus, qui non, ut sit in Christi Ecclesiâ.*

I. Periculum sanè, & quidem gravissimum imminet iis, qui excommunicatione à communione Ecclesiæ excluduntur, eò quòd hæc ipsa exclusio, si ligitimè sit facta, à Deo in cœlis ratihabeatur. Legitimè autem ut fiat, non temerè ex quavis suspicione, aut ex affectu & vindictæ cupiditate ad eã procedatur oportet. Nec ab uno solo illa excommunicationis sententia ferri debet, sed ab universo senatu, ex auctoritate totius presbyterii, imò etiam approbante Ecclesia fieri debet.

II. Interim quicquid statuitur in excommunicatum, id omne est conditionale, non absolutum, cum conditione resipiscentiæ conjunctum, adeo ut tali spes salutis si resipiscat, præcisa non sit.

III. Etsi enim hi tales arceantur à sacramentorum communione; non tamen eos à frequentatione cœtus Ecclesiæ arceri oportet, quò illis occasio præscindatur ad audiendum verbum Dei, & spes resipiscentiæ præcludatur. Quanquam enim vox ἀποσυναγωγεῖν propriè à cœtibus sacris excludere sonet, attamen sine excommunicationis potissimo, qui est salus excommunicati spectato, omnimoda exclusio intelligi non potest. Quod si enim tandem resipiscat excommunicatus, cum gaudio & gratiarum actione ad Deum iterum suscipi debet. Quemadmodum Paulus de incestuoso illo excommunicato & pœnitente, Corinthios facere vult. 2. *Cor.* 2. 7, 8. Et Christus in cœlo etiam super peccatore resipiscente gaudium esse pronunciat. *Luc.* 15. 7, 10.

Quid sit ligandi, & solvendi potestas, solidè Catechesi nostrâ Reformatâ explicatur, quæstionibus 83, 84, 85. Ibi vide.

Quæst. 13. *Quæ est ratio ordinem in Ecclesia conservandi illa, quæ iis, qui præsunt, potissimum incumbit?*

Resp.

non incurrit, adeòque propter eam spiritualem & fidei cum Christo unionem, aliquis dicitur membrum invisibilis Ecclesiæ.

Quæst. 3. *Nonne exterioribus factis agnosci potest, qui sit Ecclesiæ Christi membrum?*

Resp. *E factis exterioribus cuivis promptum est agnoscere, qui non sit membrum Ecclesiæ Christi, id est, qui Spiritum ejus non habeat, & fidem veram. Etenim Apostolus, ait manifesta esse opera carnis* Gal. 5. vers. 19. *Verùm ex exterioribus factis, difficulter agnosci potest, ubi sit Christi Spiritus & vera fides, Facilè enim exteriora facta, quæ ex corde sincero non proficiscuntur, eam speciem referre non possunt, quam habent, quæ è corde prodeunt. Breviter, potest quis animo malus, induere speciem externam hominis probi: verùm in homine probo secùs est, qui nunquam hominis improbi speciem præ se ferre laborat.*

I. Dominus solus novit qui sunt sui 2 *Tim.* 2. 19. ille enim renes & corda scrutatur: nec externa species pietatis eum fallit, ut quandoque contingit apud homines. Novit enim ille, quæ sunt in homine; nec opus habet, ut quis illi de homine testetur. Cognitio autem nostri ratione aliorum tantùm conjecturalis est: nec categoricè quempiam pro interno Ecclesiæ invisibilis membro pronunciare possumus, nec quempiam finaliter reprobum pronunciare.

II. Prius nobis impossibile est. Quia ut ipse tenebrarum princeps in angelum lucis se transformare potest; ita etiam tenebrarum filii, quandoque speciem pietatis mentiri possunt, etsi virtutem ejus abnegent; & ratione externi cultus nihil præstari potest à verè fideli, quod non simiæ ad instar possit imitari hypocrita.

III. Posterius verò esset impium, quempiam ex fructibus carnis judicare reprobatum. *Reprobus* est hactenus, sed an *reprobatus*.

cesserat, & postea propter offensam hominis in Deum soluta fuerat, adeo ut inimicitiæ sequutæ essent, redintegratur, per mediatorem vi sanguinis ejus fusi, de qua reconciliatione agunt loca sequentia.

II. 2 Cor 5. 18, 19 *Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis. Nempè quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando ejs offensas eorum, posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis.* Rom 5. 10. *Nam si quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur, per vitam ipsius.* Col. 1 20. Et ut per sanguinem crucis ejus facta, *per eum reconciliaret omnia sibi per eum, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra.*

III. Hinc argumentamur: Quicunque suâ morte nos Deo reconciliavit, & in gratiam Dei reduxit, is iram Dei, quam peccatis nostris concitaveramus placavit, adeoque Deo pro nobis satisfecit, Christus suâ morte nos Deo reconciliavit & in gratiam Dei reduxit. Ergo Christus iram Dei, quam peccatis nostris concitaveramus placavit. Sic enim res habet: Nos Deum peccatis nostris offenderamus. Quid enim sibi vult ira Dei, quam lex operatur? Rom. 5. 9. Nonne peccata nostra dividunt inter nos & Deum nostrum. Esa. 59. 2. Et quid illud est, quod omnibus omnino peccatoribus applicari potest? Esa. 63. 10, *Nam ipsis rebellantibus & dolore afficientibus spiritum ejus, mutabatur ipsis in inimicum.*

IV. Christus autem sanguine suo causas inimicitiæ & iræ delevit. Hinc *justificati ex fide* dicimur *pacem habere apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Rom. 5. Morte suâ nos Deo reconciliavit *Rom.* 5. 10, peccatis deletis *Dan* 9. 24. expiatis delictis nostris *Heb.* 2. 17. 1. *Ioh.* 2. 2. Atque sic remota causa offensionis nos Deo reconciliavit, quatenus nos in gratiam Dei reduxit. Vicissim Deum nobis reconciliavit, quatenus Dei gratiam nobis recuperavit & restituit.

V. Ad hoc argumentum, à reconciliatione per Christum facta, Catechetes respondere satagit, dicens: *Nusquam scripturam asserere Deum nobis a Christo reconciliatum; verùm id tantùm, quòd nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati.* Sed hoc si verum est, quomodo dicimur *naturâ filii iræ*? *Eph.* 2. Alia ratio istius nulla dari potest, nisi quod Deus fuerit iratus, sive quòd fuerimus filii iræ Dei. Et si res ita habet, quod Christus non Deum

Deum nobis reconciliavit, sed nos Deo, tum Christus non poterit dici *advocatus noster apud Deum*, 1. Joh. 2. 1. Sed Advocatus Dei apud nos: nec esset propitiatio pro peccatis nostris apud Deum *ibidem*; sed Dei propitiatio apud nos quod absurdum.

VI. Constat Deum nobis fuisse iratum. Si quis neget, is negat Deum peccata abominari & detestari; nam sublato effectu tollitur causa: is fingit Deum perinde homines amare, quomodocuncque se habeant, sivè peccent, sive à peccatis abstineant. Quia verò Deus peccata, etiam minima odit extremè, sequitur necessariò, quòd etiam peccatores oderit, ut habetur *Sap.* 14. 9. *Æquè odio sunt Deo impius, & impietas. Omnes autem eramus peccatores* Rom. 3. 23. Ergo Deus nos oderat.

VII. Ergo, cum scriptura dicit, nos reconciliatos, non tantùm dicit, nos Deo esse reconciliatos, sed etiam, Deum nobis, quippe qui propter peccata, quæ sinè irâ & indignatione ferre non potest, nobis infensum fuisse. Quia ipsa vox reconciliationis relativa est, & reparationem amicitiæ dicit, tum ejus, qui odio habuit, tum ejus, qui odio habitus est.

VIII. Eum autem esse locorum allegatorum sensum liquet, quòd *Rom.* 5. 9. 10. justificari & conciliari idem sint, & reconciliatum & justificatum esse convertantur. Ergo quæ argumenta probant justificationem, ea probant Deum reconciliatum nobis. At Deus justificavit. Deinde, cum 2. *Cor.* 5. 19. Deus dicitur sibi reconciliasse mundum, subjungitur, *non imputans peccata.* Ille autem qui imputat peccata, odio habuit, qui odio habuit, iratus fuit; qui iratus fuit, placatus fuit & proinde nobis reconciliatus. Et sanè, quid vult Apostolus, cum dicit *Ephes*, 1. *vers.* 6. gratos nos sibi reddidit in dilecto, scilicet Christo, nisi quòd antea non fuerimus ipsi accepti, minimeque grati.

IX. At inquit Adversarius: *Deus dilexit nos*, teste scriptura, *cum adhuc inimici ejus essemus* Rom. 5. 9. Si dilexit, ergo iratus non fuit, Si hoc, ergo opus non fuit ut ille nobis reconciliaretur, quia jam dilecti eramus, unde ex ista dilectione factum est, ut filium mitteret. Sed *Resp.* distinguendo inter dilectionem *benevolentiæ* & *complacentiæ*, seu *ordinativam* & *collativam*. Dilectio benevolentiæ seu ordinativa est, quâ media ordinantur ad reconciliationem. Nam si offensus, media subministret illi, â quo est offensus, per

quâ offensæ ejus satisfieri possit, hoc ipso benè vult ipsi, à quo offensus est, neque tamen eo ipso adhuc est reconciliatus. Et eâ dilectione complexus Deus fuit hominem, cum Christum dare destinaret; At cùm media ista ordinata reconciliationi actu sunt adhibita, amor iste *collativus* fit.

X. Exemplo res clarior fiet. *Hiob.* 42 7, 8. Dixit Jehova Eliphazo Themanitæ. *Accensa est ira mea in te & in duos amicos tuos, quia non estis loquuti de me rectè ut servus meus Hiob.* Ecce Deum iratum. *Quamobrem sumite nunc vobis septem juvencos, septemque arietes, & adite servum meum Hiobum, ut offerendum curetis holocaustum pro vobis, & servus meus Hiob oret pro vobis, nam verè personam ejus accipiam.* Ecce Deum diligentem, sed amore benevolentiæ & ordinativo tantum diligentem: ex quo amore hoc profectum est, ut media redeundi in gratiam secum suppeditaret. Nec tamen fuit placatus. Quia si jam placatus fuisset, quid adhibitione mediorum reconciliationis opus fuisset?

XI. Hinc quid ad speciosum illud, magis quàm solidum, argumentum respondendum sit, manifestum est. Qui dilexit & ex amore dat filium, ille placatus est, ille non opus habet reconciliatione. Deus dilexit. Ergo. Nimirum; respondendum est ad Majorem. Qui dilexit non tantùm amore *benevolentiæ* & *ordinativo* mediorum, sed & amore *complacentiæ* & *collativo* finis, is placatus est, nec opus habet reconciliatione. Atqui sic negatur Minor; quia Deus quidem dilexit, sed non dilexit *collativè*, sed tantùm *ordinativè*, qui amor & dilectio eum ostendit, non actu placatum, sed ad placandum pronum & paratum.

XII. Ex eodem fonte solutionis respondetur ad cornutam illam Adversariorum quæstionem, frequentatam. Deus dum filium in mediatorem destinaret, iratus ne fuit, an placatus? Non iratus, quia filium non misisset; Ergo placatus. Nempe respondeo: Iratum quidem fuisse Deum, sed ita iratum, non qui jam placatus esset, sed qui placari & nobis propitius fieri velet.

XIII. Afferunt equidem Adversarii, scripturam sacram nos Dei inimicos vocantem, non hoc innuere, ac si nobis Deus factus esset inimicus, sed nostram saltem erga Deum monstrare inimicitiam & animum hostilem. Verùm impudens planè hæc est sophisticatio. Testatur enim scriptura manifestè, *peccata nostra dividere inter nos & Deum nostrum, absconsam facere*

fa-

faciem, ne exaudiamur. Esa. 59. v. 2. Et Jerem. 5 25. *Iniquitates vestra avertunt ista, & peccata vestra cohibent bonum hoc à vobis*. Hoc certè nulla aliâ de causa fit, quàm quòd peccata Deus abominetur, eorumque osor sit acerrimus; nos vero rursus ex peccato voluptatem capientes deque eo naturæ ductu gaudentes, Dei peccata nobis prohibentis, evasimus hostes.

XIV. Spiritus itaque Sanctus ex utraque parte, inimicitias monstrat, contra quàm Adversarius, qui contendit non fuisse perfectas sive mutuas inimicitias, sed tantùm ex altera, sc. ex nostra parte: ex parte a. Dei nullas fuisse inimicitias, adeoque nec reconciliatione opus fuisse. Quia hinc quoque hostilitas illa creaturarum profluxit erga nos, de qua *Deut*. 28. eò quòd ipsorum creator nobis factus esset hostis.

VI. Et quis tantæ erit impudentiæ, ut scripturæ illud neget effatum, quo dicitur, *Deum populo Israëlitico, adversus se rebellanti factum esse inimicum manifestum & contra illum pugnasse*, idque propterea, *quòd irasci fecerint spiritum suum sanctum*, Esa. 63. 10. Hoc effatum impossibile est ut ad sententiam adversam torqueatur. Jam argumentor: Si Deus Israëli factus fuit inimicus propter rebellionem peccati: Ergo omnium omnino hominum sit hostis, qui peccato sunt rebelles. Atqui omnes omnino homines &c. Ergo Deus omnium hominum peccatorum sit hostis. Annon enim Deus eadem ratione omnibus istis inimicus esse possit, qui adversum se paria cum Israëlitis faciunt?

XVI. Accedit, quòd Apostolus nos vocet *filios iræ* Eph. 2. 3. Quæ istius ratio? An quod nos Deo irascamur? Minimè. Uti enim mortis filius non dicitur is, qui aliquem morti adiudicat, sed potius qui adjudicatur; ita iræ filius non potest dici is, qui Deo irascitur, sed solus is, cui Deus est iratus. Juxta mentem Adversarii, quod nimirum adversus Deum nos irâ commoti fuerimus, non Deus adversus nos, consequeretur omnino, Deum fuisse filium iræ, non autem hominem.

XVII. Maximè a. absurditas sententiæ adversæ ex oppositorum natura patescit, quorum eadem semper est ratio. Si ii propriè Dei sunt amici, non qui Deum diligunt, sed quos ipse diligit, cujus respectu & Lazarus amicus Christi vocatus est, quià Dominus eum dilexit. *Ioh*. 11. 3. 11. tum ex opposito manifestũ est, propriè inimicos Dei non esse, qui sese exhibuerint ei inimicos, sed quibus ipse Deus est inimicus.

XVIII. Ut compendium rei faciamus; si Deus propter peccatum non fuit, [illegible]c potuit nobis esse offensus, vel inimicus noster, sed nos ipsius, qui quæso factum est,

ut à Deo non homo, sed ab homine Deus fuerit placatus & reconciliatus partim sacrificiis partim precibus. Quid enim? sacrificia munera fuerunt, quibus ab hominibus Deo aliquid oblatum fuit, ad eum placandum. Munera enim dantur ab eo qui reus est, & irâ dignus, illi qui reum tenet & iram cum viribus habet. Quod vel apud ipsos gentiles notum fuit, eum propitiari & placari muneribus, qui læsus & offensus est, non eum qui offendit. Hinc illud Poëtæ:

Munera crede mihi, placant hominesque Deosque;
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

XIX. Quid quòd Deus supplex ex hac sententia apud nos homines procidat oportet, amicitiamque nostram imploret; quippe qui nobis fuit amicus, nostriq; amans, nos verò eum odio habentes, ut eum amicitiâ & pace nostrâ dignaremur, quod planè est absurdissimum.

X X. Scriptura sacra equidem nuspiam dicit totidem verbis, quòd semet ipsum Deus se nobis reconciliarit; sed ubique asseverat, Deum sibi nos reconciliasse, nosque Dei fuisse hostes. Veruntamen, quia scriptura dicit Deum nobis fuisse iratum, inimicum, loquutione hâc, *quod nos sibi reconciliarit*, hoc ipsum indicatur, quod volumus; Deus enim reconciliavit nos sibi, non placatos nos sibi reddens, aut nostram aucupans gratiam; esset enim hæc blasphemia; sed ipse nobis placatus est in filio.

XXI. Hoc Paulus evidenter docuit Eph. 1.6. dicens: *gratiâ suâ nos gratos reddidit in illo dilecto.* Quod sensu Adversariorum planè est inconveniens, ac si ipsemet sese nobis acceptum & dilectum effecisset; (quod utique fuisset necessarium, si non Deus noster hostis fuisset, sed nos tantùm Dei) sed propriissimè de nobis intelligendum, quòd nos sibi fecerit acceptos dilectosque. E quibus iterum probatur, nos Deo non fuisse iratos, sed Deum nobis. Ut hic nihil dicam de eo argumento quod quidam ducunt ex *Math.* 3. 17. & 17. 5. *Hic est Filius ille meus dilectus ἐν ᾧ εὐδόκησα, in quo mihi complacitum est*, sc genus humanum. Quod à quibusdam redditur, hic est filius meus dilectus, *in quo placatus sum.*

XXII. Cum ergo loca allegata de hostilitate utrinque accipienda, reconciliatio etiam non tantùm ratione nostri intelligenda est, sed maximè ratione Dei, qui nobis est propitiatus. Consequenter, id quod apertè in scripturis extat, *Deum nos sibi reconciliasse*, id sententiam nostrâ non evincit esse falsam. Quinimò, quia scriptura apertè dicit, Deum nos sibi reconciliasse, qui sc. nobis fuit iratus, eo ipso indigitatur ille amor Dei *ordinativus* ex quo nobis

nobis ipse prospexit de medio, per quod ille iratus, placabilis tamen nobis propitiari possit.

XXIII. Quibus ita se habentibus, liquet, commentitiam esse glossam super istis locis, ac si scilicet Christus propterea diceretur nos reconciliasse Deo, quod viam ostenderit, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat. Quanquam rei veritate videatur victus Adversarius, ut qui ipsâ suâ phrasi & modo loquendi sententiam nostram approbet, cum dicit, *quemadmodum ei reconciliari oporteat* Quibus verbis dicit Christum eum esse, qui nos docuit quemadmodum Deo recōciliari debuimus. At si ea est mens Adversarii, Deum nobis non fuisse hostem, oportebat dicere, Christum viam ostendisse, quemadmodum illum nobis reconciliari oporteat.

XXIV. Videtur tamen favere Adversariorum partibus, quòd Apostoli dicantur *ministri reconciliationis*. 2. *Cor*. 5. 19. & Euangelium *verbum reconciliationis*. Quâ ratione inquit Socinus, reconciliationem ministrare poterant, si illa in Christi meritis tota residebat? Imò, si per Christum reconciliati, cur Apostolus inquit, reconciliemini Deo? Sed responsio facilis. Quià cum dicimur reconciliati per Christum, 2 *Cor*. 5. 18. 19. intelligitur reconciliationis per Christum nobis acquisitio. Cum verò ministerium *reconciliationis* appellat, & Corinthios hortatur, ut reconcilientur Deo, intelligitur reconciliationis acquisitæ per verbum applicatio. Quod si enim eodem sensu accipienda esset reconciliatio de Apostolis, quo de Christo, Christus blasphemè eodem ordine cum Apostolis collocaretur. Cùm Christus ita sit minister reconciliationis ut, simul sit ipse conciliator, quod de Apostolis dicere blasphemum.

Quæst. 33. *Ad ea verò quid respondes, Christum peccata nostra tulisse?*

Resp. *Ne hinc quidem istam adstrui satisfactionem, id argumento esse; quòd de Deo in hebraico textu scriptum sit, ipsum esse qui misericordiam millibus servet, & portet iniquitatem & peccata Et Matthæus disertissimè ait, tum, cum Christus multos morbos curasset in populo, impletum fuisse illud per Esaiam scriptum* Math. 8. 12. Esa. 5, 3. 4. Ille infirmitates nostras sustulit

XIV. His autem talibus excommunicatis, ut tantò magis de peccatorum suorum fæditate, suaque ipsorum miseriâ & infelici conditione cogitandi occasio daretur, illique pudore suffunderentur, omnis arctior societas, familiaritas, privata officia, mensa, domus, illis à cætu filium denegata fuerunt. Quemadmodum ex verbis Samaritanæ ad Christum *Ioh.* 4. 9. ex accusatione Pharisæorum contra Christum, quod cum Publicanis & peccatoribus cibum caperet, *Luc.* 15. 2. ex disceptatione Judæorum adversus Petrum, quòd in domum Cornelii introiisset cibumque cum eo sumpsisset, *Act.* 11. 2, 3. & ex 2. *Ioh. v.* 10. manifestum est.

XV. Quanquam verò arctior familiaritas, & privatorum officiorum frequens commercium, cessare debeat inter eos qui sunt de Ecclesia, & excommunicatione; precibus tamen ad Deum tam publicis quàm privatis crebrisque admonitionibus, dilectio erga talem testanda est. Quia excommunicationis istud fulmen vibratum est eo fine, ut ii, qui non prorsus in peccatis obduruerunt & obbrutuerunt, resipiscant, ad saniorem mentem revocentur, & ex diaboli laqueo, à quo captivi tenebrantur, evadant. Hinc Paulus incestuosum illum voluit tradi Sathanæ, ad interitum carnis, hoc est, ut corpore per tristitiam, pudorem & consternationem exhausto quasi & expiato, vitiosa & corrupta natura, atque libido mortificetur & intereat, idquè ad salutem Spiritus, in die illo Domini Jesu. 1. *Cor.* 5. 5.

XVI. Ergo consensus est inter nos, disciplinam esse debere, eamque vel privatim, vel publicè esse exercendam, ut transgressores sanentur, & in viam revocentur, alii metu percellantur: ab immorigeris boni non inficiantur, verbum Domini malè non audiat, & nomen Dei non blasphemetur.

Quæst. 11. *Quod periculum imminet ejusmodi hominibus?*

Resp. *Id, quòd è cœtu Christi, ac proinde è regno ipsius exclusis nihil supersit amplius, nisi illud ligamentum, de quo Christus apud* Matth. 18. ꝟ. 18. Amen amen dico vobis, quæcuncque ligaveritis super terram, erunt

non incurrit, adeòque propter eam spiritualem & fidei cum Christo unionem, aliquis dicitur membrum invisibilis Ecclesiæ.

Quæst. 3. *Nonne exterioribus factis agnosci potest, qui sit Ecclesiæ Christi membrum?*

Resp. *E factis exterioribus cuivis promptum est agnoscere, qui non sit membrum Ecclesiæ Christi, id est, qui Spiritum ejus non habeat, & fidem veram. Etenim Apostolus, ait manifesta esse opera carnis* Gal. 5. vers. 19. *Verùm ex exterioribus factis, difficulter agnosci potest, ubi sit Christi Spiritus & vera fides, Facilè enim exteriora facta, quæ ex corde sincero non proficiscuntur, eam speciem referre non possunt, quam habent, quæ è corde prodeunt. Breviter, potest quis animo malus, induere speciem externam hominis probi: verùm in homine probo secùs est, qui nunquam hominis improbi speciem præ se ferre laborat.*

I. Dominus solus novit qui sunt sui 2 *Tim.* 2. 19. ille enim renes & corda scrutatur: nec externa species pietatis eum fallit, ut quandoque contingit apud homines. Novit enim ille, quæ sunt in homine; nec opus habet, ut quis illi de homine testetur. Cognitio autem nostri ratione aliorum tantùm conjecturalis est: nec categoricè quempiam pro interno Ecclesiæ invisibilis membro pronunciare possumus, nec quempiam finaliter reprobum pronunciare.

II. Prius nobis impossibile est. Quia ut ipse tenebrarum princeps in angelum lucis se transformare potest; ita etiam tenebrarum filii, quandoque speciem pietatis mentiri possunt, etsi virtutem ejus abnegent; & ratione externi cultus nihil præstari potest à verè fideli, quod non simiæ ad instar possit imitari hypocrita.

III. Posterius verò esset impium, quempiam ex fructibus carnis judicare reprobatum. *Reprobus* est hactenus, sed an *reprobatus*

batus Deus solus novit. Novimus varias esse vocationis divinæ horas. Ipsum etiam ultimum vitæ momentum hora regenerationis fuit latroni. Quo testatum fecit Deus, ut ante obitum nemo ratione mundanæ felicitatis beatus prædicari debet; ita etiam judicium de salute proximi non esse præcipitandum.

IV. Dico ergo breviter. E factis exterioribus promptum esse agnoscere, qui non sit in Ecclesia *terminativè*. Sed eum qui non est in Ecclesia terminativè, ex iisdem fructibus carnis judicandum esse, neque *objectivè* esse in Ecclesia, nego.

Quæst. 4. *Percepi jam omnia, quæ ad Dei Christique notitiam pertinent: expone porrò, si quid ad notitiam viæ hujus salutaris præterea pertineat.*

Resp. *Iam omnia tibi satis abundè exposita sunt; tuum est, ut probè perceptis atque cognitis, ea menti infigas, & secundùm eorum præscriptum, vitam instituas. Deus verò tibi ad eam rem opem adferat, cui quod collocutionem nostram nobis absolvere feliciter concesserit, sit laus & gloria per Iesum Christum in perpetuum Amen.*

Quòd Catecheses se abundè omnia exposuisse quæ ad Dei & Christi notitiam pertinent, scribit, hoc jactantiæ ejus adscribet Lector. Cùm nihil minus præstiterit; sed veritatem cognitionis Dei & Christi penitus obscurârit, & Catechumeno suo explicatione istâ imposuerit. Ille vovet ut menti ista infigantur quæ docuit. Ego Deum veneror, si forte quorundam animos hi occupaverint errores, eos ille eradicare velit, eamque quam nos asseruimus veritatem, cordibus eorum inscribere, ac sinceram, quæ secundùm Deum est pietatem, in iis formare. Deo autem Patri, Filio ejus Jesu Christo, & Spiritui Sancto, Deo triuno; cujus gratiâ, hujus, Catecheseos Socinianæ refutationem suscepimus, continuavimus, absolvimus, sit laus & gloria in secula seculorum. AMEN.

FINIS.

Resp. *Non solùm illa officia studiosiùs servare tenentur, quæ singulorum sunt, quàm cæteri omnes: verùm alios ad eadem illa servanda subinde exsuscitare, Ecclesiam inspicere, singulos observare, tempestivè ac intempestivè instare, arguere, increpare, cùm omni lenitate & doctrina, ut* 1. Tim. 4. ℣f. 2. *habetur; cum ejusmodi tamen cautione id agere debent, quam adhibendam Apostolus docet* 1. Tim. 5. ℣f. 1, 2. Seniorem ne increpaveris; verùm tanquam Patrem admone: Iuniores tanquam fratres. Seniores mulieres, ut matres, juniores cum omni castitate.

I. Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum; quare, si is, qui præest in Ecclesia, cum ædificatione præesse velit, hoc agat oportet, ut non tantùm doctrinæ sinceræ, sed etiam pietatis omnis sit exemplar; quò oves non tantùm vocem pastoris audiant, sed & vestigia ejus tutò sequi possint. Ne inter eos sit doctores, de quibus Apostolus *Rom.* 2. *v.* 21: *Qui igitur doces alium, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, ipse furaris.* &c. Nec bonus Ecclesiæ Minister esse potest, qui bonus Christianus non sit.

II. Cùm etiam non omnibus omnia sint apta, pro diversitate, morborum & temperatorum spiritualium, magna quoque prudentiâ opus est Ministro; oportet eum esse fidelem dispensatorem, qui unicuique suum demensum dare possit tempore præstituto. *Luc.* 12. *v.* 42. Insaniret medicus qui omnes omnium ætatum & temperamentorum morbos unâ potione vellet curatos. Rectè ergo diversum procedendi modum cum aliis atque aliis urget ex Apostolo Catechetes.

CAPUT. IV.

De Ecclesia Christi Invisibili.

QVæst. 1. *Quæ est Ecclesia invisibilis?*

Resp. *Sunt ii, qui Christo confidunt, & illi obtemperant, proptereaque ipsius corpus existunt.*

Quæst. 2. *Cur verò eum hominum cœtum invisibilem vocas?*

Resp. *Idcirco, quòd hominum oculis expositus non sit. Nec enim quisquam hujus cœtus membrum existit, nisi qui Spiritum Christi habet. Cùm Apostolus apertissimè testetur, eum qui Spiritum Christi non habeat, non esse ipsius. Præterea, nemo hujus cœtus membrum esse potest, nisi veram in Christum fidem habeat. Etenim per fidem in corpus Christi inserimur, & fide in eo consistimus.* Rom. 11. 19, 20. *Spiritus verò Christi, & vera in ipsum fides, videri à nobis oculis carneis nullo modo possunt; cùm id utrumque in intimo cordis secessu lateat, & absconditum sit. Nam & Spiritus Christi in corda mittitur,* Gal. 4. 6. *& corde creditur ad justitiam* Rom. 10. v. 10.

I. Quid sit Ecclesia visibilis, & quo sensu ea talis dicatur, dictum supra; nimirum, eam invisibilem esse ratione *formalis*, etsi quoad *materiale* in sensus incurrat. Nec malè id ab Adversario explicatum. Professio enim externa aliquem facit esse in Ecclesia visibili; fides verò & Spiritus, quæ cordis sunt & animæ, hominem cum Christo uniunt, quæ unio in sensus nostros non

INDEX
RERVM & VERBORVM
In hoc refutationis opere tractatarum.

558

A.

B.

C.

Chri-

D.

E.

Electio

Pec-

FINIS.





INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ, vel allegatorum, vel explicatorum.

Genesis.

Exodus.

INDEX.

I N D E X

INDEX

14

Locorum Scripturæ.

INDEX

AD ROMANOS.

II

AD CORINTHIOS I.

INDEX

INDEX

569

FINIS.